Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0007vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

VII.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS VII. CONTINET

III. Part.

Cap. prævium. *De Gratia.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE
254
LIBRARY
P862
Alma, California

TOMUS SEPTIMUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

Rev. James Vila P.P.
9315

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI.

TERTIA PARS.

In qua ostenditur quibus auxiliis et adjumentis ita vivere possimus, ut nobis pateat aditus ad vitam æternam.

CAPUT PRÆVIUM.

De Gratia.

§. 1. Quid sit Gratia : quæve illius variæ species.

Int. Disc. POSSUMUSNE propriis viribus sanctè et Christianè vivere ?

Resp. Nequaquam. Ad hoc gratia Dei prorsùs necessaria, accedente liberæ voluntatis cooperatione ; sic tamen ut præcipua boni operis causa in gratiam ipsam refundenda sit. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, inquit Apostolus. (1. *Cor.* XV. 10.) (A) *

I. Gratiæ nomine quid intelligis ?

R. Hoc nomine significatur in genere favor immeritus, misericordia, liberalitas indebita. (B)

I. Suntne variæ species gratiarum ?

R. Variæ traduntur à Theologis gratiarum divisiones. Vel enim gratiæ sunt ordinis naturalis, vel ordinis supernaturalis. In his aliæ exteriores, aliæ interiores. Hæ vel dicuntur gratum facientes, vel gratis datæ. Gratia gratum faciens vel est habitualis, vel actualis. Hæc vel est excitans, seu sufficiens ad effectum liberum ad quem ordinatur et excitat ; vel est efficax.

I. Quid intelligis nomine gratiarum naturalis ordinis ?

R. Intelligo dona merè naturalia, qualia sunt sanitas et

* *In calce Paragraphi Notæ collocatæ sunt.*

robur corporis, maturitas judicii, ingenii solertia et acumen, prudentia, temperantia, et alia id genus, quæ Infidelibus et Christianis, bonis et malis communia sunt. Hæc autem in numerum gratiarum repono, quoniam nemini debita, dantur à Deo cui vult et quomodo vult. (C)

I. Quid intelligis nomine gratiarum supernaturalis ordinis.

R. Intelligo ea donorum genera, quæ largitur Deus creaturis intellectu et ratione præditis, in ordine ad salutem æternam.

I. Quid intelligis per gratias exteriores?

R. Intelligo dona Dei extra nos posita, qualia sunt Incarnatio Verbi, Mors Christi, conciones sacræ, consilia, miracula, etc. (D)

I. Quid intelligis per gratias interiores?

R. Intelligo dona Dei, quæ mentem et voluntatem interiùs afficiunt, verbi gratiâ, aspirationes sacras quibus movemur et attrahimur ad ea quæ Dei sunt; donum fidei, spei, charitatis, et virtutum moralium. (E)

I. Quid intelligis nomine gratiæ gratum facientis, et nomine gratiæ gratis datæ?

R. Si vim nominis attendas, gratia gratum faciens ea sola est quam sanctificantem dicimus, quæ nos Deo reconcilians ex peccatoribus justos, ex inimicis Dei amicos ejus et filios efficit. Omnesque omninò gratiæ sunt gratis datæ, quia omnes ex mera Dei benevolentia et liberalitate procedunt, sine ullis meritis naturalibus: *alioqui gratia jam non est gratia*, inquit Apostolus. (*Rom.* XI. 6.) (F)

Sed juxta receptam apud Theologos loquendi formulam, gratiæ gratum facientes, eæ sunt quæ nobis à Deo conceduntur in ordine, ut vocantur, ad nostram salutem. Gratiæ autem gratis datæ eæ sunt quæ dantur præcipuè in ordine ad salutem alterius.

Primi generis sunt piæ affectiones à Deo nobis infusæ, pia desideria, virtutes, et multò magis gratia ipsa sanctificans.

Posterioris generis sunt, verbi gratiâ, donum linguarum, donum prophetiæ, donum miraculorum, donum interpretationis Scripturarum, donum verbi divini annuntiandi. Hæc gratiarum genera dantur præcipuè ad conversionem infidelium cæterorumque peccatorum, ad fidelium eruditionem, uno verbo ad salutem proximi. (G).

I. Quid est gratia habitualis?

R. Gratia habitualis, quæ et sanctificans dicitur, ea est quæ manet in nobis, nosque gratos Deo, et justos, et sanctos efficit. (H).

I. Quid est gratia actualis?

R. Gratia actualis est illuminatio mentis, et pius affectus impressus à Deo in cordibus nostris, quibus movemur ad fugiendum malum et faciendum bonum.

I. Quid interest discriminis inter gratiam habitualem et actualem?

R. Gratia habitualis est donum et auxilium in nobis permanens, nosque justos efficiens. Gratia actualis est auxilium transitorium quod haberi potest sine justificatione.

I. Quid est gratia excitans seu sufficiens?

R. Gratia excitans seu sufficiens est gratia actualis, quæ movet et excitat; quæ potestatem quidem dat ad bonum opus faciendum, sed quæ bonum opus non facit facere, si fas ita loqui post Cardinalem de Laurea.

Veteres Theologi excitantem appellabant gratiam, quam recentiores sufficientem vocant. Sed tam veteres quàm recentiores fatentur præter gratiam efficacem, esse gratias inefficaces, quæ ad bonum excitant et potestatem tribuunt illud bonum operandi; sed præ resistentia voluntatis carent effectu ad quem excitant et ordinantur. Gratiæ illæ nunc sufficientes dicuntur. (I)

I. Quid gratia efficax?

R. Gratia efficax est gratia actualis, quæ non solùm excitat ad bonum opus, sed et illud facit facere, ut cum eodem eminentissimo Cardinale loquar. (K)

Unde gratia efficax suam habeat efficaciam disputant in scholis Theologi, et alias complures movent ea de re quæstiones, quas hîc consultò non attingimus. Sed fatentur omnes efficacem dici gratiam, quæ suum habet effectum; sufficientem seu inefficacem, quæ caret eo effectu ad quem excitat.

Prætereà sæpiùs tum apud SS. Patres, tum apud posterioris ævi Theologos mentio fit gratiæ prævenientis, concomitantis, et subsequentis. (L)

Gratiam quoque dividunt Theologi in operantem, et cooperantem. (M)

Adhuc pluribus aliis nominibus insignitur gratia, quæ tibi ex Estio hîc proferimus. (N)

(A) ORIGEN. *De Principiis, seu Periarchon, lib.* 3. *pag.* 455. Non sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia, et ad capiendam palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum, et quæcunque illa in nobis esse potest industria, divino vel juvetur, vel muniatur auxilio. Et ideò valdè convenienter dicit Apostolus, quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX. 16.): quemadmodum ac si dicamus de agricultura illud quod scriptum est: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* (1. *Cor.* III. 6.) Ita neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.... Sicut ergo cùm bonos atque uberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo pie et convenienter dicet quia fructus istos agricola fecit, sed à Deo falebitur præstitos: ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus et otiosis efficitur; nec tamen consummatio ejus nobis, sed Deo qui est prima et præcipua causa operis adscribetur. Sic cùm navis superaverit marina discrimina, quamvis multo labore nautarum, et omni nauticæ artis opere impenso, et gubernatoris studio atque industriâ adhibitâ res agatur, ventorum quoque adspirantibus flatibus et astrorum signis diligenter notatis: si tamen navis undis et fluctibus fatigata ad portum salva pervenit, nemo sani sensûs nisi miscricordiæ Dei salutem navis adscribet. Sed ne ipse

quidem nauta vel gubernator audet dicere, Ego salvavi navem : sed totum ad Dei misericordiam refert : non quòd sentiat se nihil ad salvandum navem vel artis adhibuisse vel laboris, sed quoniam sentit à se quidem laborem, salutem verò à Deo præstitam navi. Ita etiam in nostræ vitæ cursu à nobis quidem dependendus est labor, et studium atque industria adhibenda : laboris nostri verò fructus, à Deo speranda est salus. Alioquin si nihil nostri operis exposcit, superflua utique videbuntur esse mandata : frustrà etiam ipse Paulus culpat quosdam decidisse à veritate (*Galat.* III. 1.), et collaudat alios stantes in fide (2. *Cor.* I. 23.), præcepta quædam et instituta ex superfluo tradit Ecclesiis : frustrà etiam nos ipsi vel volumus, vel currimus ad bona. Sed certum est quòd hæc frustrà non fiunt, et certum est quòd nec Apostoli frustrà præcipiunt : nec Dominus sine causa dat leges.

Homil. 3. *in Ps.* XXXVI. *pag.* 285. *col.* 2. *circa med.* Gressus hominis à Domino diriguntur. Non sufficit homini volenti istud iter incedere sola propositi sui voluntas, nisi et Dominus direxerit gressus ejus.

Epist. ad Rom. cap. 5. *lib.* 5. *pag.* 348. * Etsi *perfectus sit quis in filiis hominum, si non adsit justitia à Deo, in nihilum reputabitur* (*Sap.* IX. 6.) : et hoc modo qui habuerit abundantiam gratiæ et dona justitiæ, in vita regnabit per unum Jesum Christum.

S. CLEMENT. ALEXAN. *Quis dives salvus sit, n.* 21. *pag.* 174. Dominus verò respondit, *Quod est impossibile apud homines, est possibile Deo.* (*Luc.* XVIII. 27.) Et hoc rursùs magnæ sapientiæ plenum est : idcircò nimirùm quòd homo ipse à se suaque virtute operam ponens, studensque ac laborans ut, compressis affectibus, tranquilli animi fiat, nihil indè præstat : sin autem ejus palàm rei desiderio vehementiùs inardescat, diligentiamque omnem adhibeat, adjunctà illi divinà virtute, evadat votorum compos. Deus namque volentibus animis adspirat. Sin autem à cœptâ animi alacritate abscesserint, etiam datus à Deo spiritus contrahitur. Invitis enim salutem afferre, ejus est qui vim afferat ; volentibus autem libero animi proposito, ejus qui liberaliter indulgeat ; nec dormientium et in deliciis agentium est regnum cœlorum, sed *violenti rapiunt illud.* (*Matth.* XI. 12.) Hæc enim sola bona violentia, Deo vim inferre, atque à Deo vitam rapere. Qui autem novit, eos, qui strenuè ac firmiter, imò qui violenter rei incumbunt, ejus copiam facit ceditque. Gaudet enim Deus in his se vinci.

S. IREN. *adv. hæres. lib.* 3. *c.* 19. *p.* 294. *Tom.* 3. *Biblioth. PP. Lugd.* Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos, lignum aridum existentes primùm, nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia.

EUSEB. CÆSARIENS. *Comment. in Ps.* CXVIII. *p.* 720. * *In justitia tua vivifica me.* (*Psal.* CXVIII. 149.) Omnia ad Deum viri sancti referunt, docentes nihil nos sine Deo posse. * *Nisi enim in me manseritis*, inquit, *nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Sed fortasse non nemo dixerit : Si omnia ad Deum referuntur, ubi est id quod meæ facultatis est ? Sin minus, ubique sanè miscet ea quæ à Deo sunt cum iis quæ in nostra sunt potestate. A Deo certè illud est, *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum.* (*Ps.* CXVIII. 33.) Nostrarum autem partium est illud, *Et exquiram eam semper.* A Deo rursùm postulo, (*Ibid.* 34.) *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam* ; ad me verò pertinet illud, *Et custodiam illam in toto corde meo.* Tertiò item à Deo id exspecto, (*Ibid.* 35.) ; *Deduc me in semitam mandatorum tuorum :* quid autem ad me spectat ? *Quia ipsam volui*, videlicet legem suprà memoratam ; ita ut petamus ut quæ à Deo sunt adsint nobis, ea promittentes quæ nostræ facultatis sunt, neque irrita illa facientes, ne pacta cum Deo nostra violemus.

S. EPHREM. *Serm. de vita Religiosa atque Monastica.* Homo sine gratiæ divinæ adjutorio, pauper est, et bonorum inops. Si verò ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere, atque perficere. At si illam rursùs suà negligentià, atque segnitie à se fugaverit, desolatus planè invenietur ac nudus : inhabitabuntque in eo cogitationes turpes, et exsecrandæ, *sicut nycticorax in domicilio.* (*Psal.* CI. 7.) Hominis igitur est gratiam invocare, ut illa adveniens mentem ac cor ei illuminet : purificansque seipsum homo, eam in domicilio pectoris sui inhabitatricem,

et auxiliatricem sibi acquirat; et per eam quascunque virtutes exerceat; illuminatusque ab ipsa, varium ac multiplicem omninò futuri sæculi decorem contemplari valeat: efficiturque in ipso murus et antemurale, et custodit ipsum ab omni malo, donec ab hoc sæculo in vitam futuri sæculi transferat.

Tract. de Divina gratia, initio. Sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius, virtutis semitam ne ingrediaris; nam draco rugiens insidias tibi struet. Absque consilio ipsius non tractes quæ ad animam pertinent: multi enim sunt, qui specie recti mentem depravant. Illa tibi naviganti nisi adfuerit, vani labores erunt. Hac nisi adversùs inimicos tuos inunctus fueris, multis frustrà susceptis laboribus turpiter victus lugebis. Illam nisi sociam tibi habueris dolos serpentis ignorabis. Cum promptitudine igitur animi, morem ipsi gerito, et cuncta tibi perspicua reddet: studiosè præcepta illius imbibe, et citò absque ulla sollicitudine eris.

S. GREG. NAZIAN. *Orat.* 31. *n.* 7. *pag.* 504. Ad adipiscendam perfectionem, aptitudinem solam minimè sufficere contendo: rationem enim esse, quæ eam excitet, ut natura in opus prodeat, quemadmodum silex ferro pulsatus, atque ita ferrum fiat. Cùm audieris, quibus datum est, adde, volentibus datum est, atque iis, qui ea animi propensione sunt. Etenim cùm illud audis, *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX 16.): idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori, et sapientiæ eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quòd ipsum etiam rectè velle, divino auxilio indigeat; immò, ut rectiùs loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcircò ait, *non volentis*, id est, non solùm volentis, *nec currentis* solùm, *sed* etiam *miserentis Dei.* (*Ibid.*) Ita, quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo jure totum Deo assignavit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui det coronam. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Scio, inquit, quòd nec levium cursus est, nec bellum potentum, nec pugnantium victoria, nec prosperè navigantium portus: sed Dei est, et victoriam afferre, et incolumem scapham in portum perducere.

Carm. var. de virtute humana 58.

Dum Christus mihi præstat opem, mihi præstat opesque:
Qui facit ut cernam, cursu ferar atque secundo.
Quo sine mortales vanissima ludicra cuncti,
Quo cuncti sine viva cadavera, putrida noxis.
Nam neque submoto volitantes æthere cernas
Pennigeras volucres: nec demptis fluctibus unquam
Delphinûm æquoreà poterant regione natare.
Sic quoque præsidio Christi sine tollere gressum
Haud unquam mortale genus queat. Ergo cavendum
Ne tibi plus æquo tribuas, et mente superbà
Viribus ipse tuis fidas.

S. GREGOR. NYSS. *de scopo Christ. pag.* 731. Nam dives et opulentus Spiritus, qui semper infunditur in eos qui gratiam acceperunt, quà sancti Apostoli referti, Christi Ecclesiis fructus complementi ostenderunt iis, qui munus sincerè admiserunt, pro mensura cujusque eorum qui fidei participes fuere; adjuvans et unà habitans permanet, et bonum in unoquoque construit, ad animæ studium in fidei operibus. Ergo par est, ut quisque nostrûm semper se in virtute proficientem ad virum perfectum adducat, juxta Apostoli dictum, *Quo usque occurramus omnes ad unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, ad virum perfectum, ad mensuram ætatis plenitudinis Christi.* (*Ephes.* IV. 13.) Corporis certè augmentum ad increscendum non in nobis situm est: haudquaquam natura ex hominis sententia et libidine staturam metitur, sed suo ipsiusmet impetu et necessitate. Animi verò in ortûs renovatione modus et decus, quæ Spiritus

gratia largitur, per ejus qui acceptus est studium, à consilio nostro pendent : nam quantò magis labores pro pietate extendis, tantò etiam magis animi magnitudo simul extenditur : et sempiternam vitam atque ineffabilem quæ in cœlis est lætitiam ejusdem Spiritûs gratia concedit : accipiendi verò munera et dignitatem gratiâ fruendi, amor per fidem laboribus obtinet. Jam verò ad idem progressæ operum justitia et Spiritûs gratia, in quâ animâ concurrerunt, eam beatâ vitâ certatim complent : sed à se invicem disjunctæ, nullum animæ emolumentum exhibent. Etenim Dei gratia in animis qui salutem fugiunt non potest frequenter adesse ; hominis verò virtutis vis per se non sufficit ad animos gratiæ expertes, ad vitæ formam absolutam extollendos. *Nisi Dominus ædificaverit domum, et custodierit civitatem, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Hinc edocemur non esse in mentem inducendum, in humano studio totam sitam esse coronam : verùm ad Dei voluntatem referendam esse spem de fine obtinendo. Porrò Dei voluntas est, ut anima per gratiam purgetur, et pura ac munda Deo offeratur.

B. THEOD. *Interpr. in Psal.* XXXI. 10. *pag.* 516. *Sperantes autem in Domino misericordia circum labit.* Omnes namque homines licèt virtutis rectè factis ornati sint, divinâ tamen indigent gratiâ. Propterea et divinus Apostolus exclamat, *Gratiâ salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, nam Dei donum est.* (*Ephes.* II. 8.)

S. JOAN. CHRYSOST. *in cap.* 34. *Gen. Homil.* 59. *pag.* 782. Sanè et nos persuadeamus nobis, quòd licèt millies enitamur, nihil tamen prorsùs rectè agere possumus, nisi superno auxilio adjuti. Sicut enim nisi illo subsidio fruamur, nihil unquam possumus rectè agere : ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum auxilium obtinere. Demus igitur operam ut et nostra afferamus, et supernum favorem alliciamus, ut et ex nostro studio, et ex Dei benignitate virtutes nostræ quotidiè crescant, multaque supernâ fruamur gratiâ.

S. JOANN. DAMASC. *Parall.* lib. 3. *pag.* 216. *De studio : et* quòd Deo minimè favente omne studium inutile sit, *cap.* 63. * *A Domino gressus hominis diriguntur.* (*Ps.* XXXVI. 23.) *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (CXXVI. 1.) *A Domino diriguntur gressus hominis.* (*Prov.* XX. 24.) *Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit.* (XXI. 31.) *Scio Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* (*Hierem.* X. 23.) *Est homo laborans et festinans.... et tantò magis non abundabit. Est homo marcidus, egens auxilio, deficiens virtute et abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus : et mirati sunt in eo multi, et honoraverunt Deum.* (*Eccli.* XI. 11. 12. *et* 13.) *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.)

Sine Dei indulgentia et favore fieri non potest, ut quispiam se ad honestum et laudabile vitæ genus conferat. (*S. Basil.*)

Pulcherrima quæque atque optima eligere, ac velle et studere, omnemque laborem sufferre, propositi nostri est : at eadem ad finem perducere, nec dilabi sinere, sed ad metam ipsam virtutum pervenire, supernæ gratiæ est. Virtutem enim Deus nobiscum partitus est : ac nec eam omnem in nostra potestate reliquit ; ne in arroganliam altollamur : nec rursùs eam ipse prorsùs assumpsit, ne in socordiam declinemus : verùm nonnullà parte laboribus nostris relictà, majori ex parte ipse eam præstat atque absolvit. Omnis probæ actionis initium in nostra voluntate consistit: finis autem in Deo. Volentibus quidem animis nostris Deus favorem suum adjungit. Si autem animi promptitudo desit, spiritus quoque divinitùs concessus sese contrahit, ac subducit. (*S. Chrysost.*)

Nihil in mortalibus est propriè utile, ac verè laudabile, quod non divinitùs ipsis concedatur.

S. MARC. Erem. *de leg. spirit. n.* 55. *pag.* 898. Quidam dicunt, Non possumus bonum facere nisi evidenter Spiritûs sancti gratiam susceperimus. Semper autem tales animi proposito studentes voluptatibus, tanquam ii qui omnium destituti sunt auxilio, faciendi facultatem expostulant.

N. 56. Gratia quidem iis qui in Christo baptizati sunt, arcanâ quadam et mysticâ ratione data est, operatur autem secundùm proportionem

exsecutionis præceptorum. Quin etiam occultè gratia nobis auxiliari non desinit: in nobis autem situm est, pro virili bonum facere aut non facere. Primùm quidem divinitùs excitat conscientiam. Undè etiam malefici, vitâ per resipiscentiam in melius mutatâ, Deo accepti sunt.

JOAN. MAXENT. *de Christ. profes. p.* 536. *tom.* 9. *BB. PP. Lugd.* Quid jam de gratiâ Dei, non quâ creamur, sed de ea quâ recreamur et renovamur, sentiamus, breviter exponentes, Sanctitati vestræ necessariò credimus facere debere manifestum.... Inarmatus igitur naturæ vigor per malum prævaricationis, nullatenùs valuit per semetipsum indè resurgere, quo per propriam voluntatem erat lapsus. Quapropter nullum ab Adam nunc usque per naturæ vigorem credimus esse salvatum, nisi dono gratiæ Spiritûs sancti in fide nominis Jesu. Quia non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat eos salvos fieri, nisi in nomine Jesu Christi. Liberum autem naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm et desideranda carnalia, sive secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa. Ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem, et inoperationem intrinsecùs Spiritûs sancti, qui est etiam spiritus Christi. *Spiritum* enim *Christi qui non habet. hic non est ejus.* (*Rom.* VIII. 9.) Quòd si quis credit in Christo, jam Christi est. Sicut et verum est, non utique per donum naturæ, sed per Spiritum sanctum est, qui Christi est. Qui jam credit in eum, qui justificat impium, ut confiteatur, quia Dominus est Jesus, quod nemo potest dicere, nisi in Spiritu sancto. (1. *Cor.* XII. 3.) Quapropter anathematizamus eos, qui naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum. Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, Nostrum est velle, Dei verò perficere, cùm idem et Doctor et velle et perficere donum testetur esse divinum, ipso dicente: *Deus enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Credentes etiam omnes ab Abel usque ad Christum, si qui salvati sunt, eâ gratiâ, quâ et nos esse salvatos, secundùm vocem Beati Apostoli Petri dicentis: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres vestri, neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodùm illi.* (*Act.* XV. 10. *et* 11.)

HESYCH. Presbyt. *in Levit. lib.* 2. *cap.* 7. *tom.* 12. *BB. PP. Lugd. pag.* 77. LXX. autem dicunt: *Et offeret de omnibus muneribus suis laudationem Deo, sacerdoti profundenti sanguinem salutaris illius erit.* Per hæc ostendentes, quia quantumcumque homo egerit et vixerit, cucurrerit, et comprehenderit, sive assecutus fuerit, sine adjutorio Domini salutem adipisci, sive assequi non potest. Propter quod et Paulus dicebat: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.)

D. HIERON. *Comment in Hierem. lib.* 5. *cap.* 25. *pag.* 150. Sin autem, ut novi ex veteribus hæretici volunt, lex semel in adjutorium data est, et constituta præcepta quæ nostri arbitrii voluntate vel facimus, vel non facimus: quomodo Propheta se semper ingerit, et quotidie replicat mandata Dei, quæ utique semel accepta, sufficerent eis quibus data fuerant: nisi ut hoc ostendat, Dei nos semper indigere auxilio: et nunquam posse sufficere quod semel datum est: nisi quotidie Domini admonitione renovetur.

Epist. ad Cyprian. Presbyt. tom. 2. *novæ edit. pag.* 696. Homo à principio conditionis suæ Deo utitur adjutore: Et cùm illius sit gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quòd subsistit et vivit; nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suum per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam Conditoris, et ad ejus contumaciam, qui ideò liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit. Quod autem dixit, *in generatione et generatione*, omnia significat tempora, et ante legem et in lege, et in Evangelii gratia. Undè et Apostolus dicit: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis sed ex dono Dei.* (*Ephes.* II. 8.)

Epist. 43. *ad Ctesiph. adversus Pelag. pag.* 477. Ita enim Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus nitamur et regamur auxilio: sed ad liberum referunt arbitrium et ad præcepta legis ponentes illud Isaiæ:

Legem enim Deus in adjutorium posuit (*Isaï.* VIII. 9. *secundùm* LXX.), ut in eo Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus et eligere bona et vitare mala : et non intelligunt ista dicentes, quòd per os eorum, intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet. Si enim in eo tantùm Dei est gratia, quòd propriæ nos condidit voluntatis, et libero arbitrio contenti sumus; nec ultrà ejus indigemus auxilio, ne si indiguerimus liberum frangatur arbitrium : ergo nequaquam ultrà orare debemus : nec illius clementiam precibus flectere, ut accipiamus quotidiè, quod semel acceptum in nostra est potestate. Istiusmodi homines tollunt orationem : et per liberum arbitrium, non homines propriæ voluntatis, sed Dei, potentiæ factos se esse jactant, qui nullius ope indigent. Tollantur et jejunia omnisque continentia. Quid enim mihi necesse est laborare, ut accipiam per industriam, quod semel meæ factum est potestatis.... Si nihil ago absque Dei auxilio, et per singula opera, ejus est omne quod gessero, ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium; frustraque dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc ait : Aut utor semel potestate quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium : aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruetur. Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? quæ Hæreticorum venena non superat? Asserunt se per arbitrii libertatem nequaquam ultrà necessarium habere Deum, et ignorant scriptum : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.) Magnas agit Deo gratias, qui per libertatem arbitrii rebellis in Deum est : quam nos libenter amplectimur, ita duntaxat, ut agamus semper gratias largitori; sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo : *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Velle et currere meum est : sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus : *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.* (*Philip.* II. 13.) Et Salvator in Evangelio : *Pater meus usque modò operatur, et ego operor* (*Joan.* V. 17.), semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quòd semel donavit, nisi semper donaverit. Peto, ut accipiam : et cùm accepero, rursùs peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quantò plus bibero, tantò plus sitio. Legi enim à Psalmista cantari : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* (*Ps.* XXXIII. 6.) Omne quod habemus bonum, gustus est Domini. Cùm me putavero ad calcem pervenisse virtutum, tunc habebo principium. *Principium enim sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX. 10.); qui expellitur atque destruitur charitate. Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se noverint... Quòd autem sursùm deorsùm jactitant, liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario eos arbitrii destruere libertatem, qui malè eo abutuntur adversùm beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille, qui semper Deo agit gratias; et quodcunque in suo rivulo fluit, ad fontem refert? an qui dicit : * *Recede à me quia mundus sum* (*Isaï.* LXV. 5.), non habeo te necessarium; dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero : quid rursùm te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris? Fraudulenter prætendis, ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, et non in singulis operibus auxilium Dei requiras; ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere : et cùm Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.

S. AMBROS. *Enarrat. in Psal.* XLIII. *n.* 12. Nemo arrogans aut superbus; sed mansuetus et humilis corde : qui nihil sibi arroget, sed totum ad gratiam referat : non in sua fortitudine glorietur, sed dexterâ Dei credat se esse protectum dicens : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* (*Psal.* CXVII. 16.) Gladio quoque Dei memoret se esse servatum, illuminatum quoque Dei vultu omnipotentis : in quibus omnibus Christus est protector, dextera, defensor, et gladius... Abraham impigrè Deo credidit, ut apud eum justificationis gratiam reperiret, quam mercedem sui operis collocaret : uberiora enim dona sunt largientis, quàm merces operantis. Propterea et illi qui æqualitatem mercedis inviderat,

respondit Dominus : *Si ego bonus, oculus tuus quare nequam ?* (*Matth.* XX. 15.) Patres ergo nostri, utpotè proximi et hæredes Patriarcharum, plantati in terra repromissionis, non suis hoc meritis vindicabant. Ideò nec Moïses eos induxit, ne legis hoc existimetur esse, sed gratiæ; lex enim merita examinat, gratia fidem spectat. Undè præclarè Apostolus fidem patrum secutus ait : *Sed neque qui plantat, est quidquam, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* III. 7.)

Expos. Evang. sec. Luc. lib. 2. *n.* 84. De Ecclesia cognovimus dictum : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (*Psal.* CXXVI. 1.) Nec mirum si homo ædificare non potest, qui non potest custodire : *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilaverunt qui custodiunt eam.* Hæc de quodam psalmo : Audeo tamen etiam ego dicere, quòd homo viam non possit adoriri, nisi Dominum habeat præviantem. Undè scriptum est : *Post Dominum Deum tuum ambulabis* (*Deut.* XIII. 4.) ; et, *à Domino diriguntur viæ viri.* (*Prov.* XX. 24.) Denique ille perfectior, qui intelligeret se sine Domino ambulare non posse : *Vias*, inquit, *tuas edoce me....* (*Psal.* XXIV. 4.) Timete Deum, et præsume de Domino : * *Immittit* enim *Angelos Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* (*Psal.* XXXIII. 8.) Vides itaque quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis ; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino.

S. AUG. *Retract. lib.* I. *cap.* 9. *n.* 3. Novi hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundùm merita nostra dari asserunt.

N. 4. Voluntas quippe est quà et peccatur, et rectè vivitur.... Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratiâ liberetur à servitute, quâ facta est serva peccati, et ut vitia superet, adjuvetur, rectè pièque vivi à mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, nisi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, et non esset gratia, quæ utique gratis datur.

Ad Hilar. Epist. 157. *alias* 89. *cap.* 3. *n.* 15. *pag.* 549. Prævaricatâ ergo lege quæ in paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis, de qua dicitur, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* (*Rom.* VII. 23.) Quæ tamen nisi malâ postea consuetudine roboretur, faciliùs vincitur ; non tamen nisi gratiâ Dei.... Prævaricatâ verò lege etiam illa, quæ data est per Moysen, multò ampliùs abundat delictum. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* (*Gal.* III. 21. 22.) Hæc verba, si agnoscis, apostolica sunt : de qua lege iterum dicit, * *lex prævaricationis gratiâ posita est, donec veniret semen, cui promissum est, disposita per Angelos in manu mediatoris* (*Ibid.* 19.) : Christum commendans, cujus gratiâ salvi fiunt omnes, sive parvuli, *à* lege peccati et mortis, cum qua nati sumus : sive majores, qui male utentes arbitrio voluntatis, prævaricarunt legem naturalem ipsius rationis : sive qui legem acceperunt quæ data est per Moysen, eamque prævaricantes litterâ occisi sunt. Cùm verò etiam evangelica præcepta homo prævaricat, velut quatriduanus mortuus putet : nec de illo tamen desperandum est propter ejus gratiam, qui non lentè dixit, sed *magnâ voce clamavit, Lazare veni foras.* (*Joan.* XI. 43.)

N. 16. *Lex ergo subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* V. 20.), sive cùm homines negligunt quod Deus jubet, sive cùm de suis viribus præsumentes, adjutorium gratiæ non implorant, et addunt infirmitati superbiam. Cùm autem vocatione divinâ intelligunt cur sit ingeniscendum, et invocant eum in quem rectè credunt, dicentes, *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L. 1.) ; et, *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL. 5.) ; et, *In tua justitia vivifica me* (*Psal.* XXX. 2.) ; et, *Viam iniquitatis amove à me, et de lege tua miserere mei* (*Psal.* CXVIII. 29.) ; et, *non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me* (*Psal.* XXXV. 12.) ; et, * *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum ; et ne dominetur mei omnis iniquitas* (*Psal.* CXVIII. 133.) ; * *à Domino enim gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet.* (*Psal.* XXXVI. 23.) Et alia multa, quæ propterea scripta sunt, ut nos admoneremur, ad implenda ea quæ nobis jubentur ab illo

pæendum adjutorium à quo jubentur. Cùm ergo se homo ad illum extenderit, et sic ingemuerit, fiet quod sequitur, *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom.* v. 20.); et, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* vii. 47); *Et diffunditur in corde charitas Dei* (*Rom.* v. 5.), undè fiat legis plenitudo; non per vires arbitrii, quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Noverat quippe ille legem, qui dicebat, *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem* (*Rom.* vii. 22.): et tamen adjungebat, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Ibid.* 23. 24. *et* 25.) Cur non dixit potiùs, per meum liberum arbitrium, nisi quia libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia.

N. 18. *Usque enim ad legem peccatum in mundo fuit.* (*Rom.* v. 13.) Non quia deinceps in nemine fuit, hoc dictum est, sed quia non poterat per litteram legis auferri, quod solo poterat spiritu gratiæ. Ne quisquam ergo fidens de viribus non dico voluntatis, sed potiùs vanitatis suæ, putaret libero arbitrio legem potuisse sufficere, et Christi gratiam derideret; ideò ait Apostolus, *Usque enim ad legem peccatum in mundo fuit, peccatum autem non deputabatur cùm lex non esset.* (*Id. Ibid.*)

Ad Asellic. Epist. 196. *aliàs* 200. *cap.* 1. *n.* 3. " *Scimus enim quia lex spiritalis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, ignoro; non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi, quoniam bona est.* (*Rom.* vii. 14. 15. *et* 16.)

N. 4. Videmus itaque in his Apostolicis verbis legem non solùm non esse peccatum, sed etiam esse sanctam, et mandatum sanctum et justum et bonum, quo dictum est, *Non concupisces.* (*Deut.* v. 21.) Sed peccatum per bonum fallit, et per illud occidit eos, qui cùm sint carnales, putant suis viribus legem spiritalem se posse complere; et per hoc fiunt non solùm peccatores, quod essent, etiam si legem non accepissent, sed etiam prævaricatores, quod non essent nisi legem accepissent. Sic enim alio loco dicit, *Ubi lex non est, nec prævaricatio.* (*Rom.* iv. 15.) *Lex ergo subintravit*, sicut alibi ipse testatur (*Rom.* v. 20.), *ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

Cap. 2. *n.* 5. Hæc est igitur utilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, et videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potiùs carnalis concupiscentia quàm sanetur. Appetuntur enim ardentiùs quæ vetantur, dum id quod spiritaliter jubetur carnalis observare compellitur. Ut autem sit spiritalis, qui legem impleat spiritalem, non fit ipsà lege, sed gratiâ; hoc est, non imperio, sed beneficio; non jubente litterâ, sed juvante spiritu. Incipit autem homo secundùm gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti quod odit, id est, non ut omninò non concupiscat, sed ut post concupiscentias suas non eat.

N. 6. Hoc enim lex posuit dicendo, *non concupisces* (*Rom.* vii. 7.), non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus. Verùm hoc fit non lege quæ hoc imperat, sed fide quæ hoc impetrat; non littera qua jubetur, sed spiritu quo donatur: non ergo meritis operantis hominis, sed largientis gratiâ Salvatoris. Utilitas itaque legis est, ut hominem de sua infirmitate convincat, et gratiæ medicinam quæ in Christo est, implorare compellat. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* (*Joël.* ii. 32.)

N. 7. Quæ cùm ita sint, qui Israëlitas esse carnaliter gaudent, et præter gratiam Christi, in lege gloriantur, ii sunt de quibus item Apostolus ait, quod " *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* (*Rom.* x. 3.) Dei quippè dixit justitiam quæ homini ex Deo est; suam verò, quam putant sibi sufficere ad facienda mandata sine adjutorio et dono ejus qui legem dedit. His autem similes sunt, qui cùm profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic adversantur, ut se humanis viribus divina existiment implere mandata; ac sic etiam ipsi ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, et non quidem nomine, sed tamen errore judaïzant.

Cap. 4. *n.* 16. Nos autem nec illis observationibus, quæ novo testa-

mento revelato evacuatæ sunt, tenemur obstricti, et præcepta legis, huic etiam tempori necessaria, qualia sunt, * *Non adulterabis, Non homicidium facies, Non concupisces* (*Exod.* XX. 13.) : et si quod est aliud mandatum quod in hoc sermone recapitulatur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Luc.* X. 27.) : non viribus humanis, quasi nostram constituentes justitiam : sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in ea justitia, quæ nobis ab illo est, observanda esse didicimus, et docemus.

Ad Optat. Epist. 190. *aliàs* 157. *cap.* 2. *n.* 6. Scriptum est in Actibus Apostolorum loquente Apostolo Petro, *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus nos salvos fieri, quemadmodum et illi.* (*Act.* XV. 10. *et* 11.) Si ergo et illi, id est patres portare jugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini Jesu salvos se fieri crediderunt, manifestum est quòd hæc gratia etiam antiquos justos vivere fecit ex fide : *Justus enim ex fide vivit.* (*Rom.* I. 17.)

N. 7. *Lex autem subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* V. 20.), ut superabundaret gratia, per quam sanaretur delicti abundantia. *Si enim data esset lex quæ vivificare posset, omninò ex lege esset justitia.* (*Gal.* III. 21.) Cui tamen bono lex data sit, consequenter adjunxit dicens, *sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* (*Ibid.* 22.) Danda itaque fuerat lex, quæ manifestiùs sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à seipso se posse esse justum putaret, et *ignorans Dei justitiam* (*Rom.* X. 3.), id est quæ homini ex Deo est, et suam volens constituere, id est quasi suis viribus partam, justitiæ Dei subjectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato, cujus vox est, *Non concupisces* (*Exod.* XX. 17.), superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet ; atque ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret.

De Genes. ad litter. lib. 9. *cap.* 18. *n.* 33. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed illo quo eas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Ibi est et gratia, per quam salvi fiunt peccatores : nam quod attinet ad naturam iniquâ suâ voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, quâ adjuvatur et instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est, * *Omnes qui ambulant in ea, non revertentur* (*Prov.* II. 19.) : dictum est enim secundùm pondus iniquitatis suæ, ut quòd revertitur, qui revertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, * *non ex operibus, ne fortè extollatur.* (*Ephes.* II. 9.)

Lib. 10. *cap.* 11. *n.* 19. Cavendum est enim, ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit ; vel possit esse anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ à peccato non sit Christiana gratia necessaria.

Quæst. in Exod. lib. 2. *q.* 105. Nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi.

In Psal. XXX. *Enarrat.* 2. *n.* 4. Christus membra multa, unum corpus. Ergo simul omnes nos cum capite nostro Christo, sine capite nostro nihil valentes. Quare ? Quia nos cum capite nostro vitis : sine capite nostro, quod absit, sarmenta præcisa, non alicui operi agricolarum, sed igni tantummodò destinata. Ideò et ipse in Evangelio, * *Ego sum vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola est :* et *sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Domine si sine te nihil, totum in te. Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum et totum sine nobis, nos nihil sine ipso.

Enarr. in Psal. XL. *n.* 4. Magna lex est Christiana, potens illa lex, divina, ineffabilis : sed quis illam implet ? In nomine Salvatoris nostri *conculcate leonem et draconem* (*Psal.* XC. 13.)... Veniant ad fidem qui dubitabant : non dicant, Quis hoc implet ? Si de viribus suis præsumunt, non implebunt. Præsumendo de gratia Dei, credant, præsumendo veniant, adjuvandi veniant, non judicandi. Vivunt omnes fideles in nomine Christi.. quantum donat Dominus eis vivere ; neque de suis viribus præsumunt, sed nove-

runt se in illo debere gloriari. *Quid* enim *habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* (I. *Cor.* IV. 7.) Noli dicere mihi, Quis illud implet? Ille in me implet, qui venit dives ad pauperem.

N. 5. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* (*Psal.* XL. 4.) Lectus doloris, infirmitas est carnis. Ne dicas, Non possum tenere et portare et frenare carnem meam : adjuvaris ut possis. Dominus opem ferat tibi super lectum doloris tui. Portabat te lectus, non tu portabas lectum ; sed paralyticus intùs eras : adest qui dicat tibi, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* (*Marc.* II. 11.)

Enarr. in Psal. LXII. *n.* 15. *pag.* 615. Nisi Deus adjuvet bona opera nostra, impleri à nobis non possunt. Et digna debemus operari : id est, tanquam in luce, quando Christo demonstrante operamur.... Nemo ergo in diluculo operatur ; nisi qui in Christo operatur.

N. 16. *Et in velamento pennarum tuarum exsultabo.* (*Psal.* LXII. 8.) Hilaresco in bonis operibus, quia super me est velamen pennarum tuarum. Si me non protegas ; quia pullus sum, milvus me rapiet.... Parvuli sumus : ergo protegat nos Deus sub umbraculo alarum suarum : Quid cùm majores facti fuerimus? Bonum est nobis ut et tunc protegat nos : ut sub illo majore semper nos pulli simus. Semper enim ille major est, quantumcunque creverimus. Nemo dicat, Protegat me, cùm parvulus sum : quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit pervenire, quæ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es. Semper ab illo protegi velimus : tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli simus. *Et in velamento pennarum tuarum exsultabo.*

Enarr. in Psal. CVI. *n.* 5. Jam scit quomodo vivere debeat : priùs enim in errore erat, et famem veritatis patiebatur : accepit autem jam cibum veritatis, et positus est in via : audit, Vive benè, secundùm quod nosti ; anteà enim non noveras quemadmodum viveres, modò accepisti et nosti. Conatur, non potest ; ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio est difficultatis in benè operando, sicut illa prima erroris et famis. Exclamat et in hac ad Dominum : liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula difficultatis, constituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile esse quod difficile fuerat, abstinere à malis, non adulterare, non furtum facere, non homicidium, non sacrilegium, non alienum concupiscere : facta est facultas quæ fuerat anteà difficultas. Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare : sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus. Si enim primiùs cùm vellet posset, et non sentiret adversùs se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima colliderctur, suis viribus tribueret quod se posse sentiret, et non confiterentur Domino miserationes ejus.

In Joann. Evang. cap. 1. *Tract.* 3. *n.* 2. Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex ; et ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat. Lex ergo jubet, dator legis miseretur in eo quod jubet lex. Conantes homines implere viribus suis quod à lege præceptum est, ipsâ suâ temerariâ et præcipiti præsumptione ceciderunt ; et non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei : et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege implorarerunt liberatoris auxilium.

In Joann. Evang. cap. 15. *Tract.* 81. *n.* 3. *Ego sum*, inquit, *vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cùm dixisset, *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me parum potestis facere : sed, *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.

Proposit. ex Epist. ad Rom. Exposit. n. 15. *Per legem enim cognitio peccati.* (*Rom.* III. 20.) Non enim ablatio peccati est ; quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona est ergo lex, quia ea vetat quæ vetanda sunt, et ea jubet quæ jubenda sunt. Sed cùm quisque illam viribus suis se putat implere, non per gratiam Liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio : imnò etiam tantum nocet, ut et vehementiori peccati desiderio rapiatur, et in peccatis etiam prævaricator inveniatur. *Ubi enim non est Lex, nec prævaricatio.* (*Rom.* IV. 15.) Sic ergo jacens cùm se quisque cognóverit, per seipsum surgere non valere, imploret Libe-

ratoris auxilium. Venit ergo gratia quæ donet peccata præterita, et conantem adjuvet, et tribuat charitatem justitiæ, et auferat metum.

N. 18. Liberum ergo arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantùm ut peccare nolimus. Gratia verò efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus: non viribus nostris, sed Liberatoris auxilio.

Serm. 8. *De decem plag. et præcept. cap.* 11. *n.* 13. Nemo implet legem, nisi per gratiam Spiritûs sancti.

Serm. 15. *aliàs de tempore* 254. *de* 8. *v. Psal.* XXV. *cap.* 9. *n.* 9. Jam tecum in corde tuo litigavit infirmitas: invoca, ut vincas; adsit tibi Deus, adjuvet qui jubet.

Serm. 56. *aliàs de diversis* 48. *in Evang. Matth.* 6. *de Orat. Dominic. ad Compet. cap.* 5. *n.* 7. Quare ergo dico, *Fiat voluntas tua in cœlo et in terra:* et non dico, Fiat voluntas tua à cœlo et à terra? Quia quod fit à te, ipse facit in te. Nunquam fit à te, quod non ipse facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit à te: nunquam autem aliquid fit à te, si non facit in te.

Serm. 110. *aliàs* 31. *de verb. Evang. Luc.* 13. *cap.* 2. *n.* 2. Multum sibi dat homo. Et quid est homo? Justus homo magnum aliquid est homo. Sed tamen justus homo, gratiâ Dei est justus homo. Nam, *quid est homo*, nisi *quòd memor es ejus.* (*Psal.* VIII. 5.) Vis videre quid est homo? *Omnis homo mendax....* (*Psal.* CXV. 11.) Homo ergo, si vult esse aliquid boni, non sit de suo proprio. Si enim de suo esse voluerit, mendax erit. Si verax esse voluerit, de Dei, non de suo erit.

Serm. 163. *aliàs* 3. *de verb. Apost. Galat.* V. *cap.* 10. *n.* 10. Volo ut velis; sed non sufficit ut velis. Adjuvandus es ut plenè velis, et impleas quod velis.... Quid fecit gratia? *Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.* (*Rom.* V. 20.) Venit Dominus: totum quod de Adam traxisti, totum quod tuis pravis moribus addidisti, totum dimisit, totum delevit; orationem docuit, gratiam promisit: certamen indixit, laboranti subvenit, victorem coronavit.

Cap. 11. *n.* 11. Si vis ergo evadere legem minantem, ad Spiritum fuge adjuvantem. Quod enim lex imperat, fides sperat. Clama ad Deum tuum, adjuvet te. Non remaneas sub littera reus, sed Spiritu suo te adjuvet Deus: ne tibi similis sit superbus Judæus... Qui promittit, quod facit promittit, non quod tu facis. Si tu facturus esses, prænuntiator esset Deus, non promissor. *Sed concludit*, inquit, *scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* (*Gal.* III. 22.) Audi, Daretur. Quid superbis? Audi, Daretur. *Quid enim habes, quod non accepisti?* (1. *Cor.* IV. 7.) Ergo quia aculeus mortis est peccatum, virtus autem peccati lex; et hoc de bona providentia Dei, ut concluderentur homines sub peccato, et quærerent adjutorem, quærerent gratiam, quærerent Deum, non de sua virtute præsumerent; ideò et hic cùm dixisset, *aculeus autem mortis peccatum, virtus autem peccati lex:* (1. *Cor.* XV. 56.) quid times? quid laboras? quid sudas? Audi quod sequitur: *Gratias autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* (*Ibid.* 57.)

Serm. 248. *aliàs de tempore* 148. *in diebus Paschalib.* 19. *cap.* 5. *n.* 4. Hæc decem præcepta nemo implet viribus suis, nisi adjuvetur gratiâ Dei.

Serm. 249. *aliàs* 21. *ex Vignerianis, in diebus Paschal.* 20. *n.* 3. Data est lex, sed *si data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset justitia.* (*Gal.* III. 21.) Nosti legem, et non facis legem; *Littera occidit:* ut autem facias quod nosti, *Spiritus autem vivificat.* (2. *Cor.* III. 6.)

Serm. 250. *aliàs* 22. *in diebus Paschal.* 21. *n.* 3. Ecce ista lex est in decem: quid prodest cùm dideceris, et non feceris? Prævaricator eris. Ut autem facias, auxilium necessarium est. Undè auxilium? De spiritu. Ergo *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* (*Id. Ibid.*)

Serm. 251. *aliàs de diversis* 4. *in diebus Paschal.* 22. *cap.* 7. *n.* 6. Si acceperis legem, et defuerit tibi adjutorium Spiritûs, non imples quod legis, non imples quod tibi jubetur: sed homo sub lege insuper prævaricator tenetur. Accedat Spiritus, adjuvet; et fit quod jubetur.... sed quid ait apostolus Paulus? *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* (2. *Cor.* III. 6.) Undè Spiritus vivificat? Quia facit impleri litteram, ne occidat. Isti sunt sancti, qui faciunt legem Dei ex dono Dei. Lex jubere potest, juvare non

potest. Accedit adjutor Spiritus ; et fit jussum Dei cum gaudio, cum delectatione.

Serm. 270. *aliàs* 22. *in die Pentecostes* 4. *n.* 3. Venit Spiritus sanctus, ut lex impleatur per gratiam. Lex enim sine gratia littera est occidens.... Ideò, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* (2. *Cor.* III. 6.) Non ut aliud impleas, quàm tibi per litteram jubetur : sed sola littera reum facit, gratia et à peccato liberat, et litteram donat impleri.... *Littera occidit.* Hoc est enim, littera reos facit. Datur præceptum, non adjuvaris gratiâ : continuò te invenis non solùm non operatorem legis, sed etiam reum prævaricationis.... *Littera occidit*, sola littera sine gratia..., Ergo missus est Spiritus sanctus, ut lex impleretur, et fieret quod ipse Dominus dixerat, *Non veni legem solvere, sed adimplere.* (*Matth.* V. 17.) Hoc donat credentibus, hoc donat fidelibus, hoc donat eis quibus dat Spiritum sanctum. Quantò fit eo quisque capacior, tantò ad operandam legem fit facilior.

N. 4. Si ergo charitas implet legem, ùndè est ista charitas ? Recolite, advertite, et videte, quia donum Spiritûs sancti est charitas. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis....* (*Rom.* V. 5.) Dominus Jesus Christus misit Spiritum sanctum : quia gratia donat nobis implere legem, quam *non venit solvere, sed adimplere.* (*Matth.* V. 17.)

De Civitat. Dei, lib. 15. *cap.* 6. Spiritus autem sanctus operatur intrinsecùs, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecùs. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creaturâ sibi subditâ in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos, quos istis similliмos habemus in somnis, nec interiore gratiâ mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus à vasis misericordiæ iræ vasa discernens, dispensatione quâ ipse novit multum occultâ, sed tamen justa. Ipso quippe adjuvante mirabiliбus et latentibus modis, cùm peccatum, quod habitat in membris nostris, quæ potiùs jam pœna peccati est, sicut Apostolus præcipit, * *non regnat in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI. 12.), nec ei membra nostra velut iniquitatis arma exhibemus, convertitur ad mentem non sibi ad mala, Deo regente, consentientem ; et eam regentem tranquilliùs nunc habebit.

Lib. 17. *cap.* 4. *n.* 3. * *Non est justus, sicut Deus noster* : tanquam sanctus et sanctificans, justus et justificans. *Non est sanctus præter te* : quia nemo fit nisi abs te. Denique sequitur : *Nolite gloriari superbè, et nolite loqui excelsa, neque exeat magniloquium de ore vestro. Quoniam Deus scientiarum Dominus.* (1. *Reg.* II. 3.) Ipse vos scit, et ubi nemo scit : *quoniam qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, seipsum seducit.* (*Galat.* VI. 3.) Hæc dicuntur adversariis Civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se non in Domino gloriantibus ; ex quibus sunt etiam carnales Israëlitæ, terrenæ Jerusalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apostolus, *ignorantes Dei justitiam*, (*Rom.* X. 3.) id est, quam dat homini Deus qui solus est justus et justificans ; *et suam volentes constituere*, id est, velut à se sibi partam, non ab illo impertitam : *justitiæ Dei non sunt subjecti*, utique quia superbi, de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo, qui est Deus scientiarum, atque idcò et arbiter conscientiarum, ubi videns *cogitationes hominum quoniam vanæ sunt*, (*Psal.* XCIII. 11.) si hominum sunt, et ab illo non sunt. *Et præparans*, inquit, *adinventiones suas.* Quas adinventiones putamus, nisi ut superbi cadant, et humiles surgant ? Has quippè adinventiones exsequitur, dicens, * *arcus potentium infirmatus est, et infirmi præcincti sunt virtute.* (1. *Reg.* II. 4.) Infirmatus est arcus, id est, intentio eorum qui tam potentes sibi videntur, ut sine Dei dono atque adjutorio humanâ sufficientiâ divina possint implere mandata, et præcinguntur virtute quorum interna vox est, *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* (*Psal.* VI. 3.)

De Bono Viduit. cap. 17. *n.* 21. Devitandi quorumdam sermonculi, qui per aures ad animos multorum serpere cœperunt, quod cum lacrymis dicendum est, inimici gratiæ Christi, per quos suadetur ut nec oratio nobis ad Dominum necessaria videatur, ne intremus in tentationem. Sic enim conantur defendere hominis liberum arbitrium, ut eo solo, etiam

Dei gratiâ non adjuti, valeamus, quod divinitùs jubetur, implere. Ac per hoc sequitur ut frustrà Dominus dixerit, *vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI. 41.), et frustrà quotidiè in ipsa Dominica oratione dicamus, * *Ne nos inferas in tentationem.* (*Matth.* VI. 13.) Si enim nostræ tantummodo potestatis est ne tentatione superemur, ut quid oramus ne intremus vel inferamur in eam? Faciamus potiùs quod nostri est liberi arbitrii atque absolutissimæ potestatis; et irrideamus Apostolum dicentem, *Fidelis Deus, qui non vos permittat tentari super id quod potestis* (1. *Cor.* X. 13.), et resistamus ei dicentes, Ut quid pelo à Domino, quod in mea posuit potestate? Sed absit ut hoc sapiat, qui sanum sapit. Proindè petamus ut det, quod ut habeamus jubet. Ad hoc enim quod nondùm habemus jubet ut habeamus, ut admoneat quid petamus; et cùm nos quod jusserit, posse invenerimus, etiam hoc undè acceperimus intelligamus; ne inflati et elati hujus mundi spiritu, nesciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Proindè arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam quà ipsum adjuvatur arbitrium non superbiâ negamus ingratâ, sed gratâ potiùs pietate prædicamus. Nostrum enim est velle: sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. Nam si nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quæ dantur, nec nos haberemus. Quis enim haberet continentiam, ut inter cætera Dei dona ipsam potiùs loquar, de qua ad te loquor: quis, inquam, haberet continentiam nisi volens? quia et nemo acciperet nisi volens. Sed à quo detur, ut nostra voluntate accipi et haberi possit, si quæris, attende Scripturam: immò quia nosti, recole quod legisti: *Cùm scirem*, inquit, *quia nemo esse potest continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* (*Sap.* VIII. 21.) Magna ista sunt duo munera, sapientia et continentia; sapientia scilicet quâ in Dei cognitione formamur, continentia verò quâ huic seculo non conformamur. Jubet autem nobis Deus, ut et sapientes et continentes simus, sine quibus bonis justi perfectique esse non possumus. Sed oremus ut det quod jubet adjuvando et inspirando, qui commovit quid velle debeamus præcipiendo et vocando. Quidquid hinc dedit, ut conservet oremus; quod autem nondùm dedit, ut suppleat oremus: tamen oremus et gratias agamus de acceptis, et quod nondùm accepimus, eo ipso quòd de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse fidamus.

Cap. 18. *n.* 22. Qui putant, cùm aliquos ad justitiam pietatemque exhortantur, vires non habituram exhortationem suam, nisi totum illud, quod ut agat homo, agunt cum homine, in hominis constituant potestate, non adjuta Dei munere, sed solo arbitrio liberæ voluntatis exserta: quasi possit esse ad perficiendum opus bonum voluntas libera, nisi Dei munere liberata. Nec attendunt idipsum etiam scipsos Dei dono habere, quòd eà facultate exhortantur, ut ad capessendam vitam bonam hominum voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent. Sic enim possunt persuadere quod suadent: aut si hæc in voluntatibus hominum non agunt, quid agunt? ut quid loquuntur? Dimittant eas potiùs arbitrio suo. Si autem in eis hæc agunt, itane tandem homo in hominis voluntate tanta agit loquendo, et Deus illic non agit aliquid adjuvando? Immò verò, quantalibet homo sermonis facultate præpolleat, ut solertiâ disputandi et suavitate dicendi in hominis voluntate inserat veritatem, nutriat charitatem, docendo tollat errorem, exhortando torporem: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* III. 7.) Frustrà quippe operarius omnia moliretur extrinsecùs, nisi Creator intrinsecùs latenter operaretur.

CÆLESTINI PP. I. *præteritorum sedis Apost. Episc. Auctoritat. de Grat. Dei. pag.* 1614. *Tom.* 2. *Concil. Edit. Labb.* 1. In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi cum gratia Dei misericordis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in Epistola ad Carthaginense concilium: » Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dùm suis inconsultiùs » utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil

» quemadmodùm exindè resurgere posset invenit : suaque in æternum » libertate deceptus, huic ruinæ subjacuisset oppressus, nisi eum postea » Christi per suam gratiam relevasset adventus, qui per novæ regenera- » tionis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro » purgavit. »

2. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Quod in iisdem scriptis ejusdem Pontificis sententia protestatur dicens : « Nunquid nos de eorum post hæc rectum » mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec » illum considerant, cujus quotidiè gratiam consequuntur, qui sine illo » tantum se assequi posse confidunt. »

3. Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Quod ejusdem Antistitis in eisdem paginis doctrina confirmat, dicens : « Nam quamvis hominem redemisset à præteritis ille » peccatis, tamen sciens iterùm posse peccare, ad reparationem sibi, » quemadmodùm posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quo- » tidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, » nullatenùs humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut » quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur. »

4. Quòd nemo nisi per Christum libero benè utatur arbitrio, idem magister in Epistola ad Milevitanum Concilium data prædicat, dicens : » adverte tandem, ò pravissimarum mentium perversa doctrina, quòd » primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dùm indulgentiùs frenis » ejus utitur, in prævaricationis præsumptionem conciderit. Nec ex hac » potuit erui, nisi providentia ei regenerationis statum pristinæ libertatis » Christi Domini reformasset adventus. »

5. Quòd omnia studia, et omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliundè ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zosimi regularis auctoritas, cùm scribens ad totius orbis Episcopos ait : « Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem » suum referenda sunt, undè nascuntur) ad fratrum et Coëpiscoporum » nostrorum conscientiam universa retulimus. » Hunc autem sermonem, sincerissimæ veritatis luce radiantem, tantò Afri Episcopi honore venerati sunt, ut ità ad eumdem virum rescriberent : Illud vero quod in litteris, » quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens : » *nos tamen instinctu Dei, et cætera* : sic accipimus dictum, ut illos qui » contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto » gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam » libero fecisti arbitrio, quàm quod universa in nostræ humilitatis con- » scientiam retulisti ? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapien- » terque vidisti, veraciter fideliterque dixisti. Idcò utique, quia præparatur » voluntas à Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus » suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, » hi filii Dei sunt : ut nec nostrum decesse sentiamus arbitrium, et in » bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere » non dubitemus auxilium. »

6. Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit ; quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur : « *Quod ergo tempus*, ait, *intervenit, quo ejus non egeamus auxilio ?* » *In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et* » *protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura* » *præsumat, clamante Apostolo :* » non est nobis colluctatio adversùs car- » nem et sanguinem, sed contra principes et potestates aëris hujus, contra » spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » (*Ephes.* VI. 12.) *Et sicut ipse iterum dicit* : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » (*Rom.* VII. 24. 25.) *Et iterum* : « Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua

» non fuit, sed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia » Dei mecum. » (1. *Cor.* XV. 10.)

7. Illud etiam, quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ sedis decretum amplectimur, quod scilicet tertio Capitulo definitum est : *Ut quicunque, etc.* suprà ex Concil. Afric. Milevit. 2. vel potiùs Carthag. Episc. 114. ann. 418.

8. Præter eas autem beatissimæ et Apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres, pestiferæ novitatis elatione dejectà, et bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque Sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium præsules mandatà sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et totà secum congemiscente Ecclesiâ postulant et precantur, « ut infidelibus donetur » fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis » ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ » fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, ut denique » catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cœlestis aula » misericordiæ reseretur. » Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ, et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

9. His ergo Ecclesiasticis regulis, et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur ; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, et velimus et agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut et nos operatores simus gratiæ Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, et redimit de interitu vitam, et cui quotidiè dicimus, *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* (*Matth.* VI. 13.)

AURELII, etc. *ad Innocentium Epist. inter* AUGUST. 175. *aliàs* 90. *n.* 2. *pag.* 618. Id enim agunt isti Pelagiani damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potiùs in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Christiani sumus, quâ et ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dùm à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino, *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis* (*Joan.* VIII. 36.) ; quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

N. 3. Illam verò gratiam.... nolunt omninò cognoscere ; sed nec apertè quidem oppugnare audent : sed quid aliud agunt, cùm hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt Spiritûs Dei persuadere non cessant, ad operandam perficiendamque justitiam et Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam ? Non attendentes quod scriptum est, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII. 26.) ; et *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.)

N. 4. *pag.* 619. Quàm sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessariò consequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, quod Dominus et Discipulos monuit, et posuit in oratione quam docuit (*Matth.* VI. 13.) : aut ne deficiat

fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. (*Luc.* XXII. 32.) Si enim hæc possibilitate naturæ, et arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta ; quis non ea videat à Domino inaniter peti et fallaciter orari, cùm orando poscantur quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur ? Nec debuisse dicere Dominum Jesum, *vigilate et orate* (*Matth.* XXVII. 41.) ; sed tantummodo, *vigilate, ne intretis in tentationem :* nec beatissimo Petro primo Apostolorum, *Rogavi pro te* (*Luc.* XXII. 32.) ; sed, Moneo te, vel impero ac præcipio, *ne deficiat fides tua.*

N. 5. Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur, quidquid eis à Domino precamur, ut rectè ac piè vivendo illi placeant ; vel illa quæ pro fidelibus precatur Apostolus, dicens, « Flecto genua mea ad Patrem Domini » nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nomi» natur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ virtute corroborari » per Spiritum ejus. » (*Eph.* III. 14. 15. *et* 16.) Si ergo voluerimus benedicendo super populum dicere : *Da illis Domine virtute corroborari per Spiritum tuum :* (*Bened. Epist.*) istorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate. « Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, » (*Pelagiani*) possumus ea possibilitate naturæ, quam nunc non acci» pimus, sed cùm crearemur accepimus. »

N. 6. *pag.* 620. Quicunque dogmatizat et affirmat humanam sibi ad vitanda peccata, et Dei mandata facienda sufficere posse naturam, et eo modo gratiæ Dei quæ sanctorum evidentiùs orationibus declaratur, adversarius invenitur.... anathema sit.

INNOC. *ad Patr. Concil. Carth. Epist.* 181. *aliàs* 91. *n.* 4. *p.* 636. Nam quid nos de his posthac rectum mentibus existimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cujus quotidiè gratiam consequuntur ? Sed jam isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant, accipere promerentur. Quid enim tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quàm huic te negare debere quidquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere quòd natus es ? Ergo eris tibi in providendo præstantior, quàm potest in te esse, qui te ut esses effecit ? Et cùm te putes ei debere quòd vivis, quomodò te non putas illi debere quòd quotidianam ejus consequendo gratiam taliter vivis ? Et qui nos adjutorio negas indigere Divino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfectos, quomodo non adjutorium ejus in nos, cùm tales à nobis etiam esse possumus, provocamus.

N. 5. Qui enim adjutorium Dei negat, vellem interrogare quid dicat, nos non mereri, an illum hoc non posse præstare ? An nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare ? Posse hoc Deum, opera ipsa testantur ; et adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus. Hoc enim seu benè vivimus provocamus, ut meliùs sanctiùsque vivamus ; seu pravè sentientes, à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solùm nobis putantes posse sufficere, quòd liberum arbitrium cùm nascemur accepimus, ultrà jam à Domino nihil quæramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus, quasi jam ampliùs quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit ? Nescientes quòd nisi magnis precibus in nos Dei gratia implorata descendat, nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conemur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.

N. 6. Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse Divino qui dignè hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset ; quippè cùm vir beatus et jam electus à Domino nihil egeret : tamen ita Deum deprecatur postulans, *adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* (*Ps.* XXVI. 9.) Nos nobis liberum arbitrium ; ille sibi Deum postulat adjutorem. Quòd nati sumus posse sufficere nos dicimus, ille Deum ne derelinquatur exorat.

N. 7. Nam quamvis redemisset hominem à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterùm posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ita corrigere, multa servavit: quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullalenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eò iterùm non adjuvante vincamur.

N. 8. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quâ dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se Catholicæ fidei, et Dei beneficiis profitetur ingratum.... Cùm enim hoc totum in nostra professione consistat, quotidianisque precibus nihil agamus nisi quemadmodum Dei misericordiam consequamur.

INNOC. *ad Patr. Synod. Milev. Epist.* 182. *aliàs* 93. *n.* 4. *pag.* 639. Cùmque in omnibus divinis paginis voluntati liberæ nonnisi adjutorium Dei legamus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam.... Ergo Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restitutâ nobis statûs pristini libertate, quæramus: quippè qui nec aliàs diaboli machinas, nisi eadem possumus juvante, vitare.

ARNOB. *Comment. in Psal.* CXVII. *pag.* 305. *Tom.* 8. *Bibl. PP. Lugd.* Oremus ut Dominus nobis adjutor esse dignetur contra inimicitias istas quas memoravimus, et tunc demùm non timebimus inimicos nostros. *Meliùs est* enim *confidere in Domino, quàm confidere in homine.* (*Ps.* CXVII. 8.) Nota tibi confidentiam quam teneas Christiane. Noli confidere in te, noli dicere, sic te liberum habere arbitrium, ut tu tibi in teipso confidas. Habes quidem liberum arbitrium, sed noli de eo præsumere; de Deo præsume, quia vinci non potest, nam liberum arbitrium vinci potest. *Bonum est confidere in Domino quàm in homine, aut in principibus.* (*Ibid.*) Si enim confidas in Domino, tunc poteris dicere: *Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eos.* (*Ibid.* 10.) Hoc libertas arbitrii dicere non potest; aut si dixerit, docebo eam apertè mentiri, aut certè ab initio seculi det mihi qui sine Dei auxilio evaserit, sive visibiles, sive invisibiles inimicos. Attende etiam in auxilio positis, quid accidat: *Impulsus sum*, inquit, *versatus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* (*Ibid.* 13.) Et subjungat si potest: *Fortitudo mea et laus mea* libertas arbitrii, et ipsa *facta est mihi in salutem.* (*Ibid.* 14.) Hoc si non potest dicere, imò quia non potest justè dicere, dicat se à Domino suscipi, et fortitudinem omnem auxiliis divinis adscribat... *Ejus* enim *dextera fecit virtutem* (*Ibid.* 16.), si quam in nobis habemus. Ejus dextera exaltat nos ex inferno inferiore. Ipse enim facit, « ut vivamus, et non moriamur, » ut narremus opera ejus. Ipse castigans, castigat nos in misericordia, » et morti non tradet nos. » (*Ibid.* 17. *et* 18.) Nunc fortè audiat me prædestinationem docens, et arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrii ita excludere, ut peccantes existimem Dei abjectione peccare. Quod peccamus, nostri arbitrii docebitur, quòd contemnimus gratiam. Vide quanta libertas est arbitrii tui, negetur à servo Dominus, ut dicat homo Deo: Nolo tibi credere; et faciat sibi templum ubi idolum colat, aut Synagogam ubi suum abneget Salvatorem. Quid ergo malum facimus, (*f.* facinus) per libertatem incurrimus, quia non dignatur Dominus justus coacta servitia. Si verò aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, qui bona omnia ad se confugientibus præstat, secundùm illud quod ipse dignatus est repromittere: *Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* (*Luc.* XI. 9.) Pulsemus ergo, et cum Prophetâ in isto Psalmo cantemus: *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus eas confitebor Domino.* (*Ps.* CXVII. 19.) Hæc nos clamamus adminiculis auxiliisque divinis, undè nobis vox responsionis eorum videtur audiri: Hæc porta quam pulsatis non est homini libertate concessa, sed est in Domini auxilio constituta, et soli *justi introibunt per eam. Confiteamur* ergo Domino, *quoniam ipse exaudit nos, et ipse nobis efficitur in salutem.* (*Ibid.* 20. *et* 21.)

Comment. in Psal. CXLVI. *pag.* 326. *Tom.* 8. *Biblioth. PP. Lugd.* Non enim virtute terrenâ vinci potest, qui contra nos terrenâ virtute non pugnat. Vires ergo equi, terrenæ vires sunt, quas Deus non in sua voluit extollentia gloriari, sed de sua pietate sperare permisit: * *Nec in viribus*, inquit, *equi, nec in tabernaculis viri beneplacitum est ei* (*Ps.* CXLVI. 10.),

id est, in confidentia habitationis suæ. Undè et Græcus non dicit in tabernaculis, sed *in tibiis*. Sive ergo, inquit, in cursu equi confidentem, sive in suis tibiis præsumentem contemnet Dominus. Quod nos latiùs dicimus, Qui confidit in libertate arbitrii sui, quòd per hanc fugiat, persequentem incurrit. Qui confidit in virtute cursùs sui spiritalis, quòd possit in tibiis suis stans immobilis permanere, non permanet. Nec ista dicens excludo, ne coneris stare; sed moneo ne te putes per liberum solum arbitrium fugere. Currat equus, sit paratus ad bellum. Sic enim scriptum est: *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* (*Prov.* XXI. 31.) Tamen dum curris dicito: Deus virtutem tribuit equo meo, ut curreret. Deus dedit tibiis meis perseverantiam, ut starem. Non ergo putes quòd te libertas arbitrii tui ita habeat, quasi navem per quam vis evadere Barbaros de littore, per quam vis evadere fluctibus pelagi, per quam vis ad patriam, quam desideras pervenire: sed si Dominus imperaverit ventis prosperis, et adversis flatibus silentium dederit, si latentes vados demonstraverit, et somnum tulerit gubernantibus nautis, et absque læsione portum ingredi fecerit, ages post hæc gratias Deo, non navi; gratias Deo, non nautæ. Nec ista dicentes excludimus navem et nautas, sed magis et navem ornamus et nautas, quibus Deum præsulem confitemur. Si enim navis non fuisset, utique quod Dominus gubernaret non esset. Si nautæ non essent, quos Dominus excitaret non essent. Si vela non essent, non essent quibus daret prospera flabra ventorum. Ita ergo dicamus, si arbitrium in te non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecum pax Dei. *In terra* enim *pax Dei cum hominibus bonæ voluntatis.* (*Luc.* II. 14.) Objicitur huic loco: nos hoc ita dicere, ut videamur hominis voluntatem ostendere, quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age et non calumniosè, et vide gratiam Dei generalem super omne hominum effusam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffusa. Descendit de cœlo Deus homine non volente. Docuit exemplo et verbo, homine non rogante: signa multa et virtutes ad se manifestandum exercuit, homine etiam prohibente. Mortalitatem nostram suscepit, homine ignorante, irrisus, crucifixus, inter homicidas mortuus, sepultus, resurrexit, et in cœlos ascendit. Hæc omnia ad hominis salutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis gloriam exercuit Christus. Nota tibi calumniose, quod dico ad hominis salutem, non volentis neque currentis. Quid est ergo quod legimus? Ostendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi prædestinate quod loquor, omnium generaliter bonam voluntatem Christi gratia hoc ordine quo diximus antecedit, si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus passus. Si non negas pro omnibus mortuum, si cum Apostolo asseris, quòd *omnes homines vult salvos fieri* (*Timoth.* II. 4.), age nunc, tolle te à generali gratia, ad specialem accede, et similiter cum Apostolo clama: Non omnis generaliter homo salvus erit, sed omnis homo, *quicunque invocaverit nomen Domini* hic *salvus erit.* (*Rom.* X. 13.) Vade ergo ad officinam medici, qui ultrò venit ad civitatem nostram. Non utique nobis rogantibus, omnibus nobis medicus supervenit, officinam aperuit et vocem emisit, quâ ac si præco exclamans dixit: *Venite ad me omnes.* (*Matth.* XI. 28.) Jam modò post hanc vocem antecedit voluntas gratiam. *Si* enim *volueritis*, inquit, *et audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis. Si autem nolueritis, gladius vos comedet.* (*Isai.* I. 19. *et* 20.) Sicut ergo antecessit gratia voluntatem hominis, in ostensione sui, et in adapertione veritatis, ita antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim priùs baptizaris, et sic velle incipis credere: sed priùs voluntatem tuam perfectam exhibes Sacerdoti, et confessionem tuam tuis labiis pandis: et ita demùm ad Dei gratiam ut consequaris, attingis. Quam consecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo, et desiderando consecutus es.... Humana enim natura imbecilla cùm sit, minimè sanè absque divini nutùs subsidio præstare quidquam boni potest.

CASSIAN. *Collat. tert. cap.* 10. Per quod manifestè probatur, et initium nostræ salutis Domini vocatione fieri dicentis, *Exi de terra tua*; (*Genes.* XII. 1.) et consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cùm dicit, *Et veni in terram, quam tibi monstravero*, id est, non

quam tu ex temetipso nosse, vel industriâ tuâ poteris reperire, sed quam ego tibi non solùm ignoranti, sed etiam non inquirenti monstravero. Ex quo manifestè colligitur quòd quemadmodum inspiratione Domini provocati, ad viam salutis accurrimus: ita etiam magisterio ipsius, et illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis pervenimus.

Cap. 15. Ipsum etiam intellectum beatus David, quo mandata Dei possit agnoscere, quæ utique in libro legis noverat esse perscripta, à Domino postulat promereri, dicens: *servus tuus ego sum, da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* (*Ps.* CXVIII. 34.) Qui utique et intellectum semel sibi per naturam præstitum possidebat, notitiam quoque mandatorum Dei, quæ descripta tenebantur in lege, utique habebat in promptu: et tamen ut hanc pleniùs apprehendat, Dominum deprecatur, sciens nequaquam sibimet sufficere posse id quod per naturam conditionis insertum est, nisi quotidianâ Domini illuminatione ad intelligendam spiritualiter legem ac mandata ejus apertiùs agnoscenda, sensus ipsius ab eodem fuerit illustratus; ipso etiam vase electionis hoc quod dicimus clariùs prædicante: *Deus est enim qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Et rursùm: *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus intellectum.* (2. *Tim.* II. 7.) Quid potuit apertiùs dici, quàm ut et bonam voluntatem nostram, et operis consummationem à Domino in nobis pronunciaret impleri? Et iterum, *Quia vobis donatum est pro Christo non solùm, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* (*Philipp.* I. 29.) Hic quoque et initium conversionis ac fidei nostræ, ac passionum tolerantiam donari nobis à Domino declaravit. Quod intelligens David quoque similiter orat, sibi hoc ipsum Domini miseratione concedi, dicens: *Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis;* (*Psal.* LXVII. 29.) ostendens non sufficere sibi salutis principia dono Dei gratiaque collata, nisi fuerint eadem miseratione ipsius et quotidianâ opitulatione perfecta. Non enim liberum arbitrium, sed *Dominus solvit compeditos* (*Ps.* CXLV. 7.); non nostra virtus, sed *Dominus erigit elisos* (*Ibid.* 8.); non lectionis industria, sed *Dominus illuminat cæcos*, quod Græcè dicitur *kurios sophoi tuphlous*, id est, *Dominus sapientes facit cæcos;* non nostra cautio, sed *Dominus custodit advenas* (*Ibid.* 9.); non nostra fortitudo sed Dominus *allevat* sive suffulcit *omnes qui corruunt.* (*Ps.* CXLIV. 14.) Hæc autem dicimus, non ut studium nostrum vel laborem atque industriam quasi inaniter et superflùe impendendo vacuemus; sed ut noverimus nos sine auxilio Dei, nec adniti posse nec efficaces nostros esse conatus ad capessendum tam immane præmium puritatis, nisi nobis adjutorio Domini ac misericordiâ fuerit contributum. *Equus enim paratur in diem belli, à Domino autem est adjutorium* (*Prov.* XXI. 31.); *quia non est in fortitudine potens vir* (1. *Reg.* II. 9.); et *mendax equus ad salutem* (*Ps.* XXXII. 17.); ut *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) Oportet igitur nos semper cum beato David canere, *Fortitudo mea et laudatio mea*, non liberum arbitrium, sed *Dominus, et factus est mihi in salutem.* (*Ps.* CXVII. 14.) Quod Doctor quoque gentium non ignorans idoneum se factum ministerio novi testamenti, non suo merito nec sudore, sed Dei miseratione, proclamat: « Non quòd simus, inquit, idonei cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. (2. *Cor.* III. 5.) » Quòd minùs latinè sed expressiùs dici potest, Idoneitas nostra ex Deo est. Denique sequitur, *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* (2. *Cor.* III. 6.)

Cap. 16. *pag.* 365. In tantum autem universa, quæ ad salutem pertinent, Apostoli sibimet à Domino largita senserunt, ut ipsam quoque fidem præstari sibi à Domino postularent, dicentes, *Domine auge nobis fidem.* (*Luc.* XVII. 5.) Plenitudinem ejus non libero arbitrio præsumentes, sed Dei sibi credentes munere conferendam. Denique docet nos idem auctor salutis humanæ, quàm ipsa fides nostra lubrica sit, et infirma, et nequaquam sibi sufficiens, nisi fuerit auxilio Domini roborata, dicens ad Petrum: * *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret vos tanquam triticum, sed ego rogavi Patrem meum ne deficeret fides tua.* (*Luc.* XXII. 31.) Quod alius in semetipso sentiens fieri, et quodammodo fidem suam infidelitatis fluctibus ad perniciosi naufragii videns scopulos perurgeri, ad eumdem Dominum auxilium fidei suæ postulans, dicit: * *Domine*

adjuva infidelitatem meam. (*Matth.* IX. 23.) In tantum illaque senserunt Evangelici et Apostolici viri universa quæ bona sunt, auxilio Domini consummari, et ne ipsam fidem suam confessi sunt illæsam se posse suis viribus, vel arbitrii libertate servare, ut hanc vel adjuvari in se, vel donari sibi à Domino postularent. Quæ si in Petro ne deficeret, Domini egebat auxilio, quis erit tam præsumptor et cæcus, qui se ad hujus custodiam quotidiano Domini credat adjutorio non egere? præsertim cùm ipse Dominus in Evangelio hoc ipsum evidenter expresserit dicens, *sicut palmes non potest fructum facere à semetipso nisi in vite manserit, ita et vos nisi in me manseretis* (*Joan.* XV. 41.); et iterùm : *Quia sine me nihil potestis facere.* (*Ibid.* 5.) Quàm sit igitur ineptum ac sacrilegum quidquam de bonis actibus nostræ industriæ, et non Dei gratiæ vel adjutorio deputare, manifestè probatur Dominicâ protestante sententiâ, sine sua inspiratione, vel cooperatione spiritales fructus exhibere neminem posse. *Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum, desursùm est descendens à Patre luminum.* (*Jacob.* I. 17.) Zacharias quoque, *quia si quid bonum, ipsius est, et si quid optimum ab ipso.* (*Zachar.* IX. 17.) Ideò constanter beatus Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti? quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.)

Cap. 17. *pag.* 366. Summam quoque tolerantiæ, quâ tentationes illatas sustinere possimus, non tam in nostra virtute quàm in Dei misericordia, et moderatione consistere, beatus Apostolus ita pronuntiat : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana : fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione exitum, ut sustinere possitis.* (1. *Cor.* X. 13.) Deum quoque aptare sive confirmare animos nostros ad omne opus bonum, et operari in nobis ea quæ sibi sunt placita, idem Apostolus docet ; *Deus autem pacis qui eduxit de tenebris pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Jesum Christum, aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placet coram se.* (*Hebr.* XIII. 20. *et* 21.) Quod etiam Thessalonicensibus ut eveniat ita precatur, dicens : *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus pater noster qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.* (2. *Thess.* II. 15. *et* 16.)

Cap. 18. *pag.* 367. Ipsum denique timorem Dei, quo firmiter eum tenere possimus, à Domino nobis infundi, Jeremias Propheta ex persona Dei manifestè testatur, ita dicens : *Et dabo eis cor unum et animam unam, ut timeant me universis diebus, et benè sit eis, et filiis eorum post eos. Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant à me.* (*Jer.* XXXII. 39. *et* 40.) Ezechiel quoque : *Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum.* (*Ezech.* XI. 19. 20. *et* XXXVI. 26. 27. *et* 28.

Cap. 19. *pag.* 367. Quibus manifestissimè perdocemur, et initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante concedi, cùm aut per se, aut per exhortationem cujuslibet hominis, aut per necessitatem nos ad salutis attrahit viam, et perfectionem virtutum ab eodem similiter condonari.

Cap. 20. *pag.* 368. Credere tamen inconcussâ fide nos convenit, nihil sine Deo prorsùs in hoc mundo geri. Aut enim voluntate ejus, aut permissu agi universa fatendum est, ut scilicet hæc quæ bona sunt, voluntate Dei perfici auxilioque credantur : quæ autem contraria sunt, permissu ; cùm pro nequitiis ac duritia cordis nostri deserens nos divina protectio, diabolum nobis, vel ignominiosas corporis passiones patitur dominari.

Collat. 4. *cap.* 4. *pag.* 372. Dispensationis autem vel probationis Domini duplex causa est. Prima ut paulisper ab ipso derelicti, et mentis nostræ humiliter intuentes infirmitatem, et nequaquam super præcedente puritate cordis, quæ nobis illius est visitatione donata, nullatenùs extollamur, probantesque nos ab eodem derelictos, gemitibus nostris, et industriâ, illum lætitiæ ac puritatis statum recuperare non posse intelligamus, et præteritam cordis alacritatem non nostro studio, sed illius dignatione nobis fuisse collatam, et præsentem de ipsius rursùm gratia et illumi-

natione esse poscendam. Secunda verò probationis est causa, ut perseverantia nostra, vel mentis constantia et desiderium comprobetur, quaque intentione cordis, et orationum instantiâ, deserentem nos visitationem sancti Spiritûs requiramus, manifestetur in nobis: ac pariter agnoscentes quanto labore amissum istud spiritale gaudium et puritatis lætitia conquiratur, sollicitiùs inventam custodire, ac tenere intentius studeamus. Quodammodò enim negligentiùs custodiri solet, quidquid creditur facilè posse reparari.

Cap. 5. *pag.* 373. Per quæ evidenter probatur, gratiam Dei ac misericordiam semper operari in nobis ea quæ bona sunt. Qua deserente, nihil valere studium laborantis, et quantumlibet animi nitentis industriam sine ipsius iterùm adjutorio statum pristinum recuperare non posse, illudque jugiter in nobis impleri: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Quæ gratia nonnunquam è contrario negligentes ac resolutos inspiratione hac, quâ dicitis, sanctâ, et abundantiâ spiritalium cogitationum visitare non renuit, sed inspirat indignos, exsuscitat dormientes, et illuminat obsessos ignorantiæ cæcitate, clementerque nos arguit atque castigat, infundens se cordibus nostris, ut vel sic de inertiæ somno compunctione ipsius instigati consurgere provocemur. Denique frequenter etiam odoribus ultra omnem suavitatem compositionis humanæ in his ipsis subitò visitationibus adimplemur, ita ut mens hac oblectatione resoluta in quemdam spiritûs rapiatur excessum, seque commorari obliviscatur in carne.

Cap. 6. *pag.* 373. In tantùm verò illum, quem diximus, abscessum, et ut ita loquar, desertionem Dei, beatus David utilem esse cognovit, ut nequaquam maluerit orare ne à Deo penitùs in nullo relinqueretur. Hoc enim sciebat incongruum esse vel sibi vel humanæ naturæ ad quamlibet pervenienti perfectionem; sed temperari eam potiùs deprecatus sit, dicens; *Non me derelinquas usquequaque.* (*Psal.* CXVIII. 8.) Ac si diceret aliis verbis: Scio quòd derelinquere soleas utiliter tuos sanctos, ut eos probes, aliter enim ab adversario tentari non possunt, nisi à te paulisper fuerint derelicti; et ideò non rogo, ut nunquam me derelinquas; quia non expedit mihi, ut non vel meam infirmitatem sentiens dicam, *Bonum mihi quia humiliasti me* (*Ibid.* 71.); vel exercitium non habeam præliandi, quod sine dubio habere non potero, si mihi semper et indisruptè cohæserit protectio divina. Suffultum namque me tuâ defensione lentare diabolus non audebit, illud objiciens et exprobrans, vel mihi, vel tibi, quod adversùs athletas tuos solet calumniosâ voce proferre, * *Nunquid gratis Job colit Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum?* (*Job.* I. 9. 10.) Sed magis peto ne me usquequaque deseras... Quantùm enim mihi utile est si me paululùm subrelinquas, ut desiderii mei constantia comprobetur: tantùm noxium est si pro meritis ac delictis meis nimiùm me deseri patiaris: quia nulla virtus humana si diutiùs in tentatione tuo deseratur auxilio, suâ poterit constantiâ perdurare, et non protinùs adversarii vel potentiâ vel factione succumbere, nisi tu ipse, qui es humanarum virium conscius, ac luctaminum moderator, *non permiseris tentari nos super id quod possimus, sed feceris cum tentatione etiam exitum ut sustinere possimus.* (1. *Cor.* X. 13.) Tale quid et in Judicum libro super exterminatione gentium spiritalium, quæ adversantur Israeli, mysticè legimus designatum: *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, et haberent consuetudinem cum hostibus præliandi* (*Judic.* III. 1. *et* 2.): et iterum post pauca: *Dimisitque eos Deus, ut in ipsis experiretur Israëlem, utrum audirent mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysis, an non.* (*Ibid.* 4.) Quam utique pugnam non invidens Deus quieti Israëlis, nec malè eidem consulens, sed sciens esse utilissimam, reservavit, ut dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere, et ob id semper in ejus meditatione et invocatione persistens; nec inertiâ solveretur, nec bellandi usum et exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos superare non potuerunt adversa, securitas et prosperitas dejecerunt.

De protect. Dei collat. 13. *cap.* 3. *pag.* 593. *Cheremon.* Hoc ipso quod proposuistis exemplo, evidentiùs approbatur nihil posse proficere, sine adju-

torio Dei, laborantis industriam. Nec enim agricola, cùm omnes conatus suos in excolendis expenderit terris, confestim etiam proventum segetum et ubertatem frugum suæ poterit industriæ deputare, quem irritam esse frequenter expertus est, nisi eam et pluviarum opportunitas, et hyemis tranquilla serenitas subsequatur : ita ut adultos jam fructus ac perfecta maturitate solidatos, quodammodo de manu tenentium viderimus plerumque præreptos, nihilque laborantibus illam jugem sudoris instantiam contulisse, quia non fuit Domini opitulatione directa. Sicut igitur inertibus agricolis, qui sua frequenter vomere arva non subigunt, hanc ubertatem segetum pietas divina non confert, ita laborantibus pernox sollicitudo non proderit, nisi misericordia Domini fuerit prosperata. In quo tamen humana superbia nullatenùs se gratiæ Dei vel exæquare vel admiscere contendat, participemque se in muneribus Dei per hoc conetur inserere, ut laborem suum auctorem esse divinæ existimet largitatis ; ac proventum copiosissimarum frugum industriæ suæ meritis respondisse glorietur. Consideret namque ac veridicâ examinatione perpendat, quòd ne ipsos quidem conatus, quos pro desiderio opulentiæ intentus exercuit, suis viribus impendere potuisset, nisi eum ad exercendum omne opus ruris, protectio Domini ac misericordia roborasset : et inefficax ejus voluntas fuisset ac virtus, nisi etiam peragendi copiam, quæ nonnunquam vel siccitatis vel imbrium nimietate fraudatur, divina clementia præstitisset. Nam cùm et bonum virtutis, et sanitas corporis, et omnium effectus operum actuumque prosperitas à Domino fuerit condonata, orandum est ne fiat ei, sicut scriptum est, *cœlum æreum et terra ferrea* (*Deut.* XXVIII. 23.) ; et ne *residuum locustæ comedat bruchus, et residuum bruchi eruca devoret, et residuum erucæ rubigo consumat.* (*Joël.* 2. *et* 4.) Nec in hoc tantùm eget divinitatis auxilio agricolæ laborantis industria, nisi etiam insperatos avertat casus, quibus etiamsi desideratà fructum fecunditate ager fuerit opimatus, non solùm spei suæ vanâ exspectatione frustrabitur, verùm etiam perceptarum et recondilarum jam vel in arca vel in horreo frugum ubertate fraudabitur. Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi : *Omne enim datum bonum et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum* (*Jacob.* I. 17.), qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis ; dicente Apostolo, *Qui autem dat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et crescere faciet fructus justitiæ vestræ.* (2. *Cor.* IX. 10.) Nostrum verò est, ut quotidiè attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur, vel cerlè *durâ cervice et incircumcisis*, ut scriptum est, (*Act.* VII. 51.) *cordibus et auribus* eidem resistentes, per Jeremiam mercamur audire, * *Nunquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosâ? Induraverunt cervices suas, noluerunt reverti.* (*Jerem.* VIII. 4. *et* 5.)

S. FULGENT. *de fide ad Petr. Diacon. lib.* 1. *pag.* 360. Firmissimè tene, et nullatenùs dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis et Evangelii sive legere, sive exore cujusquam prædicatoris audire : sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratiâ suâ prævenerit : ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitùs bonâ voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit. *Neque* enim *qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (1. *Cor.* III. 7.), *qui etiam operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.)

Epist. 4. *cap.* 3. Profectui spiritali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet : sed humili corde à Deo poscat jugem custodiam accepti muneris, à quo emanat totius bonæ, non tantùm principium sed etiam perfectio voluntatis : neque enim Jacobi Apostoli prædicatio aliquâ potest argumentatione cassari, dicens : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum.* (*Jacob.* I. 17.) Nec quisquam hominum, sive ad cogitandum, sive ad operandum quodcunque bonum, potest esse idoneus,

nisi fuerit munere gratuito divinæ opitulationis adjutus. *Deus est enim qui operatur in suis et velle et perficere, pro bona voluntate*, sicut vas electionis affirmat. (*Philip.* II. 13.) Quo etiam docente cognovimus, *quia non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* (1. *Cor.* III. 5.) Ille igitur nobis omnem sufficientiam subministrat, cujus non minuitur pleniludo cùm donat. Qui nobis omne bonum benignè largitur, ut habeamus : et in seipso sine diminutione permanet plenus, quod nec angelica potest, nec humana præstare natura : Ac sic nulla, licèt spiritalis, tamen creata substantia, quia omne quod creatum est, sicut antequam crearetur non fuit, sic antequam acciperet habere non potuit. Et sicut subsistere non potest, sine illius operatione qui fecit, sic bonum non potest velle seu facere, nisi Deus dignetur jugiter adjuvare. Ab ipso namque est initium bonæ voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso datur perseverantia bonæ conversationis.

Ad Theod. de Convers. Epist. 6. *cap.* 6. *pag.* 472. Quoniam Domino in te misericorditer operante, jam didicisti, in abundantia divitiarum tuarum non gloriari : hoc superest, ut non confidas in virtute tua, id est, ne deputes viribus tuis quòd seculi facultates divitiasque contemnis, quòd honores mundi pro nihilo ducis, quòd desiderio regni cœlestis accenderis, quòd viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenùs haberes, nisi à Deo munere gratuitæ donationis acciperes. Non hoc homini dat natura, sed gratia : non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate divinæ illuminationis acquiritur. Homo quidem sic à Deo factus est, ut hæc habere possit : sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit. Nam et oculus sic factus est, ut videre lumen possit : sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quòd ergo videt oculus, beneficium est luminis : quo si caruerit, cæcus remanebit in tenebris. Non omne, quod aliquid esse potest, jam hoc est quod esse potest, cui naturaliter hoc est esse posse quod semper est.... Ut ergo quædam in deteriora non recidant, gratia ejus gubernat : et ut quædam ad meliora conscendant, gratia ipsius elevat : et ut in æternum permaneant, ipsa gratia vivificat et conservat.

Epist. Synod. Episcop. Afric. in Sard. exul. de grat. Dei, et humano arbitr. inter opera S. FULGENT. *pag.* 595. A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis et operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui : ut discat homo non in se, sed in Domino gloriari. Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus assignabat Apostolus, quando dicebat : *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est....* (2. *Cor.* III. 4. *et* 5.) Scienda est, Dilectissimi, et recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quàm divinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?* (1. *Cor.* IV. 7.) Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proindè nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce. Nam et oculus ad videndum factus est : sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est lux vera, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* (*Joan.* I. 9.) illuminat autem hominem, seipsam dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum possit aspicere : sic et libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritalis infusio.

S. LEO MAGN. *Serm.* 4. *in annivers. assumption. suæ ad Pontific.* 4. *cap.* 4. Piè et veraciter confitemur, quòd opus ministerii nostri in omnibus quæ rectè agimus Christus exsequitur ; et non in nobis qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui possibilitas nostra est, gloriamur.

S. GREG. *Regist. libr.* 7. *indict.* 15. *Epist.* 4. *ad Cyriac. Episc.* Homo ex paradiso, et Angelus de cœlo peccando cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda est, et gratia postulanda, sine quo nusquam absque culpa, cum quo nusquam sine justitia.

Lib. 10. *indict.* 3. *Epist.* 49. *ad Adcodat.* Illa ergo appetenda, illa sum-

mopere diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad eorum desiderium anhelare sine divinæ misericordiæ gratia nullus valet, oramus omnipotentem Dominum ut hæc vobis et eligendi velle, et posse tribuat abstinendi : quatenùs et hic vos in suo timore vivere concedat, et posteà in sanctarum Martyrum sorte recipiat.

In lib. 1. *Reg. cap.* 3. *n.* 21. Quid est ergo, quod dicitur : *Pedes sanctorum suorum servabit* (1. *Reg.* II. 9.), nisi quia debilis est omnis virtus hominis, sine auxilio Conditoris? Infirma quippe humilitas nostra, dum prosperitatis favore mulcetur, ab ineptæ lætitiæ impulsu prosternitur. Infirma fortitudo nostra, dùm adversitate impingitur, leviter superatur. Sed tristibus elidimur, lætis enervamur : cùm nos nobis omnipotens Deus deserit, non cùm auxilium suæ protectionis impendit. Dicit ergo : *Pedes sanctorum suorum servabit* : quia omnipotens Deus infirmitatem nostram in ferendis subditorum nostrorum oneribus adjuvat; ut nos nec adversa atterant, nec læta seducant. Tunc quidem à Domino pedes nostri servantur, cùm divino auxilio roborati obviantia mundi læta contemnimus, adversa nulla formidamus : cùm stabili patientiâ gratanter mala ferimus, et inconcussâ humilitate sublimem animum à vana delectatione refrenamus.

Expos. sup. Cant. Cant. cap. 8. *n.* 4. Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente, ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe veritas omnibus fidelibus ait : *Sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

Exposit. in sept. Psalm. Pœnit. Psalm. VII. *n.* 7. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* (*Ps.* CXLII. 6.) Hoc est propter quod magis timoratus quisque se ad benè operandum excitat, si se non extollat de meritis, si in se superbiam humanæ præsumptionis exstinguat, si nihil se esse reputet, si virtutis incrementum à Conditore exspectet. Idcoque ait : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quasi enim terra sine aqua, est anima sine gratia; sicut enim terra quæ imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe : sic anima gratiâ carens non operitur virtutibus, non cogitat de cœlestibus, non insistit utilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, jam nec velle quidem bonum possumus, nisi illius gratiâ adjuvemur apud quem gressus hominis diriguntur. Scriptum quippe est : *Præparatur voluntas à Domino.* (*Prov.* VIII. 35. *sec.* LXX.) Et Dominus discipulis ait : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* (*Joan.* XV. 16.) Et Apostolus *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Et iterùm : *Gratia Dei salvati estis, per fidem.* (*Ephes.* II. 8.) Si ergo fidem sine gratia Dei nemo habet, quis se facere fructum æstimet sine adjutorio illius, qui ait : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat?* (*Joan.* XV. 16.) Quicunque enim plantet aut riget, incassùm vox correptionis exteriùs perstrepit, nisi ille incrementum dederit, sine quo nihil possumus facere. (1. *Cor.* III. 7.)

In Ezech. lib. 1. *Homil.* 9. *pag.* 1250. *n.* 1. *Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me super pedes meos.* (*Ezech.* II. 2.)

N. 2. Ecce divina vox jacenti Prophetæ jussit ut surgeret. Sed surgere omninò non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset : quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cùm discipulos admoneret, dicens. *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philip.* II. 12.) illicò quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit, dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Ibid.* 13.) Hinc est quòd ipsa veritas discipulis dicit : *Sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Sed in his considerandum, quia sic bona nostra si omnipotentis Dei dona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodò nostra sunt; bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra : quia ipse adspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, et bonâ voluntate subsequente, hoc quod

omnipotentis Dei donum est fit meritum nostrum. Quod benè Paulus brevi sententiâ explicat, dicens : *Plus illis omnibus laboravi* (1. *Cor.* XV. 10.) Qui ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* (*Ibid.*) Quia enim cœlesti dono præventus est, quasi alienum se à bono suo opere agnovit, dicens : *Non autem ego.* Sed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bonum, quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit : *sed gratia Dei mecum.* Ac si diceret : In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In hoc enim quòd solo Domini dono præventus sum, non ego : in eo autem quòd donum voluntate subsecutus, et ego.

N. 3. Jam jacentes vox Domini consolatur ut in opere surgamus, quod tamen nos facere nostrâ virtute non possumus. Ipsius ergo nos Spiritus implet et levat, et super pedes nostros statuit : ut qui proni in pœnitentia pro culpa jacuimus, recti postmodum in bono opere stemus.

ISID. HISPAL. Episc. *Comment. in Lib.* 1. *Reg. cap.* 10. *pag.* 503. Sed quid fecit David, ut lex ipsa utilis esset ? Accepit gratiam, quæ legem implere posset. Lex enim sine gratia impleri non potest : plenitudo enim legis charitas. Quia ergo gratia fecit impleri legem, significatur gratia lacte. Hoc enim est in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, sed satagit dare. Hoc mater gratis dat, et contristatur si desit qui accipiat.

CASSIODOR. *Exposit. in Cant. Canticor. cap.* 4. *v.* 14. *Cypras* ergo in horto Ecclesiæ nascitur, cùm fideles quique docentur gratiam cœlestem omnibus præferre, et per illam salutem sperare. Nemo enim suis virtutibus, sed solâ gratiâ Dei salvari potest.

BEDÆ Presbyt. *Comment. in Psal.* XXXI. *pag.* 461. Nemo vel libertatem arbitrii vel merita sua sufficere sibi ad beatitudinem credat, sed solâ gratiâ Dei se salvari posse intelligat. Quæ verè dicitur gratia gratis data, quia non eam præcedentia conferunt merita. Totum per quod salvamur, soli gratiæ est adscribendum.

In Evang. Joan. cap. 1. *pag.* 457. *Et de plenitudine ejus nos accepimus, gratiam pro gratia.* (*Joan.* I. 16.) Plenus quippe erat Dominus Spiritu sancto, plenus gratiâ et veritate ; quia sicut Apostolus ait : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* (*Coloss.* II. 9.) De cujus plenitudine nos omnes juxta modum nostræ capacitatis accepimus, quia *unicuique nostrùm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi...* (*Ephes.* IV. 7.) Quia ergo de plenitudine Conditoris nostri non quiddam, sed quidquid boni habemus accepimus, curandum summopere est, ne quispiam de sua se bona actione vel cogitatione incautus extollat : ne si ingratus largitori remanserit, perdat bonum, quod accepit... Ut credamus, ut diligamus, ut operemur bona, quæ novimus, non ullis præcedentibus meritis nostris, sed ipso largiente percepimus, qui dicit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis* (*Joan.* XV. 16.), et ut vitam propter fidem, dilectionem et opera bona percipiatis. Æterna gratia est, quia ne à bono deviemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur : *Deduc me Domine in via tua, et ambulabo in veritate tua.* (*Psal.* LXXXV. 11.) *Quia lex per Moysen, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* I. 17.) Lex quidem per Moysen data est : in quâ, quid agendum, quid vitandum sit, cœlesti jure decernitur : sed quod illa præcepit, non nisi gratiâ Christi completur : illa siquidem monstrare peccatum, justitiam docere, et transgressores sui reos ostendere valebat : porrò gratia Christi diffusa per spiritum charitatis in cordibus fidelium, facit ut quod lex præcepit, impleatur. Undè illud, quod scriptum est ; *non concupisces* (*Exod.* XX. 17.) : per Moysen lex quia jubetur : sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur, impletur.

In 1. *ad Corinth. cap.* XV. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* XV. 10.) Non quia ipse nihil boni agebat : sed quia nihil ageret, si ille non adjuvaret.

In Epist. ad Philipp. cap. 2. *pag.* 626. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Quando jubet ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium. Sed ideò cum timore et tremore, ne sibi tribuendo quòd benè operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus. Tanquam ergo interrogaretur Apostolus et diceretur ei, Quare dixisti *in timore et tremore*

(*Philip.* II. 12. 13.), horum verborum rationem reddidit, dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis.* Si enim timetis et tremetis, non extollamini tanquam de vestris operibus bonis : *quia Deus est qui operatur in vobis.*

Audi vocem Apostoli : *Cùm timore*, inquit, *et tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quare cum timore et tremore?* Subjecit causam : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* Si ergo Deus operatur in te, gratiâ Dei operare, non viribus tuis. (*S. Aug. Tr. in Psal.* LXV.) Ergo si gaudes, et time, ne fortè quod datum est humili, auferatur superbo. (*S. Aug. serm. de Verb. Ap.* 2.) Mirum est autem quod prædicato Christo crucifixo, audiunt duo, unus contemnit, alter ascendit. Qui contemnit imputet sibi, qui ascendit non arroget sibi. Audivit enim à veraci Magistro : *Nemo venit ad me, nisi datum ei fuerit à Patre.* (*Joan.* VI. 66.) Gaudeat quia datum est : gratias agat dati corde humili non arroganti : ne quod humilis meruit, superbus amittat. Nam etiam qui jam in ipsa via justa ambulant, si sibi eam tribuerint et viribus suis, pereunt de illa. Ideò humilitatem nos docens sancta Scriptura per Apostolum dicit : *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Et ne sibi indè aliquid darent, quia dixit *operamini*, continuò subjunxit : *Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Deus est qui operatur in vobis* : ideò cum timore et tremore vallem facite : imbrem suscipite. Depressa implentur : alta siccantur. Gratia pluvia est. Quid ergo miraris si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam? Ideò *cum timore et tremore*, id est, cum humilitate, *noli altum sapere sed time.* (*Rom.* XI. 20.) Time ut implearis, noli altum sapere ne siceeris, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

Nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari (*S. Aug. lib. de corr. et gratia*) : qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur et velle, ut quoniam non perseverabunt nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinæ gratiæ largitare donetur. Tantùm quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint quia sic volunt, ideò sic velint quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, et ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Dicente ergo Jesu Christo, *Rogavi pro te ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII. 32.), intelligamus ei dictum qui ædificatur super terram. Atque ita homo Dei non solùm quia misericordiam *consecutus est ut fidelis esset*, verùm etiam quia fides ipsa non deficit, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* Nos ergo volumus, sed *Deus in nobis operatur et velle.* Nos operamur, sed *Deus in nobis operatur : et operari pro bona voluntate* hoc nobis expedit: et credere et dicere, hoc pium et verum, ut sit humilis et submissa confessio, et detur totum Deo. (* *S. Aug. lib. de dono pers.*)

Proprium quippè arbitrium nisi Dei gratiâ juvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest. *Deus est enim*, inquit Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.), non sicut isti sentiunt tantummodò scientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus, sed etiam inspirando charitatem, ut ea qua discendo novimus etiam diligendo faciamus. Nam utique noverat ille quàm magnum bonum esset continentia qui dicebat : *Et cùm scirem, quia nemo potest esse continens nisi Deus det.* (*Sap.* VIII. 21.) Non solùm ergo sciebat quantùm esset hoc bonum, et quàm desiderabiliter esset concupiscendum, verùm etiam quòd nisi dante cum Deo esse non posset. Docuerat enim sapientia. Nam hoc dicit : *Et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum.* (*Id. Ibid.*) Nec tamen ei scientia ista sufficit, sed ait : *Adii Dominum, et deprecatus*

sum illum. Non igitur tantummodò in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit : verùm etiam ut amando agamus quod discendo jam scimus. Nemo itaque potest esse non solùm sciens, verùm etiam continens, nisi Deus det. Undè cùm jam ille haberet scientiam, precabatur ut esset in illo quod sciebat, quia non esset ex illo. Utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere spiritu sapientiæ, qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ. (*S. Aug. lib. de dono pers.*) Quomodo dicis quod te audio dicere : ut rectè credamus in Deum, et Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate quam nobis in nostro corde non operatus est ipse ? Et ad hoc cùm audieris : Quid est ergo quod ait Apostolus, *Deus in vobis operatur et velle?* Respondens per legem suam, per Scripturas suas Deum operari ut velimus, quas vel legimus vel audimus. Sed eis consentire vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus fiat : si autem nolimus, nihil in nobis Dei operationem valere faciamus. Operatur quippè ille, dicis, quantum in ipso est ut velimus, dum nobis nota fiunt ejus eloquia : sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit efficimus. Quæ si dicis, profectò nostris orationibus contradicis. Dic ergo apertissimè nos pro his quibus Evangelium prædicamus non debere orare ut credant, sed eis tantummodò prædicare. Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas. Et quando audis Sacerdotem Dei ad altare Dei exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem : et pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret : et pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent : subsanna pias voces, et dic te non facere quod hortatur, id est, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eò quòd non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis. Reprehende Apostolum Paulum quoniam dixit : *Oramus ad Deum ne quid faciatis mali.* (2. *Cor.* XIII. 7.) Neque enim dicturus es, nihil mali eum facere qui non credit in Christum, aut qui fidem deserit Christi. Ac per hoc qui dicit ne quid faciatis mali, nec ista vult fieri : satisque illi non est præcipere, sed confitetur se Deum rogare ne fiant : sciens hominis voluntatem ab ipso corrigi ac dirigi, ut ista non faciat. *A Deo enim gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet,* (*Ps.* XXXVI. 23.)

REMIG. Episc. *Explanat. in Epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 3. *pag.* 989. *Tom.* 8. *BB. PP. Lugd. Non quòd sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hic destruit omnem confidentiam liberi arbitrii, per quod multi putant se bonum aliquod agere sine Dei gratia ; et idcircò ista omnia ait, ut osiendat nihil boni suâ virtute et prudentiâ cogitare aut facere. Dicit ergo, non habemus talem fiduciam vel audaciam quòd simus efficientes, id est, quòd possimus cogitare à nobis aliquid boni de vestra salute, vel nostra, quasi ex nobis aliquid boni vobis futurum sit sine gratia Dei, sed sufficientiâ nostra et abundantia ex Deo est, (2. *Cor.* III. 4. *et* 5.) qui dat velle, et posse, id est, non solùm non valemus bonum aliquod perficere sine Dei misericordia, et gratia præcedente et subsequente, sed nec cogitare : Dei enim gratia nos prævenit, ut velimus ; et ipsa nos subsequitur, ut possimus. Undè exorabat Psalmista, dicens : *Misericordia ejus præveniet me,* (*Ps.* LVIII. 11.) et *misericordia subsequetur me.* (*Ps.* XXII. 6.) Si enim non valemus cogitare, quomodo poterimus perficere.

MAG. ALBIN. FLAC. ALCHUIN. *Comment. super Ecclesiasten. cap.* 9. *pag.* 553. *Verti me ad aliud ; et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus.* (*Eccle.* IX. 11.) Epistola ad Romanos huic loco convenit, ubi dicit, non esse *volentis neque currentis, sed Dei miserentis* (*Rom.* IX. 16.), quia sine gratia Dei, nec voluntas bona erit in homine, neque cursus boni operis sine Deo fieri valet. Et hic locus Pelagianam sectam optimè destruit. Qui gravi peccatorum pondere premitur, non est aptus ad cursum illum de quo dicitur : *Cursum consummavi, fidem servavi.* (2. *Tim.* IV. 7.) Qui autem levis est, et anima illius non gravatur, nihilominùs et ipse absque adjutorio Domini non potest ad cœlum pervenire, quia quandiù sarcinâ carnis anima aggravatur, bellum sibi adversùm aerias restat potestates. Licèt enim sit robustus, propriis viribus

vincere non poterit, nec cœlestem et viventem panem habere poterit, nisi per sapientiam cohortantem : *Venite, comedite panes meos.* (*Prov.* IX. 5.) Sciendum quoque est, virum prudentem divitias salutis et sapientiæ habere non posse, nisi eas à Deo acceperit, cujus ipsæ divitiæ sunt, de quibus et alibi scriptum est : *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ.* (*Prov.* XIII. 8.) Gratiam quoque nisi scientiam comitata fuerit, et concessa à Deo, quis eruditus vir poterit invenire? Quod Paulus sciens, *Plus*, inquit, *omnibus, laboravi : non autem ego, sed gratia Dei quæ mecum est.* (1. *Cor.* XV. 10.) Et iterum : *Gratia ejus in me vacua non fuit.* (*Id. Ibid.*)

HRABAN. MAUR. *Comment. in Epist. Paul. ad Corinth. lib.* II. *cap.* 12. *pag.* 325. *Propter quòd notum vobis facio, quia nemo in Spiritu Dei, dicit anathema Jesu, et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto.* (1. *Cor.* XII. 3.) Quoniam rationem spiritalium ignorantes per singula charismata hominibus potiùs quàm Deo gloriam dabant, non assecuti per Spiritum sanctum, hoc donum ministrari, et quia qui dominum Jesum vocat, non sine Spiritu sancto hoc dicit, habet enim gratiam in eo ipso fidei suæ propter gloriam nominis Christi : non enim sinè dono Dei est, Dominum dicere Jesum. Ac per hoc ostendit illis, in omnibus Dei esse laudem et gratiam... Deindè Apostolica vox est, *nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Et quis Dominum Jesum, nisi qui eum diligit, dicit, si eo modo dicit quo intelligi Apostolus voluit? Multi enim voce dicunt, corde autem et factis negant, sicut de talibus ait : *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.* (*Tit.* I. 16.) Si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factis. Nemo itaque dicit Dominum Jesum, animo, verbo, facto, corde, opere, nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, et nemo sic dicit, nisi qui diligit. *Divisiones autem gratiarum sunt.* (1. *Cor.* XII. 4.) Non hoc humanis meritis vult adscribi, sed gratiæ Dei ad honorificentiam nominis ejus; sicut enim qui dicit Dominum Jesum, in sancto Spiritu dicit, qualis sit vis, ita et in loco ordinis officii Ecclesiastici positus, gratiam habet qualis vis sit, non utique propriam, sed ordinis, per efficaciam Spiritûs sancti; undè inter initia dicit, (1. *Cor.* III. 7.) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Idem autem Spiritus, et divisiones ministeriorum sunt.* (1. *Cor.* XII. 4. 5.) Per eumdem Spiritum dona dicit præstari. *Idem verò Dominus, et divisiones operationum sunt.* Jungit nunc Christum sancto Spiritui. *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* (*Ibid.* 6.) In tantum non hoc hominibus dandum quasi proprium, sed soli Deo, asserit, ut etiam donum Spiritûs sancti et gratiam Domini Jesu unius Dei dicat operationem, ne gratia et donum divisum sit, per personas Patris et Filii et Spiritûs sancti, sed indiscretè unitatis et naturæ trium unum opus intelligatur, ut ad unum omnem gloriam reducat, et divinitatem. Divisiones autem gratiarum sunt officiis Ecclesiæ, non humanis meritis deputatæ.

S. ANSELM. *Proslog. cap.* 1. *pag.* 30. Miserere labores et conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos, adjuva nos... Doce me quærere te, et ostende te quærenti : quia nec quærere te possum, nisi tu doceas, nec invenire, nisi te ostendas.

Homil. 1. *pag.* 158. Spem de sanctis rebus nonnisi Christus gignit. Sancta enim spes est adipiscendi regnum Dei et justitiam ejus : et hanc vera dat sapientia, in qua est, *gratia omnis vitæ et veritatis,* (*Eccli.* XXIV. 25.) quia nisi per gratiam, quæ est in hac sapientia, id est, in Christo, nullus vitam perpetuam seu veritatem incommutabilis ejus beatitudinis valet consequi; cùm ipse Christus sit veritas et vita. Ideoque et *omnis spes vitæ et virtutis* est in eo (*Id. Ibid.*), quia non nisi per eum quis rectè sperat vitam beatam; et immortalitatis ejus virtutem invenire, et virtutem aliquam bonæ conversationis habere potest.

Medit. 6. *pag.* 213. Ut verò à malis abstineamus, et bona faciamus, hoc nostrâ virtute sine illius adjutorio facere non possumus.

Medit. 8. *pag.* 215. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt;* (*Ps.* XXIV. 6.) et conanti creaturæ tuæ ad te porrige dexteram. Adjuva infirmitatem conantis ad te : Trahe ipsum, qui scis ipsum non posse ad te venire, nisi tu Pater traxeris eum tuo amore et desiderio. (*Joan.* VI. 44.) Fac me servum tibi acceptabilem

et placitum, qui scis me non posse aliter tibi placere. Da, obsecro, dona illa sancta, quibus solis tibi placeam, qui das bona grata petentibus te.

Circa finem, pag. 216. Ostende itaque oculos tuæ misericordiæ, si quomodo convertaris et ignoscas, et infundas gratiam beatitudinis tuæ super me. Nec enim convertere me possum ad te tot et tantis vulneribus et ægritudinibus et morte ipsâ depressus, et impotens effectus : sed tu, misericors Pater, converte me, et convertar ad te. Converte me, Domine, ad te, et contere et contribula cor meum, et sensus vivifici doloris immitte. Non enim est fons bonorum præter te. Non est à quo accipiam amorem et timorem et dolorem et pudorem, quibus coram te misericordiâ dignus inveniar, nisi de prælarga misericordia tua super me indignissimum gratiam effuderis.

Orat. 5. *ad Deum, pag.* 249. Cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo; quia nequeo quod desidero.... Sed quis hoc sine ope gratiæ tuæ? universa enim salus nostra, magna misericordia tua.

VEN. HILDEB. *Serm. de divers. Serm.* 33. *Ad Monachos Benedictinos, de Perfectione, cap.* 20. Tunc Pater cœlestis videt errantem, cùm ad pœnitentiam movet; undè dicitur in Evangelio, quòd cùm Petrus ter Dominum negasset, conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini, et *egressus foràs, flevit amarè.* (*Matth.* XXVI. 75.) Cùm eum respiceret, mentem illius visitavit, et statim amarè flevit. Occurrit, quia peccator non potest per se ad Deum accedere, nisi sibi Deus subveniat; undè dicitur : *Et misericordia tua subsequetur me.* (*Psal.* XXII. 6.) Et iteram : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* (*Zach.* I. 3.)

S. BERN. Abbat. *In nativit. Dom. Serm.* 1. *de fontibus Salvat. n.* 7. *pag.* 778. Terra nostra nequaquam fertilis est hujusmodi seminis, bonæ scilicet conversationis : ideoque facilè exarescet, nisi crebris irrigationibus adjuvetur. Unde et in oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne forte cadat super nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis : *Fiant sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* (*Psal.* CXXVIII. 6.)

Serm. 1. *in festo Annuntiat. n.* 1. Necesse est enim.... credere.... quòd nihil prorsùs habere queas operis boni, nisi et hoc dederit ipse : postremò quòd æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur et illa... De operibus verò bonis certum omninò est, quòd nemo hæc habeat à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minùs poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa quantùm in eis est tendere, et in eam semper esse partem prócliviora. Sic et nos qui de nihilo creati sumus, constat, quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod nihil est) declinamus.

In nativit. B. Mar. Serm. de aquæ duct. n. 8. Sola est gratia quâ egemus. Nimirùm sola est gratia, quâ salvamur.

In Cant. Serm. 22. *n.* 11. Incassum proindè quis laborat in acquisitione virtutum, si aliundè eas sperandas putat, quàm à Domino virtutum.

ADAMUS Abbas Persenniæ *Epist.* 3. *ad comitissam Perticensem apud* EDM. MARTENNE *Thesaur. Anecdot. miscell. Epist. et Diplomat. pag.* 680. Quidquid boni cogitas, quidquid boni loqueris, quidquid boni operis agis, totum de Spiritu sancto concipis, nec aliundè potest concupiscentia animæ fecundari, quàm de conceptione gratiæ Spiritûs sancti.

B. LUPI Abbat. Ferrariens. *Epist.* 108. *ad D. Regem. pag.* 42. *Tom.* 15. *Biblioth. PP. Lugd.* Liberum sanè arbitrium in bono quod contempsit, primus homo peccans perdidit, in malo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum verò si velit quis, vel subtrahendo sibi cibum, se potest perimere, peremptum autem non potest vivificare : ita potuit homo voluntate delinquens, usum in bono liberi arbitrii perdere, sed id, etiam si velit, non potest suis viribus resumere. Non erit igitur in hoc bono liberum illi arbitrium, nisi fuerit divinâ gratiâ liberatum. Dominus Jesus *sciebat*, ut scriptum est, *quid esset in homine* (*Joan.* II. 25.), id salubriter aperiens : *sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.), nihil scilicet boni. Nam ipse malí auctor et cooperator esse non potest, qui, ut ait

Joannes Baptista, *Agnus Dei est, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I. 29.), et quæ scilicet facta sunt, et ne fiant. Item alibi Dominus : *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Sanctus Cyprianus, Martyr gloriosissimus et doctor suavissimus, benè expendens verba Apostoli, *Quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.) statuit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Undè bona quoque voluntas præparatur à Domino; ut memoratus Apostolus docet. *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere* opus bonæ voluntatis : (*Philip.* II. 13.) propter quod subjungit, *et perficere pro bona voluntate.* Ipsam etiam bonam cogitationem à Deo nobis esse doctor gentium manifestans, *non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) Dei gratia nos prævenit propter quod scriptum est, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII. 11.), ut bona velimus et inchoëmus. Dei gratia nos subsequitur, ut scriptum est, (*Psal.* XXII. 6.) *et misericordia tua subsequatur me*, ne frustrà velimus et cœperimus. Hæc principaliter Dei sunt, ut præmissis testimoniis claruit, et consequenter nostra, quia voluntate à nobis fiunt. Et scriptum est : *Domine pacem da nobis, omnia opera nostra operatus es nobis.* (*Isai.* XXVI. 12.) Reatus quidem peccati in baptismate solvitur, sed conflictus ejus propter exercendam fidem servatur : ita ut adjutorio Dei semper, et comprimendis vitiis, et obtinendis virtutibus egeamus. Hoc et unusquisque Deo piè militans in semetipso sentit, et Apostolus, jam Christi sacramentum consecutus, sic humiliter confitetur : « Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. (*Rom.* VII. 22. *et* 23.) De libero arbitrio concorditer ita senserunt quicunque mentem divinorum eloquiorum probabiliter perceperunt.

ANGELOM. STROM. *in lib. Reg.* 3. *cap.* 10. *pag.* 386. Utroque testamento hoc prædicatur, hoc maximè commendatur, quia nonnisi per divinum adjutorium aliquod boni perfici potest. Undè ipsa veritas dicit : *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

RADULPH. FLAVIAC. *in Leviticum. lib.* 19. *cap.* 8. *pag.* 233. *Tom.* 17. *Bibl. PP. Lugd. Dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum.* (*Levit.* XXVI. 3. *et* 4.) Pluvia ista, visibilis, et bonis et malis communis est. Sed est quædam pluvia, quam soli noverunt justi, de qua scriptum est : *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* (*Ps.* LXVII. 10.) Hæc Spiritûs sancti perfusio intelligitur, cujus etiam abundantia fluminis nomine designatur, Domino dicente : *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (*Joan.* VII. 38.) Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hanc igitur pluviam, hunc spiritualem rorem, qui ab illis solis sentitur, quorum mens interiùs inebriatur, promittit Deus obtemperantibus sibi : sicut etiam in Evangelio legimus, Domino dicente : *Si diligitis me mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et aliam Paracletum dabit vobis.* (*Joan.* XIV. 15. *et* 16.) Datur autem pluvia ista temporibus suis : quia nonnunquam utiliter subtrahitur Spiritûs sancti gratia, ut homo sibi relictus, quid per se possit intelligat : et iterùm tempestivè redditur, ne usquequaque desertus intereat. Undè scriptum est : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis undè veniat, aut quò vadat.* (*Joan.* III. 8.) Postquam autem Dominus hanc suavitatem nobis infuderit, continuò terra nostra dabit fructum suum, terra verò quæ pluviam istam non suscipit, nunquam justitiæ fructum gignit. Quæri tamen potest, cùm sine ista gratia nemo præceptis illius obtemperare possit, nec obedientiæ fructum afferre : quid est quòd ut hanc gratiam percipiamus, ipse nos hortatur, ut præcepta illius facere debeamus? Sed hinc datur intelligi, quia primò cum labore serviendum est ei, dum adhuc nobis vetus consuetudo resistit, et carnalis appetitus impugnat nos, nec expugnat : postea verò dum paulatim caro deficit et spiritus convalescit, dum carnalis voluptas siccatur, et pluvia cœlestis nobis infunditur : transit labor in jucunditatem, et observatio mandatorum Dei magnam nobis exhibet delectationem. Nec tamen credendum est, quòd saltem ad laborem illum sine gratia ipsius surgere possimus, in omnibus enim misericordia ejus prævenit nos : sed quæ primò datur

ut incipiamus, postmodum ut abundemus magis, proficientibus multiplicatur. Sic post Christi resurrectionem datus dicitur Spiritus sanctus Apostolis (*Act.* II.), non ut haberent quem priùs non habuerant, sed ut magis illo abundarent quem priùs acceperant. Et hic igitur custodientibus divina præcepta, pluvia promittitur gratiæ spiritualis : cujus quidem jam participes erant, si quæ Deus præcepit, faciebant : ipsa tamen obedientia quam nobis gratia contulit, ejusdem gratiæ incrementum acquirit. Dicat ergo : *Dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum.* Terra ista, mens hominis est : quæ susceptâ pluviâ cœlesti, gignit suum germen, quando Spiritu sancto impinguata, benè agendi concepit voluntatem. Quia verò charitas quæ per spiritum confertur, et bona et benigna est : et sibi quippe consulit, et proximis se impendit : post terræ germinationem, arborum fructus promittitur, cùm subinfertur : *Et pomis arbores replebuntur...* (*Levit.* XXVI. 4.) Pomis igitur istis tantò magis replemur, quantò nobis amplior confertur gratia, et uberiùs hæc pluvia mentibus nostris infunditur.

Eamdem veritatem attestantur Concilia tam particularia quàm generalia.

CONCIL. ARAUSIC. II. *pag.* 1667. *ann. Chr.* 529. *n.* 3. Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : *Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui his, qui me non interrogabant.* (*Isai* LXV. 1. *Rom.* X. 20.)

4. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritûs infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti : *Præparatur voluntas à Domino* (*Prov.* XIV. *juxta* LXX.) et Apostolo salubriter prædicanti : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.)

5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritûs sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente : *Confidimus, quia qui cœpit in nobis bonum opus perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi :* (*Philip.* I. 6.) et illud : *Vobis datum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini :* (*Ibid.* 29.) et *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est.* (*Ephes.* II. 8.) Qui enim fidem quâ in Deum credimus dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs ; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem sancti Spiritûs in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : *Quid habes quod non accepisti?* (1. *Cor.* IV. 7.) et, *Gratia Dei sum id quod sum.* (*Ibid.* XV. 10.)

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : *sine me nihil potestis facere :* (*Joan.* XV. 5.) et illud Apostoli : *Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.)

8. Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum ; aut certè ita hæsum putat, ut tamen quidam

valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit (*Joan.* VI. 44.) : sicut et Petro dicit : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis :* (*Matth.* XVI. 17.) et Apostolus : *Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.* (1. *Cor.* XII. 3.)

9. Divini est muneris, cùm et rectè cogitamus, et pedes nostros à falsitate et injustitia continemus. Quotics enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.

10. Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

11. Nemo quidquam Domino rectè voverit, nisi ab ipso acceperit quod voveret, sicut legitur : *Quæ de manu tua accepimus damus tibi.* (1. *Par.* XXIX. 14.)

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest reparari quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Undè veritas ipsa dicit : *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.)

14. Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur, sicut dicit Psalmista : *Citò anticipet nos misericordia tua, Domine.* (*Ps.* LXXVIII. 8.) Et illud : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (*Ps.* LVIII. 11.)

15. Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam : ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi : hæc secundùm Psalmistam *mutatio est dexteræ Excelsi.* (*Psal.* LXXVI. 11.)

16. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tanquam non acceperit; aut ideò se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut Apostolus dicit : « si per » legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. (*Gal.* II. 21.) Ascendens » in altum captivavit captivitatem : dedit dona hominibus. (*Psal.* LXVII. 19. *Ephes.* IV. 8.) Indè habet quicunque habet. Quisquis autem se indè habere negat; aut verè non habet, aut id quod videtur habere aufertur ab eo.

17. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

18. Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant : sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

19. Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Undè cùm sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit ?

20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo : nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat ut faciat homo.

21. Sicut eis qui volentes in lege justificari, et à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus : *Si in lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est ;* (*Gal.* II. 21.) sic eis qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur : Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hîc enim erat lex, et non justificabat : jam hîc erat et natura, et non justificabat. Ideò Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur qui dixit ; *Non veni legem solvere, sed adimplere :* (*Matth.* V. 17.) et natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit venisse *quærere et salvare quod perierat.* (*Luc.* XIX. 10.)

23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem id faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant, illius tamen voluntas est, à quo et præparatur et jubetur quod volunt.

25. Secundùm suprà scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante et prædicare debemus et credere, quòd per peccatum primi hominis inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium: ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit. Undè et Abel justo, et Noe, et Abrahæ, et Isaac, et Jacob, et omni antiquorum Patrum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laude prædicat Apostolus Paulus (*Hebr.* XI.), non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat: sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul et credimus largitate conferri. Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Hoc etiam, salubriter profitemur, et credimus quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui priùs inspirat, ut et Baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post Baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Undè manifestissimè credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit (*Luc.* XXIII. 42.), et Cornelii centurionis ad quem Angelus Domini missus est (*Act.* X. 3.), et Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit (*Luc.* XIX. 5.), illam tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.

CRESCONII Episc. Breviar. *Canon. Tom.* 9. *BB. PP. Lugd. pag.* 494. *Num.* 289. Quòd Adam omnes homines læserit, et nec quemquam nisi Christi gratiâ posse salvari. *Ex Decretis Papæ* CÆLESTINI. *tit.* 4.

290. Quòd nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione ejus qui solus est bonus. *tit.* 5. *cujus suprà.*

291. Quòd nisi gratiâ Dei continuâ juvemur, insidias diaboli superare non possumus. *tit.* 6. *cujus suprà.*

292. Quòd per Christum libero benè utamur arbitrio. *tit.* 7. *cujus supra.*

293. Quòd omnia Sanctorum merita, dona sint Dei. *tit.* 8. *cujus suprà.*

294. Quòd omnis sancta cogitatio et motus piæ voluntatis ex Deo sit. *tit.* 9. *cujus suprà.*

295. Quòd gratia Dei non solùm peccata dimittat, sed etiam adjuvet ut nec committantur, et lex impleatur. non, sicut ait Pelagius, facile: quasi sine gratia Dei difficiliùs possit impleri. *tit.* 10. *cujus suprà.*

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decret. de justificat. Can.* 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.

2. Si quis dixerit, ad hoc solùm divinam gratiam per Jesum Christum dari; ut faciliùs homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen et difficulter possit, anathema sit.

3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Quam à Patribus et Conciliis acceperunt fidem hanc sequuntur Scriptores Ecclesiastici atque Theologi.

HUGO *a* S. VICTORE, *seu* AUCTOR *Tract. de Interior. Dom. cap.* 39. *n.* 84. *pag.* 365. Quando veritatem intelligis vel alium intelligere facis, Christum gignis. Nosti voluntatem Dei? Consenti ei, et concepisti. Quando gignis, es pater; quando concepis, es mater. Amando parturis, operando nutris. Sic sic in potestate cujusque relinquitur, utrumnam tantæ prolis mater efficiatur. Maledicta ergo sterilis quæ non parit, quæ talem filium pro voto per Dei gratiam habere potuit. Cur non similiter maledictus

qui non gignit, nisi quia non æquè in nostra potestate consistit veritatem intelligere, et veritati consentire? Non enim veritatem semper intelligo cùm volo: intellectæ autem semper consentio: velle tamen non possum, nisi gratia Dei fuerit mecum. Nulla est enim humana industria sine Dei gratia. Ex quo primus homo peccavit, naturæ bonum perdidimus, pariter et arbitrii vigorem, sed non electionem, ne non esset nostrum, ut emendaremus peccatum. In nobis namque manet ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admovente priùs Deo et invitante ad salutem, ut vel eligamus, vel sequamur. Potestatis nostræ est divinæ inspirationi acquiescere, et quæ ad salutem nostram pertinent eligere et sequi: Divini verò muneris est ut possimus adipisci, quod sequendo cupimus consequi. Nostræ potestatis est et ignaviæ, ut labamur: sollicitudinis verò nostræ est et cœlestis pariter adjutorii, ne labamur.

Dial. de Sacram. Legis natur. et scriptæ. *D.* Ut quid concupiscentia homini in malum reputatur? *M.* Non ideò peccat, quòd commodum suum appetit, sed quòd inordinatè appetit. *D.* Non potest inordinatè non appetere? *M.* Non potest. *D.* Quare non potest? *M.* Propter infirmitatem suam. *D.* Quare infirmatus est?.... *M.* Quia Deus integritatem naturæ passibilitate mortalitatis confregit... *D.* Quæ causa fuit? *M.* Culpa hominis. *D.* Ergo per culpam suam ad hanc necessitatem venit? *M.* Ita est. *D.* Non igitur eum excusat ista necessitas? *M.* Non potest excusare. *D.* Sed quid faciet? *M.* Quærat adjutorium gratiæ et dicat: *De necessitatibus meis erue me Domine* (*Ps.* XXIV. 17.): sicut dicit Apostolus, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.) *D.* Ergo homo nisi per gratiam Dei liberari non potest? *M.* Non potest. Dicimus enim, quòd homo in appetitu justi derelicto sponte peccaverit, in appetitu commodi retento dupliciter punitus sit, sive quia ab ordinatis commodis restringitur, sive quia ad inordinata commoda relaxatur. In altero pœna, in altero pœna et culpa. Quia igitur homo tali pœnâ mulctatus est, per quam culpa non purgaretur, sed cresceret: nisi fuisset liberatus per gratiam, per hanc pœnam ad pœnas damnationis æternæ meritò descendisset.

RICH. à S. VICT. *Pars* 1. *de different. sacrif. Abrahæ et Mariæ, pag.* 412. *Loquar*, inquit, *cum Domino meo, cùm sim pulvis et cinis.* (*Gen.* XVIII. 27.) Pulvis ad omnem flatum de suo loco excutitur, et quocunque dejectus, nunquam nisi alieno impulsu levatur. Ecce habes formam defectûs humani quantum pertinet ad considerationem mali. Subtractâ namque gratiâ et protectione divinâ homo ad inimici suggestionem in quodcunque malum dejicitur; et semel dejectus ad status rectitudinem propriâ virtute non roboratur. Cinis ex se nullum omninò germen producit, et aliundè susceptum, non dicam ad incrementum, sed ad sustentamentum nutrire ullâ suâ pinguedine omninò non sufficit. Habes hic item formam defectûs humani, quantùm pertinet ad considerationem boni: nullum siquidem boni operis germen potest homo ex seipso sine operante gratia producere, et cùm ex gratia operante habere jam cœperit, per semetipsum omninò non poterit sine ejus cooperatione custodire.

PETR. LOMBARD. Episc. Paris. *Sentent. lib.* 2. *distinct.* 25. *pag.* 162. Voluntas hominis quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur et adjuvetur, ut perficiat. Quia, ut ait Apostolus, *Non est volentis* velle, *neque currentis* currere (*Rom.* IX. 16.), id est operari: *sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle et operari* bona; (*Philip.* II. 13.) cujus gratiam non advocat hominis voluntas vel operatio, sed ipsa gratia voluntatem prævenit præparando ut velit bonum, et præparatam adjuvat ut perficiat.

GULLIEL. PARIS. Episc. *De virtutibus c.* II. *pag.* 130. Hæreticis visum est sola bona naturalia nostra sufficere posse nobis ad benè vivendum, ad dignè et laudabiliter Creatori serviendum, et ad promerendum ab ipso remunerationem felicitatis æternæ. Et de hoc genere fuerunt Pelagiani hæretici, qui et gratiam esse negaverunt, et eam omninò non esse necessariam posuerunt: fuerunt et alii qui inter naturales virtutes, et gratias nihil distare posuerunt secundùm speciem, sive substantiam, sed solummodò secundùm majus, et minus; neutri igitur istarum gratiarum essentias, aut utilitates, sive necessitates, agnoverunt... Quia verò gratiam

mediam inter naturam, et gloriam non ponimus, nisi propter necessitatem statûs præsentis vitæ quoad Adam et Evam, quantùm ad statum eorum ante peccatum, et propter præsentem miseriam, quæ partim originalis corruptio est, et partim ex illa oritur: intentio propositi præsentis est stabilire gratiam hujusmodi, pro necessitate præsentis vitæ nostræ, quam necesse est esse reclam, et acceptam Creatori, et habere alias perfectiones, quas dicimus ex solis viribus naturalibus, atque consuetudinalibus, esse non posse. Scito etiam, quòd natura mentis humanæ quantumcunque perfecta naturalibus, et consuetudinalibus virtutibus, non est susceptibilis gloriæ... Gratiam intelligimus hîc, Divinæ largitionis adjutorium ad operandum quæ bona sunt, et beneplacita Creatori, et digna remuneratione ipsius, quæ est merces æternæ felicitatis: iterùm ad certandum contra se, et contra omnia quæ impugnant impugnatione spirituali, et iterùm ad vincendum se, et omnia quæ impugnant prædictâ impugnatione; et iterùm ad tenendum, continendum, et retinendum se, ad frenandum, ligandum, domandum, subjiciendum se, perfectâ domatione; et iterùm ad conservandum se invulneratum, et illæsum omninò in medio gladiorum, jaculorum, sagittarum, omniumque armorum hostilium undique percutientium et mortem spiritualem intentantium; similiter in medio flammarum et in medio fornacis Babylonicæ, non solùm absque ustione, sed etiam calefactione omninò frigidum, in vinculis, et compedibus, et carcere solutum, et ut paucis dicamus in servitute liberum, in ipsa cloaca immunditiæ mundissimum... Hoc ergo supposito, videlicet, quia bellum agendum est nobis contra hujusmodi potestates, et victoria facienda, sed adhuc alio quod per se manifestum est, videlicet quia fortiores longè, et astutiores nobis sunt; manifestè consequens est, necessarium esse nobis præter vires nostras, atque prudentiam adjutorium, quod non nisi Divinæ gratiæ manifestum est esse donum. Nos autem nominabimus tibi, et numerabimus ista adjutoria, ex quibus unum illud est bellandi, scilicet peritia, quod cognoscebat David, cùm diceret, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum* (*Ps.* CXLIII. 1.): propter hoc dictum est illud Proverbiorum: *Vir sapiens fortis est, et vir doctus robustus*, et validus (*Prov.* XXIV. 5.); similiter et illud Sapientiæ (VIII. 15.): *Timebunt me Reges horrendi:* et *in multitudine videbor bonus, et in bello fortis.* Quemadmodum enim speculatio, et exploratio adjutoria magna sunt bellantium, similiter et reliqua bellandi peritia, sic et prudentia hæc quâ cognoscuntur insidiæ, astutiæ, necnon et vires prænominatorum hostium, magna sunt adjutoria spiritualibus. Secundum adjutorium est ipsorum hostium impugnatio, quam misericors Deus per seipsum interdum facit, pugnans pro bellatoribus suis, sicut legitur (Exod. XIV. 25.) *Fugiamus Israëlem, Dominus Deus pugnat pro eo*: Et (*ejusd.* XV. 3.) *Dominus quasi vir pugnator.* Istud adjutorium agnoscebat David quando dicebat ad eum: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi.* (*Psal.* XXXIV. 2.) Tertium autem adjutorium est hostium refrenatio, sive religatio, quâ omnipotentis Dei misericordia tenet hostes hujusmodi ligatos, ne pugnent contra nos, quantùm vellent, sicut apparuit in Job ad quem tentandum Satan à Deo sibi dari petiit potestatem, dicens: *Extende manum tuam in Job.* (*Job.* I. 11.) et in Psalmo: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant à Deo escam sibi* (*Psal.* CIII. 21.), escam scilicet animarum nostrarum, quarum mortem esuriunt et sitiunt, quærant, in qua relaxatione ligatæ sunt potestates suæ. Non enim immittit Deus animas nostras in fauces eorum, sed solummodò permittit eos tentare nos, vel pugnare contra nos; propter hoc dicit Apostolus in 1. ad Corinth. (X. 13.) *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quartum adjutorium est consolatio, sive confortatio, quæ quantum adjutorium sit ex contrario ipsius apparet, videlicet pusillanimitate, atque defectione animi, quo nihil magis dejicit prælientes, nihil turpius eos victos efficit, quoniam etiam sine vulnere et sine ictu eos terga dare hostibus, et fugere compellit. Quintum adjutorium est protectio; et ista protectio similis est ei, quâ protecti sunt tres pueri in fornace Babylonica, et servati illæsi in medio ignis (*Dan.* III.), quam promittit Deus in electis Isaïæ (XLIII. 2.) « Cùm transieris per aquas, tecum ero, et flumina non

» operient te ; cùm ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non » comburet te, etc. » De hac protectione legitur Sapientiæ v. 17. *Dextrâ suâ teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.* Quis enim dubitet Deum mirificè operari in quibusdam Sanctis suis, immò in omnibus adultæ ætatis. Omnia enim concupiscibilia mundi ignis sunt ad inflammanda corda hominum ; corda autem electorum in medio tantorum ignium frigida sunt ab incendio concupiscentiarum, et hoc solâ divinâ protectione, et non minori miraculo, quàm tres illi pueri in fornace Babylonica corporaliter servati sunt illæsi. Sextum adjutorium divinæ gratiæ virtus est mirabilis, instar virtutis, quæ Samsoni data fuisse dicitur super alios homines, Judicum XIV. 15. *et* 16. Sicut enim virtus illa corporalis admiranda erat alienigenis in Samsone, et similis in hominibus non inveniebatur naturaliter ; sic et mirabiles fortitudines semper inventæ sunt in sanctis, qualis fuit fortitudo Moysi jejunando et Heliæ, et similes fortitudines ad patiendum, et ad agendum inventæ sunt in Martyribus et Confessoribus, et eas etiam quotidiè experimur in aliis Sanctis. Quis enim non miretur vigilias ? orationum instantias ? psalmodiarum labores ? cæterarumque sacrarum exercitationum virtutes in viris Sanctis ? Et qui eas naturæ attribuere audeat, cùm universalis natura hominum eas naturalibus sublimiores miretur ? Septimum adjutorium Divinæ gratiæ in bellantibus armatura, qualem armaturam diximus aliquando patientiam, quæ contra omnia tela inimici ignea, invulnerabilia custodit corda Sanctorum ; sic et gladio Spiritûs, quod est Verbum Dei adeò armantur sancti viri aliqui, ut stragem hostium spiritualium ubicunque illum adduxerint fugere faciat, sicut legitur de Helia Ecclesiastici XLVIII. 1. *Surrexit Helias Propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat* ; propter hoc dicitur *et gladius in labiis eorum* in Psalmo (LVIII. 8.) ; ubi alia littera habet *et mors in labiis eorum...* Hæc igitur sunt septem adjutoria necessaria bellantibus, et sub uno eorum comprehendimus Angelorum custodiam, atque præsidium, quam sepem, vel maceriam vocat Dominus Isaiæ v. 5. dicens : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem ; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem* : non enim dubitandum est sanctos Angelos Dæmones compescere, arcere, religare ne nocent hominibus quantùm vellent, sicut legitur Tobiæ VIII. 3. Quia Raphaël apprehendit dæmonium nomine Asmodæum, *et religavit eum in deserto superioris Ægypti.* Quoniam autem manifestum est omnem principem, et omnem Ducem exercitui bellatorum suorum, juxta vires et facultates suas, et indigentiam ipsorum proportionalia providere ; alioquin iniquè, et prodiliosè cum eo ageret, gladio hostium eos exponeret, atque in propriam ignominiam, et perniciem, utpotè imparatos eos ad bellum mitteret : necesse est Regem Regum exercitui suo omnia adjumenta quæ nominavimus, et numeravimus, præstare ; quoniam indigentia hujusmodi adjutorii manifesta est in toto exercitu Sanctorum, et facultas talia præstandi apud ipsum. Quare manifestum est ex his, Dei gratiam hominibus Dei bellatoribus esse necessariam in tantis spiritualium bellorum discriminibus, et ad faciendam victoriam sicut diximus adjutricem, manifestum etiam est islam gratiam supra naturam esse. Hoc autem lucidiùs faciemus, si miseriam, et infirmitatem humanarum animarum patefaciamus, quæ quidem assensu in unoquoque facilè accipi potest. Manifestum enim est omni gladio, et igni spirituali, velut inermem, et aridam expositam esse animam humanam in statu vitæ præsentis, ariditatis enim indicium certissimum est facilitas arsionis, quam ad obviationem ignis, vel tactum statim ardescere, et nisi occurratur statim, totaliter exuri, nulla est quæ hæc in seipsa experiri non possit : statim enim ut concupiscibile obviat ei per cogitationem, et tangit eam per sensum, ardescit desiderio, seu concupiscentiâ illius ; et nisi occurratur, tota statim abit in flammas, et exuritur ardore libidinis. Idem concupiscibile etiam gladius est unus amoris mortiferi, statim ut cor humanum tetigerit infringens, ipsumque transverberans, ex qua facilitate scilicet transverberationis apparet inermitas ab armatura scilicet protectionis : quia igitur sine prænominatis adjutoriis incessanter hujusmodi arsiones, ac vulnerationes patiuntur animæ humanæ ; manifestum est eas aridas hujusmodi ignibus, et inermes hujusmodi gladiis expositas esse ; manifestum etiam est per se, eas

versari in medio hujusmodi ignium, et in medio hujusmodi gladiorum : sic igne et gladio omnia molesta manifestum est esse, verbi gratiâ, ignominias, injurias, molestias, sive tormenta, omnia ista irâ et odio exurunt animas, et vulnera doloris infligunt eisdem. Ampliùs : Et omnia concupiscibilia laquei sunt ad irretiendas eas, et carceres ad detinendum; in omni enim malè amato captiva et ligata retinetur anima amantis : sunt et aliæ innumerabiles miseriæ quibus expositæ sunt animæ humanæ in statu præsentis miseriæ, à quibus naturalibus viribus suis sese defendere non prævalent. Quia igitur non minus miraculum est, neque minoris virtutis, animam humanam in medio ignis spiritualis illæsam permanere, quàm corpus in medio ignis corporalis; et nullo modo est virtutis naturalis corpus combustibile in medio ignis, atque flammarum illæsum permanere; manifestum est nullo modo esse virtutis naturalis, animam humanam in medio hujusmodi ignis, atque flammarum illæsam servari; quare necesse est hoc esse sublimioris, atque nobilioris. Est igitur vel ex divina natura protegente, ut diximus, per semetipsam, vel ex divinæ virtutis adjutorio naturalibus ad eorum conservationem et defensionem à Divina bonitate gratuito dato. Quòd si dixerit quis, quia non est necesse animabus nostris aliquid melius, quàm ut naturalia eorum bona sint, sed sufficiunt naturalia earum bona, hoc est vires tantùm mundari, atque sanari : solà enim munditiâ et sanitate naturalium tueri se possunt animæ nostræ ab hujusmodi periculis. Respondemus quia in Adam et Eva, et in Angelis, qui ceciderunt, mundissima, atque fortissima fuerunt naturalia, nec tamen munditiâ illâ, et sanitate defensi, et conservati sunt. Respondemus ad illud quia quantacunque esset munditia, et sanitas naturalium bonarum animarum nostrarum, tamen ex immunditia, et corruptione corporum nostrorum et inquinarentur, et infirmarentur : certum enim est quia mundissimæ creantur animæ nostræ atque sanctissimæ, tamen conjunctione corporum corrumpuntur, et infirmantur... Quòd si dixerit quis, quia sufficit unicuique libera voluntas ad resistendum hujusmodi incendiis, cùm nemo peccet, vel peccare possit, nisi voluntariè, et nemo possit quidquam mali agere omninò invitus; quare si non vult superari, non superabitur, et si non vult succumbere, ne non succumbet; ita ut non vult intelligatur quasi dictio una ab eo quod est nolle, non ab eo quod est non velle. Respondemus, quia reverà si vult quis vincere quamcunque tentationem, vincit eam : vult inquam, præcisè et absolutè : non dicimus si vellet, verùm hoc modo volendi non potest velle ex se, id est, ex naturalibus bonis suis anima humana omni hora, quoniam in illa hora quà concupiscibilia vel tristabilia penetraverint ad ipsam, non potest se servare illæsam, et invulneratam, sicut neque lignum aridum in medio incendii, nec etiam lignum viride virere vel florere, vel frondere potest in hujusmodi statu : est enim adeò alligata corruptioni corporis, ut cùm illa adjuta fuerit à foris concupiscibilibus, aut tristabilibus, sequi eam per se necesse habet... Ex his igitur, et multis aliis, quæ facilè aggregare potes, manifestum est tibi spirituale nostrum, hoc est, quod in nobis est superius, atque nobilius, in infinitum depressum esse, et debilius factum esse, quàm sit id, quod in nobis inferius, videlicet carnale nostrum. Necesse autem est, ut spirituale nostrum vincat et superet carnale nostrum, et ut spiritualitas prævalcat in nobis contra carnalitatem nostram; necesse igitur est nobis dari ad hoc adjutorium, quod sufficiat spirituale nostrum defendere, servare; et carnale nostrum subjicere, calcare, jugiterque mortificare, et hoc est quod nos vocamus gratiam, videlicet gratuitum Creatoris donum, quod naturalibus nostris apponitur, ut per ipsum spiritualitas animalitatem nostram vincat, et superet, captivet, atque mortificet; vides igitur necessitatem, quæ cogit nos ponere gratiam. Ampliùs : Jam declaravimus quia vis apprehensiva nostra, ad hoc ut religiosa, et Deo accepta sit, indiget cognitione sublimiori atque nobiliori, quàm sit naturalis ejusdem cognitio, vel quæcunque alia idea acquisita naturaliter. Non autem minùs debitrix est religiositatis vis motiva nostra nobilis, quàm apprehensiva illa; quare ad hoc ut religiosa sit, et Deo accepta, necessaria est ei affectio sublimior, atque nobilior, quàm sit ejus quæcunque affectio naturalis, quæ non sit, aut gratiæ, aut gloriæ : affectionum verò gloriæ non est

capax aut susceptibilis anima humana in statu isto... quare non necessaria est ei in statu isto affectio gloriæ : affectio autem gratiæ in statu isto necessaria est. Amplius : *caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem : hæc enim sibi invicem adversantur*, ut dicit Apostolus ad Galatas. (v. 17.) Aut igitur æquè fortes sunt, aut alterum fortius ; quia si æquè fortes, cur igitur tam rara est victoria spiritûs contra carnem, et tam crebra carnis contra spiritum ? pares enim deberent esse victoriæ et numero, et magnitudine, cùm habeant causas pares : si verò caro fortior est, indiget igitur spiritus adjutorio contra illam; minùs enim fortis fortiorem vincere non potest per se, et hoc est adjutorium quod quærimus. Quòd si dixerit, quia Deus adjutor sit prælïantium, virtute suâ præstans eis victoriam, absque eo quòd aliquid novum apponat animabus eorum, quemadmodum quando pugnabat pro filiis Israël, virtute suâ dejiciens Ægyptios, aut alios hostes filiorum Israël, iste in primis destruit victoriam prælïantibus hujusmodi : non enim vincit, qui virtute suâ non vincit, cùm enim ab alio occiditur adversarius, alio inquam cujus virtus ipsius non est, quod dicimus propter Reges, qui vincere dicuntur, cùm exercitus eorum vincunt, licèt ipsi personaliter non pugnent ; quoniam virtus eorum, virtus exercitûs est quodammodo, potestas enim regia exercitus est. Amplius : nomine Regis, et auctoritate pugnatur ab exercitu suo ; quare ipse illo tropo, et genere loquendi pugnat, quare et expugnat. Si quis autem amore alicujus occiderit hostem ipsius, vel vicerit aliter, non propter hoc idem vel occidisse hostem, vel vicisse dicendus est : manifestum igitur est, quia qui sic dicit, destruit victoriam, quare destruit et coronam. Amplius : Destruit virtutem omnem et bonitatem in electis ; cùm enim non possit aliquis secundùm eum per aliquod, quod in ipso sit, vincere luxuriam in se, non potest ergo habere castitatem, cùm castitas, si quid est, aut esse potest, virtus sit et bonitas, per quam resistitur luxuriæ, et vincitur ejus malïtia : et ad hunc modum se habet de aliis. Amplïùs : Destruit et merita, et opera bona, quia vel omninò non sunt necessaria opera bona secundùm errorem ipsius, Deo per semetipsum, et propriâ virtute operante resistentiam, et destructionem vitiorum, et similiter ob eamdem rationem alia bona ; quare ex neutra parte erunt merita, videlicet nec ex resistentia, vel mortificatione vitiorum, nec in affectione aliorum bonorum, quia non minùs attribuenda est Deo affectio bonorum, quàm declinatio malorum.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 109. *art.* 1. Manifestum est autem quòd sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum movens corporale ; ita omnes motus tam corporales quàm spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus : Et ideò quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo : Quæ quidem motio est secundùm suæ providentiæ rationem, non secundùm necessitatem naturæ, sicut motio corporis cœlestis : Non solùm autem à Deo est omnis motio, sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut à primo actu : sic igitur actio intellectûs et cujusque entis creati dependet à Deo quantum ad duo : Uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit : Alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum : Unaquæque autem forma indita rebus creatis à Deo, habet efficaciam respectu alicujus actûs determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem, ultrà non potest nisi per aliquam formam superadditam ; sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne : sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda ; ad ea scilicet in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire : altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest nisi fortiori lumine perficiatur ; sicut lumine fidei, vel Prophetiæ, quod dicitur *lumen gratiæ*, in quantum est naturæ *superadditum*. Sic igitur dicendum est quòd ad cognitionem cujuscunque rei homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum : Non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus novâ illustratione superadditâ naturali illustrationi ; sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem : Et

tamen quandoque Deus miraculosè per suam gratiam aliquos instruit de his quæ per naturalem rationem cognosci possunt; sicut et quandoque miraculosè facit quædam quæ natura facere potest.

Ad primum ergo, dicendum quòd *omne verum quodcunque dicatur, est à Spiritu sancto*, sicut ab infundente naturale lumen, et movente ad intelligendum et loquendum veritatem; non autem sicut ab inhabitante per gratiam gratum facientem, vel sicut largiente aliquod habituale donum naturæ superadditum: sed hoc solùm est in quibusdam veris cognoscendis et loquendis; et maximè in illis quæ pertinent ad fidem: de quibus Apostolus loquebatur. Ad secundùm, dicendum quòd sol corporalis illustrat exteriùs, sed sol intelligibilis, qui est Deus, illustrat interiùs: Undè ipsum lumen naturale animæ inditum est illustratio Dei, quâ illustramur ab ipso ad cognoscendum ea quæ pertinent ad naturalem cognitionem: et ad hoc non requiritur alia illustratio, sed solùm ad illa quæ naturalem cognitionem excedunt.

Ad tertium, dicendum quòd semper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcunque, in quantum ipse movet intellectum ad agendum.

Joan. Gerson. *lib. de vita spirit. animæ lect.* 1. Non requiritur quòd in omni actu nostro agamus ex gratia, aut quòd gratiâ illum informemus nisi pro quanto, et dùm mereri tenemur per aliquem hujusmodi actum. Reliqui verò actus si fiant circa materiam bonam de genere, et cum intentione debita finis immediati, ponendo alias circumstantias bonas moraliter, et si non sint meritorii vitæ æternæ, sunt tamen boni moraliter, et bonorum temporalium meritorii, ad gratiam de congruo præparatorii, quia per eos homo facit quod in se est. Nam facere quod in se est, intelligo hoc facere quod homo potest secundùm vires quas actualiter habet. Hoc loco distinxerunt aliqui de gratia. Nam si gratiam appellamus omne illud quod à Deo liberaliter datur sine meritis, totum esse nostrum et vivere inter gratuita numeratur, et in nobis et in brutis, quanquam plus in nobis, quia beatitudinis capaces sumus, et pro ipsius adeptione datur nobis quidquid datur. *Nunquid Deo cura est de bobus*, inquit Apostolus. (1. *Cor.* ix. 9.) Non de brutis, sed de hominibus ait, *quod omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* (*Rom.* viii. 28.) Hoc modo omnis tribulatio, omnis infirmitas, immò et ipsæ tentationes inter gratuita numerantur. Cujus ratio est, quia Dei bonitas quantùm est de se nobis immittit aut evenire permittit ad bonum nostrum si non perversè renitimur abutimurque. Et juxta hanc acceptionis modum de gratia, perspicuum est nihil nos boni posse absque gratia. Si verò gratiam nominemus donum aliquod infusum distinctum ab anima, supra vel ultra vires suas naturales et industrias, nulla videtur necessitas dicere talem gratiam esse necessariam ad hoc ut bonum de genere agamus per liberum arbitrium, plusquam non ponimus talem gratiam ad cognoscendum verum circa naturalia per intellectum. Deindè dici potest quòd impletio præceptorum ut in multis quantum ad substantiam præcepti non coexigit gratiam gratum facientem, quamvis intentio præcipientis non conservetur si non fiant in gratia, vel ex gratia. Intentum quippè est in omni præcepto, ut per illud mereamur ad vitam ingredi. Sed hanc intentionem non semper ponimus esse obligatoriam, simpliciter ad peccatum, si non observetur. Tantummodo conditionaliter obligat... dum mereri tenemur, quemadmodum contingit in susceptione sacramentorum.

Fr. Anton. Marin. Carmel. *Orat. ad Trid. Synod. habit. 4. pag.* 1000. Jure igitur Paulus conferendæ justitiæ vim legi detrahit, asseverans eos qui legis virtute se justos esse prædicant, fidem exinanire, promissiones delere, Christi beneficium abnegare. (*Rom.* iii. 20. *Galat.* ii.) Non enim ea est legis perfectio ut ad pellenda quæcunque prohibet, et perficienda quæcunque jubet firmum adhibeat præsidium: neque à morte liberat, neque à tyrannide redimit: neque cor innovat: neque libidines devincit, neque exstinguit proprii amoris ardorem, neque accendit charitatis ignem, neque frangit satanæ tela, neque occultas mundi fraudes rejicit. Absit ut quæ Christi sunt, legi adscribamus, et legem extollentes Christum deprimamus. Nam etsi lex ad bona opera multos attraxit, eos tamen Deo justos non reddidit: quippè quos aut commodorum ratio, aut humanæ

gloriæ aura, aut suppliciorum formido, aut ignominiæ fuga, aut alius quivis præter Dei gloriæ propositum, adventitius pulsus ad eam obedientiæ formam adegit, ut externos membrorum motus legis mandato subjicerent, interim tamen manerent in eis inferiores illi quos sola Christi gratia mundos reddere potest, immundi affectus. Hominis itaque priori tantùm carnis nativitate, ac cunctis præter Dei gratiam adhærentibus ei præsidiis freti, quæcunque ratione prodierint bona opera, apud mortales fortè comperient justitiæ locum : at apud Deum nimiram, qui ad ipsum operum fontem, nempe cor mundum inspicit, justitiæ laudem frustrà sibi vindicabunt, quandoquidem sine Christi gratia omne cor immundum est. Ideoque omne opus bonum ab eo procedens, velut ejus immunditiam olens ac spirans, Deo immundum est : et si nullis sempiternis, aut præsentibus suppliciis, quin imo temporalibus præmiis, non dicam æternis, dignum esse potest. At verò accedente divino afflatu, per quem cor mundum creatur in homine, vivâ fide in Christum erectus homo, nullâ vel commodorum, vel gloriæ exspectatione, nullâ vel suppliciorum, vel ignominiæ formidine, nullâ denique externâ mundi impulsione actus, sed Dei gloriam in primis spectans legis mandata ultrò absolvit, ea alioqui si nunquam tradita fuissent absoluturus. Ejus enim menti nova quædam fidei, spiritûs, ac vitæ lex indita est, quæ peccata omnia destruit veriùs, quàm prohibet : bona omnia procreat veriùs, quàm præcipit. *Vide infrà* §. 3. *litt.* (A)

(B) S. Cyril. Hierosol. *Catech.* 1. Non ideò spernas gratiam, quòd gratis datur ; sed religiosè potiùs, cùm eam acceperis, custodito.

S. Joan. Chrysost. *ad pop. Antioch. Homil.* 21. *ad illuminandos*, *pag.* 256. Et tu ad nuptias spirituales, et prandia vocatus regalia, consideres quàm dignum sit te nuptiale vestimentum comparare. Verùm enim verò nec opus est comparare, sed ipse qui vocat tibi dat gratis, ne vel paupertatem prætendere valeas. Serves itaque quod accepisti vestimentum. Si namque perdideris, ampliùs commodato accipere non poteris, aut emere. Nusquam enim venditur tale vestimentum.

Andreæ Cæsar. *Comment. in Joan. Apocal. cap.* 66. *pag.* 99. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* (*Apoc.* xxi. 6.) Sitienti justitiam vivifici spiritûs gratiam se daturum pollicetur ; quam in Evangelio quoque illis promittit, qui in ipsum crediturî essent. *Gratis* autem et hanc et quæ hanc sequuntur largitur, quia præsentis temporis afflictiones non sunt dignæ quæ cum futura gloria, quæ sanctis obveniet, comparentur. Aut *gratis ;* quia pecuniis parari nequit, sed bonis tantùm operibus, ejusque clementiâ qui præbebit.

S. Marc. Eremit. *de Baptism. pag.* 918. Si dicamus, ex operibus tolli peccatum, certè Christus gratis mortuus est, et quæ dicta sunt, falsa sunt omnia. Si etiam baptisma non est perfectum, sed ex operibus dicunt consequi perfectionem, supervacua est apud illos lex libertatis : et universæ leges novo testamento latæ sunt et exstinctæ. Injustum quoque Christum introducunt, qui libertatis opera præcipiat baptizatis, præter voluntatem (ut aiunt) adhuc peccato servientibus. Et gratia Dei jam non est gratia, sed laborum nostrorum remuneratio. Nam si ex operibus, jam non gratiâ, si verò gratiâ, jam opus non est opus, sed mandatum ejus qui liberavit, et opus libertatis ac fidei.

D. Primasius Episc. *Comment. in Epist. ad Rom. pag.* 167. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Quia major serviet minori.* (*Rom.* ix. 12. *et* 13.) Vocantis est ergo gratia, percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona : non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur : non enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet. Nec ideò benè currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est : sic nemo propterea benè operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest justè vivere, qui non fuerit justificatus ? quomodo sanctè vivere, si non fuerit sanctificatus ? vel omninò vivere, qui non fuerit justificatus ? Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere justè. Prima est igitur gratia, secunda opera bona, sicut alio loco dicit : *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundùm debitum.* (*Rom.* iv. 4.) Non enim intelligebant, quia eo ipso quo gratia est Evangelica, operibus non debetur : *alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* xi. 6.) In multis locis

hoc sæpè testatur, fidei gratiam præponens operibus : non ut opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia : ut scilicet non se quisque arbitretur ideò percepisse gratiam quia benè operatus est : sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel internâ, vel externâ admonitione motus ad fidem.

Comment. in Epist. ad Rom. pag. 172. *Si autem gratia non ex operibus.* (*Rom.* XI. 6.) Inter gratiam et prædestinationem hoc interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio ; gratia verò jam ipsa donatio. Quòd ait Apostolus, (*Ephes.* II. 10.) *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis :* gratia est. Quod autem sequitur, (*Id. ibid.*) *Quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, prædestinatio est. Et ne dicerent illi, Sub Helia justi erant, isti verò peccatores sunt : quomodò ergo eos dicit electos? subjecit, Quia eos gratia fecit esse credentes, ideò sunt gratis salvati. Gratia enim ideò dicitur, quia gratis datur, nullis præcedentibus meritis. Præcedit namque non debita, sed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera, ne si præcesserunt bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia jam non sit gratia. Quisquis verò dicit gratiam Dei ab hominibus bonorum merito præveniri, et gratiam Dei meritis dari, Pelagianus est : Nam non est gratia si non gratis datur : si debita merentibus redditur : quod absit. Quia nos Deus prævenit, et præcedit ; non nos Deum. In multis locis hoc sæpè testatur, fidei gratiam præponens operibus : non ut opera exstinguat, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia : ut scilicet non se quisque arbitretur ideò percepisse gratiam, quia benè operatus est ; sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. *Alioquin gratia non est gratia.* (*Rom.* XI. 6.) Si aliquid antè præcedit hominis undè salvetur, jam non gratis. Gratia autem, ut dixit, ideò dicitur, quia nullis præcedentibus meritis datur, et quia gratis peccata dimittit.

S. CYPRIAN. Epist. *ad Donat.* Nec ad hoc præbis, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas vel potestas elaboratâ mole pariatur : sed gratuitum de Deo munus, et facile est. Ut sponte sol radiat, fons rigat, imber irrorat ; ita se spiritus cœlestis infundit.

Testim. lib. 3. *ad Quirin. n.* 100. Gratiam Dei gratuitam esse debere, in Actibus Apostolorum : *Pecunia tua tecum sit in perditione ; quia existimasti gratiam Dei per pecuniam possideri.* (*Act.* VIII. 20.) Item in Evangelio : *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* X. 8.) Item illic : *Domum patris mei, domum fecistis negotiationis.* (*Joan.* II. 16.) Item apud Isaiam : " *Qui sititis, vadite ad aquam, et quotquot non habetis pecuniam, euntes emite, et bibite sine pecunia.* (*Isai.* LV. 1.) Item in Apocalypsi : *Ego alpha et omega, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit ea* et eorum hæreditatem, *et ero ejus Deus, et ille erit mihi filius.* (*Apoc.* XXI. 6. *et* 7.)

S. HILAR. *Tract. in Psal.* LXVI. *v.* 2. *n.* 2. *pag.* 186. *Deus misereatur nobis, et benedicat nos ; illuminet vultum suum super nos et misereatur nobis.* Secundùm doctrinæ ordinem primùm misericordia Dei poscitur. Ex copia enim bonitatis suæ misericordiam in peccatorum remissione largitur : et peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneæ indulgentiæ voluntas, ex bonitatis divitiis ad miserandi munus exuberans.

Comment. in Matth. cap. 20. *n.* 7. Merces quidem ex dono nulla est, quia dei etur ex opere ; sed gratuitam gratiam Deus omnibus ex fidei justificatione donavit : verùm secundùm insolentiam populi jam sub Moyse contumacis, hinc murmur operantium est, hinc gratuitæ mercedis invidia est, quòd sine longi laboris difficultate, et sub æstus nomine non longo in eos diabolici instinctus calore flagrante, idem præmium redhibeatur operantibus. Sed ideò quod apud homines impossibile est, possibile est apud Deum : ut mercedem legis optimè et inculpabiliter custoditæ donum gratiæ per fidem credentibus primis ex novissimis largiatur.

S. AMBR. *in Psal.* XLIII. *Enarr. n.* 47. Ergo et si quis redemptus est de populo Judæorum.... redemptus est gratis ; quod te docet Apostolus dicens : *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* (*Rom.* XI. 5.) Ubi autem gratiâ, non utique merito operum, nec justificatione virtutum : sed liberalitate donantis, electione redimentis ; quod æquè Scriptura te

docuit, dicente Apostolo Paulo : *si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* (*Ibid.* 6.)

Exhortat. virginit. lib. 1. *cap.* 7. *n.* 43. Videtis mysteria, videtis gratiam Christi, gratiam Spiritûs sancti, qui velut quadam sorte defertur : quoniam non ex operibus, sed ex fide unusquisque justificatur à Domino. Sicut enim sortis eventus non in nostra est potestate, sed quem casus attulerit; sic gratia Domini non quasi ex mercedis merito, sed quasi ex voluntate defertur. Undè et Apostolus ait de divisionibus gratiarum quæ diverso modo Dei servulis deferuntur : (1. *Cor.* XII. 11.) *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*, inquit, non prout debetur. Denique et Dominus ait uberiorem mercedem pro opere postulantibus, et conquerentibus quòd parem accepissent cum iis, qui posteriùs advenerant, *Si ego bonus, oculus tuus quare nequam est.* (*Matth.* XX. 15.)

S. HIERON. *Epist.* 87. *aliàs* 8. *ad Demetriad. de servand. virg. pag.* 791. Qui perfectos afferet fructus, si humiliaveris te sub potenti manu Dei, et scriptum semper memineris : *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* IV. 6.) Ubi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas : ut impleatur dictum Apostoli : *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* (*Rom.* IX. 16.) Et tamen velle et nolle nostrum est : ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.

Lib. 2. *Dialog. adv. Pelag.* Si autem scribit : * *Existimamus fide justificari hominem sine operibus legis : siquidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex lege, et præputium ex fide :* (*Rom.* III. 28. 30.) manifestè ostendit, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse justitiam, qui sine legis operibus credentium suscipit fidem.

S. AUG. *ad Paulin. Epist.* 149. *aliàs* 59. *cap.* 1. *n.* 6. *Sanctis qui sunt in terra ejus mirificavit omnes voluntates suas in illis* (*Psal.* XV. 3.), quod plerique codices habent. Et intelligamus *voluntates ejus*, munera gratiæ quæ gratis data est, id est quia voluit, non quia debebatur.

Enarr. in Psal. V. *n.* 17. *Quoniam tu benedices justum.* (*Psal.* V. 13.) Hæc est benedictio, gloriari in Deo, et inhabitari à Deo. Ista sanctificatio conceditur justis. Sed ut justificentur, præcedit vocatio : quæ non est meritorum, sed gratiæ Dei : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* (*Rom.* III. 23.) *Quos enim vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, hos et glorificavit.* (*Rom.* VIII. 30.) Quia ergo vocatio non meritorum nostrorum, sed benevolentiæ et misericordiæ Dei est, subjecit dicens, *Domine ut scuto voluntatis tuæ coronasti nos.* (*Psal.* V. 13.) Bona enim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem nostram, ut peccatores vocet in pœnitentiam. Et ipsa sunt arma quibus expugnatur inimicus : contra quem dicitur, *Quis accusabit adversùs electos Dei.* (*Rom.* VIII. 33.)

In Psal. XXX. *Enarr.* 2. *n.* 6. * *Et in tua justitia erue me, et eximе me.* (*Psal.* XXX. 2.) Nam si attendas ad justitiam meam, damnas me. *In tua justitia erue me.* Est enim justitia Dei, quæ et nostra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet à seipso habere justitiam. Sic enim dicit Apostolus Paulus, *Credenti in eum qui justificat impium.* (*Rom.* IV. 5.) Quid est, qui justificat impium? Qui ex impio facit justum : deputatur fides ejus ad justitiam... *Ignorant Dei justitiam et volunt suam constituere* (*Rom.* X. 3.), quasi ex seipsis justi fiant; ideò gratiam Dei non cognoverunt, quia gratis salvari noluerunt. Quis est qui salvatur gratis? In quo non invenit Salvator quod coronet, sed quod damnet; non invenit merita bonorum, sed invenit merita suppliciorum... *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.) Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei.* (*Rom.* III. 23.) *In te* ergo *Domine speravi*, non in me : *non confundar in æternum*, (*Psal.* LXX. 1.) quia in eo spero qui non confundit. *In tua justitia erue me, et eximе me.* (*Ibid.* 2.) Quia non invenisti in me justitiam meam, erue me in tua : hoc est, illud me eruat quod me justificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum, quod ex cæco videntem, quod ex cadente surgentem, quod ex

flente gaudentem. Hoc me liberat non ego : *in justitia tua vivac me, et eximе me.*

In Psal. XXXI. *Enarr.* 2. *n.* 7. Ei qui operatur, id est, de operibus præsumit, et eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Quid est homo, nisi quòd merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? Gratis constat. Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, utique damnaret : *stipendium enim peccati mors.* (*Rom.* VI. 23.) Malis operibus quid debetur nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inventus es : si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam : jam fides illa assumptâ spe et dilectione incipit benè operari : sed nec tunc glorieris, et extollas te : memento à quo in via positus sis; memento quia et sanis pedibus et velocibus errabas; memento quia et si languebas, et in via semivivus jacebas, levatus es in jumentum, et perductus in stabulum. (*Luc.* X. 34.)

Enarr. in Psal. XLIII. *n.* 15. In medio quid? Tribulationes. Quare? Ut appareat animus colens Deum, quantùm colat Deum; ut videatur utrum gratis colat eum, à quo salutem gratis accepit. Si enim tibi dicat Deus : Quid dedisti mihi ut facerem te? certè si factus promeruisti me, non me promeruera antequam facerem te. Quid dicturi sumus ei, qui primò gratis nos fecit quia bonus est, non quia aliquid meruimus? Deindè de ipsa reparatione, de secunda nativitate quid dicturi sumus? Merita nostra fecisse ut nobis illa salus perpetua mitteretur à Domino? Absit. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram veniret. Non venit ille ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fuisti, et factus es : quid Deo dedisti? Malus fuisti, et liberatus es : quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Meritò et gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo à te, ut et tu gratis eum colas : non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna.

Enarr. in Psal. XLIX. *n.* 30. Si enim malè vivis et bona dicis, nondùm laudas : sed rursùs si cùm cœperis benè vivere, meritis tuis tribuas quòd benè vivis, nondùm laudas... Intellige quia non corrigeris nisi dono Dei : *à Domino* enim *gressus hominis diriguntur.* (*Psal.* XXXVI. 23.)

N. 31. Qui ergo ad gratiam se scit pertinere, quod est Christus, et quod est Christi, novit quia indiget gratiâ. Si gratia vocatur, gratis datur; si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt ut detur. Nam si præcesserunt merita tua, *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* (*Rom.* IV. 4.) Si ergo dicis præcessisse merita tua, te vis laudari, non Deum : ideò non agnoscis Christum, qui venit cum gratia Dei. Converte ergo te ad merita tua, vide illa mala fuisse, ut non tibi deberetur nisi supplicium, non præmium. Et cùm videris quid tibi per meritum debeatur, agnoscis quid per gratiam donetur; et sacrificio laudis glorificas Deum. Ibi est enim via, in qua noveris Christum salutare Dei.

Enarr. in Psal. LXII. *n.* 12. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* (*Psal.* LXII. 4.) Multæ sunt vitæ humanæ, sed Deus unam vitam promittit : et non illam dat nobis quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Quid enim boni egimus, ut illud mereremur? aut quæ bona facta nostra præcesserunt, ut Deus nobis gratiam suam daret? Nunquid invenit justitias quas coronaret, et non delicta quæ donaret.

Enarr. in Psal. LXV. *serm.* 2. *n.* 1. Gratiam Dei, qua gratis salvi facti sumus, nullis nostris meritis præcedentibus, nisi quibus supplicium debebatur, isto commendari Psalmo hesternâ die insinuavimus... Jam enim, si superbi deseruimus, vel fatigati redeamus. Nec rediri nisi per gratiam potest. Gratia gratis data est. Nam nisi gratis esset, gratia non esset. Porrò autem si propterea gratia est, quia gratis est; nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis : pretium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Quòd ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratiâ est. Illum ergo laudemus : illi totum quod sumus, et quòd salvi

efficimur, debeamus. *Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* (*Ps.* LXX. 16.) Nullam meam agnosco, solius tuæ justitiæ memorabor. A te habeo, quidquid boni habeo : quidquid autem à me habeo, mali habeo. Non meritis supplicium reddidisti, sed gratiam gratis impertisti. Tuæ itaque solius justitiæ memorabor.

N. 2. *Deus docuisti me ex juventute mea.* (*Ibid.* 17.) Ex ipso initio fidei meæ, quà me innovasti, docuisti me, nihil in me præcessisse, undè mihi dicerem deberi quod dedisti... Ex quo conversus sum ad te, innovatus à te qui factus à te, recreatus qui creatus, reformatus qui formatus : ex quo conversus sum, didici merita mea nulla præcessisse, sed gratiam tuam mihi gratis venisse, ut memorarer justitiæ tuæ solius.

N. 5. Quid præstitit brachium tuum? Liberationem nostram gratuitam. Hoc ergo annuntiem, ipsam gratiam omni generationi superventuræ : dicam omni homini nascituro, Nihil es per te, Deum invoca, tua peccata sunt, merita Dei sunt : supplicium tibi debetur, et cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua. Dicam omni generationi superventuræ, De captivitate venisti, ad Adam pertinebas. Dicam hoc omni generationi superventuræ, nullas vires meas, nullam justitiam meam ; *sed potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima quæ fecisti magnalia.* (*Ibid.* 19.)

Enarr. in Psal. LXXXIV. *n.* 9. Felix est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ipse est qui superbire non potest, cui Deus ostendit misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi quia quidquid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo, qui omne bonum nostrum est. Et cùm viderit homo quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo ; videt quia totum quod in illo laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis ipsius : et videndo ista non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, in hærendo manet, manendo perfruitur, et lætatur in Domino Deo suo.

Enarr. in Psal. CII. *n.* 7. *Coronat te.* Ergo magnus sum, ergo luctatus sum. Cujus viribus? Tuis, sed ab illo subministratis. Nam luctaris, manifestum est ; et ideò coronaberis, quia vinces ; sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundò victorem... Ita planè gaudeamus, quia non vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. *Plus omnibus illis laboravi*, ait Apostolus : (1. *Cor.* XV. 10.) sed vide quid adjungit, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et post labores omnes exspectat ipsam coronam, et dicit, *Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi ; de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die justus judex.* (2. *Tim.* IV. 7. *et* 8.) Quare? Quia agonem certavi. Quare? Quia cursum consummavi. Quare? Quia fidem servavi. Undè certasti? undè fidem servasti? *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* XV. 10.) Ergo et quòd coronaris, illius misericordiâ coronaris.

Enarr. in Psal. CVI. *n.* 15. *Intelliget miserationes Domini :* (*Ps.* CVI. 43.) non merita sua, non vires suas, non potentiam suam ; sed *miserationes Domini*, qui errantem et egentem in viam deduxit et pavit ; qui pugnantem adversùs difficultatem peccatorum, et colligatum vinculis consuetudinis, solvit et liberavit ; qui fastidientem verbum Dei et tædio quodam penè morientem, missâ medicinâ verbi sui recreavit ; qui periclitantem inter naufraga et procellosa discrimina, mari placato ad portum perduxit.

De Trinit. lib. 4. *cap.* 1. *n.* 2. Hoc significat in Psalmo, ubi ait, *Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati tuæ, et infirmata est, tu verò perfecisti eam.* (*Psal.* LXVII. 10.) Pluviam quippe voluntariam non nisi gratiam vult intelligi, non meritis redditam, sed gratis datam ; undè et gratia nominatur ; dedit enim eam, non quia digni eramus, sed quia voluit. Hoc cognoscentes, non fidentes in nobis erimus, et hoc est infirmari. Ipse verò perficit nos, qui etiam Paulo Apostolo dixit, *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* (2. *Cor.* XII. 9.) Persuadendum ergo erat homini quantùm nos dilexerit Deus ; et quales dilexerit : quantùm, ne desperaremus : quales ne superbiremus.

AMBROSIASTER *Comment. in Epist. ad Roman. cap.* XI. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Manifestum est quia gratia donum Dei est, non

debita merces operibus, sed gratuitâ ratione, misericordiâ interveniente, concessa.

S. LEON. MAGN. *Epist.* 6. *ad Aquileienses. Episc. cap.* 3. *pag.* 214. Hoc sibi totâ arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt (*Pelagiani*) ut gratia Dei secundùm merita dari accipientium sentiatur. Quæ utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente beato Apostolo: * *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei donum est, non ex operibus: ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II. 8. 9. *et* 10.) Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est: quia non priùs quisquam justificatur virtute, quàm gratiâ, quæ unicuique principium justitiæ, et bonorum fons atque origo meritorum est.

S. GREG. *Moral. lib.* 23. *in cap.* 32. *Beati Job, cap.* 6. *n.* 13. *pag.* 736. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolorum dicitur: *Quid autem habes quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.) Rursùm ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens: (*Ephes.* II. 8. *et* 9.) *Gratiâ estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Qui etiam de semetipso ait: (1. *Tim.* I. 13.) *Qui priùs fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum.* Quibus verbis apertè declarat quòd gratia non pro meritis tribuatur, dùm ex seipso docuit et quid de malitia meruit, et quid de benevolentia accepit.

S. ISID. HISPAL. Episc. *Orig. lib.* 7. *cap.* 3. *pag.* 89. Spiritus sanctus indè propriè charitas nuncupatur: quia in nobis id agit, ut in Deo maneamus, et ipse in nobis. Undè et in donis Dei nihil majus est charitate: et nullum majus est donum Dei quàm Spiritus sanctus. Ipse est et gratia, quæ quia non meritis nostris, sed voluntate divinâ gratis datur, indè gratia nuncupatur.

CASSIOD. *Expos. in Psal.* V. *pag.* 27. Vocatio Domini omne meritum præcedit, nec invenit dignum, sed facit; ideò enim gratuita, alioquin justa diceretur. Hæc est ergo bona voluntas, quæ nos vocat, et attrahit; nec quidquam proficuum valemus cogitare vel facere, nisi hoc accipiamus à bonitatis auctore, sicut Apostolus dicit: *Non enim possumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.)

Exposit. in Psal. XXIV. *pag.* 83. Nullus suis meritis ad ejus gratiam venit. Dicendo enim *misericordiæ tuæ quæ à seculo sunt* (*Psal.* XXIV. 6.), semper Dominum misericordiarum approbat largitorem, qui non ante hominum merita suscipit, sed priùs sua dona concedit.

Exposit. in Psal. LXXII. *pag.* 247. *v.* 24. *In voluntate tua deduxisti me: et cum gloria assumpsisti me.* Hic quoque gratia Domini significatur, quâ redemit peccatores. Non enim dixit, Meritis meis, sed *voluntate tuâ deduxisti me;* ad intellectum scilicet saluberrimum, ad quem post mortiferas cogitationes tanquam de loco sepulcri, Domino vivificante, reversus est.

Exposit. in Psal. LXXXIII. *v.* 12. *pag.* 287. *Gratiam* et gloriam *dabit Dominus.* Ne solam gratiam in hoc seculo sanctis putares esse collatam, sequitur, *Et gloriam dabit Dominus.* Hic enim primò præstat *gratiam*, ut peccatores convertantur ad vitam: in futuro *dabit gloriam*, ut divino munere justificati, Angelorum mereantur esse consortes. *Gratia* enim dicitur gratis data; sicut ait Apostolus: *Si autem gratia non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* XI. 6.) Ipsa est quippe Domini Christi gratia, quæ nos præparat, adjuvat, corroborat, et coronat.

Exposit. in Psal. CII. *pag.* 344. *v.* 10. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.* Sententia generalis est: quia nemo est qui ejus gratiam gratis non habeat, dùm lex sub peccato cuncta concludat: sicut testatur Apostolus: *Omnia Deus conclusit in incredulitate, ut omnium misereretur.* (*Rom.* XI. 32.) Ille tamen communiter bonis malisque spiritum donat, salutem tribuit, indigentias adimit, et generaliter bonus est.

BEDÆ Presbyt. *Comment. in Psal.* LXX. *pag.* 663. *In te Domine speravi.* In omnibus divinis Scripturis commendatur nobis gratuita gratia Dei,

quæ gratis nos liberat. Hanc commendat Apostolus, et ideò meruit habere inimicos Judæos, de littera legis et de justitia sua præsumentes. Hæc etiam maximè commendatur nobis in hoc Psalmo, ideò ut tota spes nostra sit in ipso, nihil quòd de nobis quasi de propriis viribus præsumamus, ne nostrum facientes, quod ab ipso est, et quod accepimus amittamus.

In Evang. Joan. cap. 1. *pag.* 465. Nisi dono Dei quisque vocatus, nunquam reatum primæ transgressionis, nunquam malè blandientia augescentium quotidiè peccatorum umbracula evadit, nunquam salvandus venire meretur ad Christum. Undè dicit Apostolus : *Gratia enim estis salvati per fidem : Et hoc non ex vobis, donum Dei est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* (*Ephes.* II. 8. *et* 9.)

In Epist. ad Rom. cap. 8. *pag.* 137. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.) Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt.

In Epist. ad Corinth. 1. *Cap.* 15. *pag.* 415. *Ego enim sum minimus Apostolus qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei : gratiâ autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* (1. *Cor.* XV. 9. *et* 10.)

Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati suæ : etenim infirmata es!, tu verò perfecisti eam, (*Psal.* LXVII. 10. *Aug. Ex serm. de verb. Ev. cap.* 15.) quia pluviam voluntariam segregasti, non attendens hominum merita, sed tuam gratiam, et misericordiam. Infirmata ergo ipsa hæreditas, agnovit se infirmam in se, ut firma esset in te. Non firmaretur si non infirmaretur, ut abs te, in te perficeretur. Vide hujus hæreditatis portiunculam. Paulum vide infirmatum qui dixit : *non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* (1. *Cor.* XV. 9.) Quare ergo Apostolus es? *Gratiâ Dei sum id quod sum. Non sum idoneus, sed gratiâ Dei sum id quod sum.* (*Ibid.* 10.) Infirmatus est Paulus. Tu verò perfecisti eum. Atque ut ostenderet et liberum arbitrium mox addidit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit : sed plus omnibus illis laboravi.* (*Id. Ibid.*) Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur et in aliis, quibus dicit : * *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (2. *Cor.* VI. 1.) Ut quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur aliquid boni posse, continuò cùm dixisset, (1. *Cor.* XV. 10.) *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi,* subjunxit atque ait : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum,* id est non solus ego, *sed gratia Dei mecum.* Ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de cœlo vocaretur, et tam magnâ, et efficacissimâ vocatione converteretur : gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala. Denique et alibi dicit ad Timotheum : * *Collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, salvos nos facientis, et vocantis vocatione suâ sanctâ : non secundùm propositum suum et gratiam, quæ data est nobis à Christo Jesu Domino nostro.* (2. *Tim.* I. 8. *et* 9.) Item, merita sua, sed mala commemorans dicit : * *Fuimus enim stulti et nos aliquando, et increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis : in malitia et in invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes.* (*Tit.* III. 3.) Quid istis tam malis meritis nisi pœna utique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis per gratiam, quæ non secundùm merita nostra datur, factum est quod deinde subjungit et dicit : * *Cùm autem benignitas, et humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos : sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti quem ditissimè effudit super nos per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati ipsius gratiâ, hæredes efficiamur, secundùm spem vitæ æternæ.* (*Ibid.* 4. 5. 6. *et* 7.) His et talibus testimoniis divinis probatur gratia Dei, non secundùm merita nostra dari, quandoquidem non solùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, et quotidiè videmus dari. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona : per illam tamen. Nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus : sed libero arbitrio præcipitatus. Quapropter nec quando coperit homo habere merita bona, sibi debet tribuere illa : sed Deo, cui dicitur in Psal. *Adjutor meus esto,*

ne derelinquas me Domine Deus meus. (*Psal.* XXVI. 9.) *Sed abundantiùs omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* XV. 10.)

In Epist. ad Ephes. cap. 2. *pag.* 573. *Gratia salvi facti estis.* Ubi audis gratiam, gratis intellige. Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti. Nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia. *Gratiâ*, inquis, *salvi facti per fidem.* (*Ephes.* II. 8.) Expone illud apertiùs propter arrogantes, propter sibi placentes, propter *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere.* (*Rom.* X. 3.) Audi hoc idem apertiùs. *Et hoc*, inquit (*Ephes.* II. 8.) *quòd gratiâ salvi facti estis, non ex vobis, sed Dei donum est.* Sed et nos fortè aliquid fecimus ut dona Dei mereremur. *Non ex operibus*, inquit, (*Ibid.* 9.) *ne fortè quis extollatur.* Quid ergo? Nos benè non operamur? Immò operamur. Sed quomodo? Ipso in nobis operante, quia per fidem locum damus in corde nostro ei qui in nobis, et per nos bona operatur. Audi enim undè opereris bona: *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, ut in illis ambulemus.* (*Ibid.* 10.) Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondùm est liber ad operandum benè, nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat? Quam cohibet Apostolus dicens: *Gratiâ salvi facti estis per fidem.* Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitùs esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit, ut fidelis esset, misericordiam consecutum: hîc quoque adjunxit atque ait: * *Et hoc non ex nobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur.* (*Ephes.* II. 8. *et* 9.) Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursùs adjecit: *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est format et creat: non ut homines, quod jam fecit: sed ut boni essemus, quod nunc gratia sua fecit, ut simus in Christo nova creatura, secundùm quod dictum est: (*Psal.* L. 12.) *Cor mundum crea in me Deus. Gratiâ salvi facti estis per fidem: et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus:* ne fortè dicas, Promerui, et ideò accepi. (*S. Aug. serm. de verb. Ap.* 15.) Non putes te promerendo accepisse, qui non promerendo nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum: non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratiam ex merito emisti, non gratis accepisti. *Pro nihilo*, inquit, *salvos facies eos.* (*Psal.* LV. 8.) Nihil in eis invenis undè salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas: omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita mea. Prorsùs gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis undè salves, et multum invenis undè damnes.... Prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia verò jam ipsa donatio Dei. Quod itaque ait Apostolus: * *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* II. 9. *et* 10.); gratia est. Quod autem sequitur, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus;* prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse. Potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippè Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Undè dictum est: * *Fecit quæ futura sunt.* (*Eccle.* III. 15.) Præscire autem potens est, etiam quæ ipse non fecit, sicut quæcunque peccata. Quia etsi sunt quædam quæ ita sunt peccata, ut pœnæ sint etiam peccatorum, undè dictum est, * *tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt,* (*Rom.* I. 28.) non ibi peccatum Dei est, sed judicium, Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio.

Gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est.

Ipsius enim sumus figmentum, non tantùm ad hoc ut homines simus, sed ad hoc ut etiam boni simus... cùm dixisset: (*Philip.* II. 12.) *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini*, ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent justos et bonos, continuò subjecit: *Deus est enim qui operatur in vobis.* (*Ibid.* 13.) *Annuntiat firmamentum.* (*Psal.* XVIII. 1.) Quid? *Opera manuum ejus.* Quæ sunt opera manuum ejus? Gratia Dei illa quâ salvi facti sumus, quâ creati in bonis operibus sumus. *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Non solùm quippè homines, sed etiam justos, si tamen sumus, *ipse fecit nos, et non ipsi nos.* (*Psal.* XCIX. 3.)

SEDUL. HYBERN. *in Epist. ad Rom. Collect. cap.* 11. *p g.* 527. *tom.* 8. *Biblioth. PP. Lugd. Alioquin gratia non est gratia.* (*Rom.* XI. 6.) Hoc est, si ex operibus salvæ factæ sunt, non erit gratia, sed merces operis, quia à gratuito munere gratia appellatur.

HRABAN. MAUR. *Comment. in Epist. Paul. lib.* 6. *cap.* 11. *pag.* 256. *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Manifestum est quia gratia Dei donum est, et non debita merces operibus, sed gratuitâ ratione misericordiâ interveniente concessa. *Alioquin gratia jam non est gratia.* Verum est, quia si merces est, non est gratia : sed quia merces non est, sine dubio gratia est, quia veniam dare peccantibus, non est aliud, quàm gratia, et his qui non requirunt, sed offertur illis ut credant. Duplex ergo gratia est, quia hoc competit Deo, qui abundat misericordiâ ut et requirat quos gratis curet. Sciendum est opera, quæ Paulus repudiat, et frequenter vituperat non esse opera justitiæ, quæ mandantur in lege, sed ea, in quibus hi, qui secundùm carnem legem custodiunt et gloriantur, id est, circumcisio carnis, vel sacrificiorum ritus, observatio sabbatorum et neomeniarum. Hæc et hujusmodi ergo sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse salvari, et de quibus in præsenti loco dicit, quia non ex operibus, alioquin gratia jam non sit gratia. Si enim per hæc quis justificatur, non gratis justificatur; qui autem per gratiam justificatur, ista quidem opera ab eo minimè quæruntur, sed observare debet, ne accepta gratia inanis fiat in eo; sicut et Paulus dicit, (1. *Cor.* XV. 10.) *quia gratia ejus in me inanis non fuit, sed amplius quàm omnes illi, laboravi;* et iterum addit, tanquam memor gratiæ, *non ego,* inquit, *sed gratia Dei mecum :* Non facit ergo inanem gratiam ille qui digna ei opera subjungit, et gratiæ Dei non exstitit ingratus. Qui enim post consecutam gratiam peccat, ingratus fit ei, qui præstitit gratiam; si autem non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, et tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem consequeris; sicut et ipse scribit Petrus in Epistola sua dicens, *gratia vobis et pax multiplicetur in recognitione Dei* (1. *Petr.* I. 2.); et item alibi, *ut boni dispensatores multiplicis gratiæ Dei.* (1. *Petr.* IV. 10.)

Venerab. HILDEB. *in Advent. Dom. serm.* 4. *pag.* 224. Sed animæ captivæ et miseræ quis præstabit egressum ut respiret ab hac morte ad vitam? Audi Apostolum : *Gratia Dei per Jesum Christum.* (*Rom.* I. 7.) Hic est Rex Salomon, qui gratiâ liberat, non meritis. Ut enim Rex ille iniquus retiacula præparat, quibus peccantes capiat, et captos occidat, ita Rex pacificus instrumenta disponit virtutum, divisiones ordinat gratiarum, quibus illius vires enervat, et machinamenta evertit.

PASCH. RATBERT. *Exposit. in Psal.* XLIV. *pag.* 708. Commendat autem primùm Christi gratiam in titulo, ut totum sponso capiti tribuatur, quidquid prædicatur in corpore honestatis, quoniam ipsius est laus, quod contulit sponsæ gratis ipsius virtus. Et omnia quæ ex ea gloriosa dicuntur, ejus sunt muneris dona. Undè dicamus omnes, dicamus singuli, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* (*Psal.* CXIII. 1.) Profectò quia gratuita, semper ejus est sancta largitio, eo quòd humani meriti nulla unquam præcedit exactio. Quia et si quod est bonum cujuslibet hominis meritum, ab ipso utique est, à quo est *omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jacob.* I. 17.) : quod nec habere potest homo, nisi fuerit datum, nec perseveranter habere nisi ab ipso fuerit custoditum.

AMOLO Lugdun. Archiep. *Opusc.* 2. *de præscientia seu prædestinat. pag.* 1611. Gratiam itaque Dei credere debemus, quâ humanum genus nullis suis bonis meritis præcedentibus, solâ Dei gratuitâ bonitate et misericordiâ salvatur per unum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. Per hanc gratiam, id est, gratuitum donum suum, trahit Deus Pater quos vult ad filium suum. Trahit autem, non necessitate, sed delectabili voluntate et amore. Sicut ipse Filius dixit, *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* (*Joan.* VI. 44.) Trahit eosdem et ipse Filius ad se, sicut ipse dicit, *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* (*Joan.* XII. 32.) Hanc accipiunt in baptismo regenerati parvuli et majores, et quotidiè fideles in omni cogitatu, et opere, et sermone bono. Exhortatur videlicet, quod bonum est inspirando : confirmat verò, quod inspiraverit conservando. Nullum est enim hominis bonum, quod non sit Dei donum.

S. BERN. Abb. *in temp. Resurrect. ad Abb. serm.* 2. *n.* 7. *pag.* 901. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal.* XV. 2.) Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, et cujus sunt universa? Gratia gratis datur; etiam cùm emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

PHILIP. Abb. BONÆ SPEI *lib. de obedientia Cler. c.* 18. Pulchrè autem in salute non solùm gratiam, sed et pacem Paulus ponit, et utraque simul jungens, signanter gratiam anteponit, in gratiam gratuitam remissionem intelligens delictorum, in pace verò, perfectionem debitam meritorum. Ex sola enim gratia pectori primùm delicta remittuntur, his remissis bona efficaciùs opera consequuntur: quorum limà et studio ad senilem tandem obedientiam meritò pervenitur, cum sopita lile carnis et spiritùs Deo serenius obeditur. Illa remissionis munificentia nullis operum meritis prævenitur, et ideò rectè gratia dicta est, quia gratis divina bonitas hanc largitur; hæc provectæ mentis tranquillitas, etsi divini esse muneris non negatur, tamen laboranti et sudanti quasi debita merces datur. De qua mercede idem alibi Paulus dicit: *Pietas ad omnia utilis est; promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ.* (1. *Tim.* IV. 8.)

CONCIL. CHALCEDON. *ann. Christi* 451. *act.* 1. *ex* NICÆNA Synod. *tom.* 4. *Concil. edit. Labb. pag.* 286. Verè *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I. 17.); undè et gratiâ ejus salvi facti sumus, secundùm Apostolicum dictum, *et hoc*, inquit, *non ex nobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur.* (*Ephes.* II. 8. *et* 9.)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *ann.* 1547. *Decret. de Justificat. cap.* 8. *pag.* 760. *T.* 14. *Concil. edit. Labb.* Cùm verò Apostolus dicit, (*Rom.* III. 28.) justificari hominem per fidem, et gratis ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, et expressit: ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium fundamentum et radix omnis justificationis, *sine* qua *impossibile est placere Deo*, (*Hebr.* XI. 6.) et ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. *Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.* (*Rom.* XI. 6.)

RICH. A S. VICT. *Part.* 2. *lib.* 6. *sup. Apocalyp. cap.* 8. *pag.* 296. *Qui vult accipiat aquam vitæ gratis* (*Apoc.* XXII. 17.); *aquam vitæ*, id est gratiam vivificantem; *gratis*, quia absque meritis humanis, in gratia quippè quæ prima datur meritum accipientis non opitulatur, in gratia quæ jam venè operanti ut melius operetur confertur, meritum operantis et accipientis non excludilur. Humana nempè actio quemadmodùm absque gratia inutilis est, ita cum gratia semper prodest. Primùm igitur gratia nobis datur, quæ deinceps merito nostro utrumque cooperante nobis multiplicatur.

JOAN. GERSON. *in Descrip. terminorum ad Theolog. utilium.* Gratia gratis data est donum, sic appellatum, quia sine meritis datur.

Ad Paginam 2. *lin.* 5.

(C) ORIGEN. *in Matth. Tract.* 33. *p.* 105. * *Omnis enim habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.* (*Matth.* XXV. 29.) Ut puta fidem habenti quæ est ex nobis dabitur gratia fidei quæ est per spiritum fidei, et abundabit: et quidquid habuerit quis ex naturali creatione, cùm exercuerit eum, accipit id ipsum ex gratia Dei, ut abundet et firmior sit in eo ipso quod habet. Non enim de scientia sola, sed de omni virtute intelligendum est nobis quod ait Salomon: * *Etsi fuerit quis perfectus inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum reputabitur* (*Sap.* IX. 6.); sic et qui perfectus fuerit in castitate, aut in justitia, aut in veritate aut pietate, non fuerit autem ei aut castitas, aut justitia, aut virtus, aut pietas quæ venit ex gratia Dei, in nihilum reputatur hujusmodi homo. Propterea si volumus ut detur nobis virtus perfectior, et abundet in nobis, quod perfectum est inter homines per diligentiam omnimodo acquiramus: et postquam acquisierimus quasi intelligentes quoniam in nihilum hæc reputantur sine gratia Dei, humiliemus nosmetipsos sub manu valida Dei, et *oremus sine ira et disceptatione levantes puras manus* (1. *Tim.* II. 1.), ut omnium bonorum

quæ sunt in nobis, perfectio detur ex Deo, et faciat nos perfectos, et acceptabiles Deo quasi filios Dei.

GREG. NAZIANZ. *Orat.* 31. *pag.* 508. Tria hominum genera cónstituenda videntur. Alii enim naturæ indole ad virtutem tendunt. Naturam porrò cùm dico, liberam voluntatem haudquaquam spernò : sed utrumque statuo, nimirùm et naturæ ad bonum facilitatem atque aptitudinem, et animi voluntatem, naturalem illam aptitudinem ad bonum ducentem. Quidam autem alii sunt, quos sermo et doctrina purgat, vitiosisque animi perturbationibus truncat. Hos esse existimo, qui ab hominibus castrantur, cùm videlicet magistri præcepta et sermones, virtutem à vitio distinguentes, atque alterum rejicientes, alterum præscribentes; juxta illud, *Declina à malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI. 27.), spiritualem pudicitiam effecerint. Quod etiam exsectionis genus probo, atque et doctores, et discipulos inprimis laudo : quoniam et illi pulchrè exsecuerunt, et hi pulchriùs exsecti sunt. Et sunt, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Alii cùm nullos magistros nacti essent, probi sibi ipsis magistri exstiterunt. Non docuit te mater quid officii esset, non docuit te pater, non Presbyter, non Episcopus, non alius quisquam ex iis, quibus docendi cura commissa est? At tu, rationem tibi insitam movens, ac virtutis igniculum per arbitrii libertatem exsuscitans, teipsum exsecuisti, radicem excidisti, vitii instrumenta depulisti, tantum tibi virtutis habitum comparasti, ut jam ad vitium ferri propemodum nequeas. Quamobrem hanc quoque exsectionem laudandam censeo : magisque etiam fortasse quàm duas superiores. *Qui potest capere, capiat.* (*Matth.* XIX. 12.)

S. JOAN. CHRYS. *in c.* 27. *Gen. Hom.* 54. *init.* In voluntate nostra, post supernam gratiam, sitæ sunt et virtutes, et vitia : et quòd operâ adhibita, possumus fieri virtutibus conspicui : et contrà desides facti, in peccati præcipitium deferri... Nullus ergo prætexat, quòd ignorans virtutem negligat, vel quòd non habeat aliquem viæ ducem et demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis, insita est scientia faciendorum et non faciendorum.

JOAN. HIEROSOL. *Comm. in Matth. cap.* 13. *pag.* 227. Omnis quidem intellectus de Spiritu sancto est, et gratia Dei est; tamen est gratia, quam Deus omnibus hominibus creando donavit : alia est quam non omnibus hominibus, sed dignioribus et excellentioribus, et electioribus donat... Sic et Dominus generalem gratiam, id est intellectum boni et mali, omnibus dat pro necessitate naturæ : quia nec videmur esse homines ad imaginem Dei creati, nisi habuerimus divinum intellectum. Dignioribus autem dat specialem gratiam : ut putà cognoscendi mysteria, non pro necessitate naturæ, sed pro remuneratione bonæ voluntatis, aut bonorum operum... Si ergo est aliquis qui non habet gratiam scientiæ boni et mali; non culpa hominis est non habentis, sed Dei non dantis. Si autem omnes homines intelligunt bonum et malum, non tamen omnes habent gratiam cognoscendi mysterium regni; non est culpa Dei non dantis, sed hominis non quærentis, nec festinantis, nec laborantis, ut mereatur accipere. Si enim illam generalem scientiam boni et mali transegisses; id est, si benè usus fuisses; justè mereberis hanc specialem cognoscendi mysterii scientiam. Si autem illam generalem abscondisti in terram, quæ datur pro necessitate naturæ; quomodò mereberis hanc specialem quæ pro remuneratione bonæ voluntatis aut operum datur? Et hoc est quod alius Evangelista dicit de servo malo, qui *talentum suum abscondit in terram* (*Matth.* XXV. 18.), et nullum fecit fructum de illo. Dominus ejus non solùm talentum tulit de eo, sed adhuc jussit eum puniri : id est, quasi non fructificantem jussit puniri reum. Vide quia paratus fuit et alteram gratiam ei donare, si fructum fecisset de prima.

OLYMPIOD. *Comment. in Ecclesiast. cap.* 5. *pag.* 640. *ait Deum*, quæ verè sunt bona, cunctis æquè liberaliter effudisse : hoc est, liberum arbitrium, dispositionemque ad exercendas obeundasque virtutes.

S. HILAR. *Tract. in Psal.* CXLIV. *n.* 20. *pag.* 570. Totis itaque in Deum allisi et cadentes oculis adspectent : neque quisquam ita de se confidat ut non semper cadere, semper se vereatur allidi. Ab illo sperandum est,

ne casu periclitemur, ne allidamur infirmitate naturæ. Omnia autem nobis vitæ subsidia ex ipso sunt : cùm ex opportunitate fructuum indultis cibis vivimus, cùm manum aperiendo animas nostras donis spiritualibus replet, et cùm ex virtutis suæ fonte copia in nos eorum quæ sibi beneplacita sunt exuberat. Quod utrumque in his quæ consequuntur discernit ita : *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* (*Psal.* CXLIV. 17.) Justus in viis est, cùm infirmitatem nostram in æternum regnum suum, confirmatâ donorum spiritualium communione deduxit : sanctus autem in operibus suis, cùm universis fructus in temporum opportunitate suppeditat : sanctitatem suam in omnium alimonia doceus, justitiam verò in replendis beneplacito animis conservans.

S. AMBROS. *De Caïn et Abel lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 45. Non totum exigit à te Deus, qui totum donavit. Multa enim ad usum substantiæ largitur humanæ, et hoc non potest esse divinum sacrificium, ubi est usus naturæ. Edere, bibere, dormire, aliaque etiam ministeria corporis dono sunt tibi collata, non à te relata Deo munera. Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia.

Epist. 8. *ad Justum*, *n.* 15. Disce, inquit, ex me ; natura adjuvat discentem : Deus autem auctor naturæ est. Dei quoque, ut benè discamus ; quia hoc naturæ est, perdiscere : duri enim corde non discunt. Incrementa per naturam, quæ divini habet gratiam muneris : consummationem et perfectionem Deus dat.

S. AUGUST. *Enarr. in Psal.* CIII. *Serm.* 4. *n.* 2. *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.* (*Ps.* CIII. 24.) Ubi est ipsa sapientia, in qua omnia fecisti ? quo sensu attingitur ? quo oculo videtur ? quo studio quæritur ? quo merito possidetur ? Quo putatis, nisi gratiâ suâ ? Qui donavit ut simus, dona ut boni simus.

Serm. 13. *in Psal.* 11. *aliàs de tempore* 94. *cap.* 2. *n.* 2. Hæc est autem summa eruditionis : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* (*Psal.* II. 11.) Exsulta ei, non tibi : ei à quo es quod es, et quòd homo es, et quòd justus es : si tamen jam justus es. Si autem putaveris quòd ab illo quidem homo es, à te autem justus es ; non servis Domino in timore, nec exsultas ei in tremore, sed tibi in præsumptione. Et quid tibi fiet, nisi quod sequitur ? *Ne quando irascatur Dominus, et pereatis*, inquit, *de via justa.* (*Ibid.* 12.)

Epist. 144. *aliàs* 130. *n.* 2. Xenocrates Polemonem ut scribitis, et nos ex illis litteris recordamur, de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, verùm etiam tunc ebrium, ad mores alios repentè convertit. Quanquam ergo ille, sicut prudenter et veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus : tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis, quod est infirmum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma et vires et salus, et si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore ac perfectore naturæ : quantò magis animi bona donare nullus alius potest ? Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putaverit cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri ? Hoc in libro Christianæ sapientiæ sic scriptum est, *Cùm scirem*, inquit, *quia nemo esse potest continens, nisi Deus det ; et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum.* (*Sap.* VIII. 21.) Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus gentium piè coleret ; non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens et salubriter religiosus exsisteret : quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm et ad futuræ immortalitatem valeret.

S. BERN. *Sentent. n.* 28. *pag.* 1242. Gratia quadripartita est : gratia creans, gratia redimens sive miserans, gratia donans, gratia remunerans. Prima, *omnia per ipsum facta sunt.* (*Joan.* I. 3.) Secunda, *verbum caro factum est.* Tertia, *plenum gratiæ.* Quarta, *et veritatis.* (*Ibid.* 14.)

ADAM. Præmonstr. *Serm. lib.* 1. *in die natal. Dom. Serm.* 26. *n.* 2. *pag.* 98. Hæc tria homini condito gratia contulit conditoris, essentiam, dignitatem, pietatem, ut videlicet esset, ut tam dignum quid esset : tanta ac talia largienti, ut Creatori servire posset. Primum cum creaturis sibi subditis habuit commune : secundum verò et tertium, post illud possedit

spirituale. Quandiù gratia hæc in homine integra fuit, et ipse nimirùm homo integer fuit: possidens in primo, ejus bono seipsum; in secundo Deum, in tertio subjectam sibi creaturam. Ut in medio constitutus, et descenderet obsequium à creaturâ accipiens ad sublevandam temporalem necessitatem; et adscenderet obsequium Creatori impendens ad promerendam æternam felicitatem: totùmque ad bonum reflueret proprium, et quod accepit, et quod impendit obsequium. Eousque verò hæc cum homine gratia fuit, quousque in eo peccatum non fuit. Statim verò ut ad peccatum interdictæ arboris fructum contingens hostis persuasionibus deceptus accessit: et hæc ab eo magna ex parte gratia, de quâ loquimur, abscessit.

Cap. 3. *n.* 3. Ex tunc super miserum et miserabilem hominem ira Dei descendit: quia ex tunc in anima eum cæcitas ignorantiæ obscuravit, et in corpore calamitas mortalitatis oppressit. Miseria verò mortalitatis, concupiscentiæ in carne humana arborem plantavit; Quæ illam tam per impetum ad malum, quàm per contemptum ad bonum corrumpens, atque in immensum excrescens egit incessanter, ut per unum appeteret prohibita, quod Deus noluit, volens: et per alterum despiceret et omitteret jussa, quod Deus voluit, nolens.

Serm. 27. *n.* 6. *pag.* 100. Hæc est gratia Salvatoris nostri Dei, majus nobis et sublimius aliquid conferens, quàm gratia contulit Creatoris nostri Dei; quia nobis essentiam quidem dedit ut essemus: et ad suam nos imaginem et similitudinem creavit ut sublime aliquid essemus, omnem nobis creaturam visibilem supposuit, ut ei præessemus. Hæc verò nos ignorantes erudivit, liberans ab errore; pollutos lavit eripiens à sorde; lotos ornavit, decorans sanctitate; reos judicii sibi reconciliavit salvans à damnatione.

N. 27. Verùm cùm in eo bonum et sine qualitate tale, et sine quantitate tantum sit; non avarè illud sibi soli retinere, sed et copiosè nobis distribuere solet, cùm id partiri decernit, sciens quidem illud ob benignitatem communicari posse, ob immensitatem verò minui non posse. Nam de suâ illâ abundantiâ nobis nonnihil confert, præbens in se nobis gratiam salvationis novam, qui in primis parentibus nostris Creatoris gratiam amisimus antiquam.

S. THOM. I. *part. Quæst.* 21. *art.* 4. *pag.* 52. Sed contra est, quod dicitur in Psal. 24. 10. *Omnes viæ Domini misericordia et veritas.*

Respondeo dicendum quòd necesse est quòd in quolibet opere Dei misericordia et veritas inveniantur; si tamen misericordia pro remotione cujuscunque defectûs accipiatur; quamvis non omnis defectus propriè possit dici miseria, sed solùm defectûs rationalis naturæ quam contingit esse felicem: nam miseria felicitati opponitur. Hujus autem necessitatis ratio est: Quia cùm debitum quod ex divina justitia redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ, neutrum potest in aliquo opere Dei prætermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conveniens sapientiæ et bonitati ipsius; secundùm quem modum diximus aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quidquid in rebus creatis facit, secundùm convenientem ordinem et proportionem facit; in quo consistit ratio justitiæ: Et sic, oportet in omni opere Dei esse justitiam. Opus autem divinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ; et in eo fundatur: Creaturæ enim non debetur aliquid nisi propter aliquid in ea præexistens, vel præconsideratum: Et rursùs, si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid priùs: Et cùm non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid quod ex sola bonitate divinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis: Utpote si dicamus quòd habere manus debitum est homini propter animam rationalem; animam verò rationalem habere, ad hoc quòd sit homo; hominem verò esse, propter divinam bonitatem: Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem ejus: Cujus virtus salvatur in omnibus consequentibus, et etiam vehementiùs in eis operatur; sicut *causa primaria vehementiùs influit quàm causa secunda:* Et propter hoc etiam ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largiùs dispensat quàm exigat proportio rei: Minus enim est quod sufficeret ad conservandum ordinem justitiæ, quàm quod divina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit.

GUILL. ESTIUS *in Lib.* 2. *Sent. distinct.* 26. *parag.* 1. Cæterùm ex parte nostra nomine gratiæ Dei generaliter intelliguntur quæcunque gratuita Dei beneficia, id est, omne id quod gratiosè nobis à Deo conceditur, sive naturale illud sit, sive naturæ terminos excedat : cujusmodi sunt, ut absolutè loquamur, omnia Dei beneficia. Nihil enim eorum est quod non gratuitum sit atque indebitum, si ad originem suam revocetur. Hac generali significatione gratiæ imago Dei ad quem conditus est homo, quæque post peccatum in eo remansit, interdum gratia vocatur à Patribus; nominatim ab Epiphanio semel et iterùm in Epistola quam scripsit ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum. Ita quoque gratiæ nomen usurpat S. Thomas part. 1. quæst. 21. art. 4. cùm docet, in omni opere Dei tam naturali quàm supernaturali, rationem gratiæ simul et justitiæ cujusdam reperiri, ut semper verum sit illud : *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* (*Psal.* XXIV. 10.) Quamvis enim præsuppositâ in Deo voluntate instituendi creaturas, quamdam justitiæ ac debiti rationem habeat, quòd eas faciat secundùm conditiones et proprietates uniuscujusque naturæ convenientes, gratuiti tamen est beneficii; et proindè misericordiæ Dei (prout misericordiæ nomen in Scripturis frequenter accipitur,) quòd creaturas ex nihilo producat. Simili modo gratiæ nomen usurparunt plerique Græci atque ipsa sexta Synodus œcumenica, actione II. quando docuerunt Angelos esse immortales per gratiam.

Ad Paginam 2. *lin.* 15.

(D) TERTULL. *de Pœnit. pag.* 140. Itaque et populum sibi congregavit, et multis bonitatis suæ largitionibus fovit, et ingratissimum totiès expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est, et prophetando, universorum Prophetarum emisit ora : mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo orbi illuminaturus esset, præire intinctionem pœnitentiæ jussit, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentiæ subsignationem ante componeret.

S. AMBR. *De Cain et Abel. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 11. Imitatus illum medicum qui de cœlo venit ut demonstraret hominibus prudentiæ vias et sapientiæ semitas parvulis revelaret. Videbat enim laborantes non posse sine remedio salvari, et ideò medicinam tribuebat ægris. Ideò omnibus opem sanitatis detulit : ut quicunque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, quâ curari noluit, cùm remedium haberet, quo posset evadere : Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia; eò quòd ii qui pereunt, suâ pereant negligentiâ : qui autem salvantur, secundùm Christi sententiam liberentur, *qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* (1. *Tim.* II. 4.)

In Psal. CXVIII. *Serm.* 20. *n.* 29. Et si longè est à peccatoribus salus; tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini. Qui enim suo peccato pereunt, misericordiâ Domini liberantur. ' *Miserebor*, inquit, *cui misertus ero.* (*Exod.* XXXIII. 19.) Palàm apparuit non quærentibus, vocavit refugientes, congregavit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni.

S. AUG. *de Civ. Dei, lib.* 10. *c.* 29. *n.* 1. O si cognovisses Dei gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum, ipsamque ejus incarnationem, quâ hominis animam corpusque suscepit, summum esse exemplum gratiæ videre potuisses. Sed quid faciam ? Scio me frustra loqui mortuo... Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens induceret hominem, et spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus, suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus.

HRABAN. MAUR. *Comment. in Epist. Paul. ad Titum lib.* 25. *cap.* 2. *pag.* 528. Illuxit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus. Non est enim aliqua differentia, liberi et servi, Græci et Barbari, circumcisi et habentis præputium, mulieris et viri : sed cuncti in Christo unum sumus, universi ad Dei regnum vocamur, omnes post offensam patri nostro reconciliandi sumus; non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris,

vel quòd Dei patris vivens et subsistens gratia ipse sit Christus, vel quòd Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia, et non nostro merito salvati sumus, secundùm illud quod in alio loco dicitur, *pro nihilo salvabis eos;* (*Psal.* LV. 8.) quæ gratia omnibus hominibus ideò illuxit, *ut erudiret nos abnegantes impietatem, et secularia desideria, pudicè et justè et piè vivere in hoc seculo.* (*Tit.* II. 12.)

Plura ea de re Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia congerere supervacaneum foret : siquidem Christi Incarnationem ejusque Passionem pro redemptione generis humani maximas esse gratias nullus Christianus negat.

Ad Paginam 2, *lin.* 18.

(E) S. IGNATIUS *Epist. ad Romanos.* Bonum est à mundo ad Deum occidere, ut in ipso oriar... vim tantùm mihi internam et externam petite, ut non solùm dicam, sed et velim : ut non solùm dicar Christianus, sed et inveniar. Si enim inventus fuero, et talis dici potero, et tunc fidelis esse valebo, cum mundo ampliùs non apparebo.

Acta SS. PERPETUÆ *et* FELICIT. *apud* THEODOR. RUINART, *in actis Mart. sinceris. pag.* 93. Modò ego patior, quod patior, illic autem alius erit in me qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum. *Hæc sancta Perpetua ad Præsidem dum dolores partûs jam jam imminentis sustineret.*

De gratia interiori loquuntur ferè omnia SS. PP. testimonia tum hoc tum sequentibus §. *laudata et laudanda. Hujus porrò effectus docent sequentia.*

S. EPHREM. *Tract. de timore animi, paulò post medium.* Divina gratia in anima mea resplendeat, mentemque tenebris circumfusam illuminet, promptusque ac dignus efficiar precibus vestris mediantibus, qui pœnitentiam agam, et veniam merear. Et adveniente divinâ gratiâ, dulcescat omnis amaritudo mea. Gratiæ enim præsentia, simul cum cordis compunctione, animi dulcedinem et tranquillitatem affert. Exhilarant undæ divinæ gratiæ, jubarque sancti Spiritûs nostra pectora, faciuntque ut anima repentè omnium rerum terrenarum, cupiditatumque carnalium ac noxiarum obliviscatur. Fovent igitur undæ divinæ gratiæ intellectum simul et animam. Similisque est gratia Dei in anima nostra, horto regio pulchris arboribus et fructibus bonis pleno, qui tum sapore, tum odore, tum jucunditate, et pulchritudine suâ, mirificam cunctis sensibus delectationem ac recreationem afferunt. Ita et divinæ gratiæ fructus ac medicamenta nobis splendorem, dulcedinem, lætitiamquæ præbent. O beata illa anima, quæ operibus divinæ gratiæ resplendet; illustratur enim ejus splendore : afficitur dulcedine, contemplationisque ac suavissimi illius odoris gaudio perfunditur. Iterum dico : O beata illa anima, quæ cunctis divinæ gratiæ muneribus ornata est. Nihil anima illa intuetur in terra, sed tota defixa hæret in Deo. Cùm neque sponsi suavitas et gratia, illam aliorsùm se vertere permittat.

Beatitud. pag. 175. *operum illius.* Factus es mihi Domine Jesu Fili Dei, via vitæ, et illuminatio, hausique per meipsum ex fonte dona, plenus desiderio. Facta est tua gratia in corde servi tui lux atque lætitia, dulcior in ore famuli tui, super mel et favum. (*Psal.* CXVIII. 103. *Eccli.* XXIV. 27.) Facta est gratia tua in anima servi tui velut thesaurus, paupertatem meam ditavit, egestatem et sordes à me depulit. Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, protectio et exaltatio, gloriatio et cibus totius vitæ. Quomodo ergo servus tuus, ô Domine, magnam gratiæ ac charitatis tuæ dulcedinem silere poterit? Indignum os meum aperui : sed quo pacto lingua mea largitorem bonorum quotidiè pro dignitate, laudare, et glorificare poterit? aut quomodo rursùs ego peccator excludere audebo gratiæ tuæ fluctus in corde meo pullulantes, ac suavitate diversissimorum munerum plenos? Canam ergo gloriam cœlorum Domino, qui famulo suo dona cœlestia per multiformem suam gratiam est largitus. Magnificabo gratiam tuam, Christe Salvator; in hac etenim celebranda, mihi ipse laudem et magnificentiam in ea invenio. Non cessabo, Domine, linguâ meâ gratiam tuam collaudare. Non silebit mea cithara in modulandis canticis spiritalibus. Ad te, Salvator, qui gloria es vitæ meæ, desiderio tui trahor. Tua gratia mentem meam ad sequendum te, mirâ quadam dulcedine impellit. Fiat tibi cor meum terra bona, quæ semen tuum bonum suscipiat : perfundatque illam rore vitæ æternæ, gratia tua. Eademque gratia è terra cordis mei metat sibi pro fructu

optimo compunctionem, adorationem, sanctificationem, cujusmodi semper tibi sunt gratissima. Converte meam animam, cum ove illa perdita atque inventa, ad ovile paradisi deliciarum. Anima mea tuo illustrata reperiatur lumine. Et sicut ovem illam inventam in humeris tuis sustulisti; ita quoque indignam hanc meam animam, ad te manu tua trahito.

Ex Orat. S. Ephrem operum pag. 255. Omnia irritavi bona, quæ mecum à juventute mea fecisti, irritavi, inquam, et irrito: me quippè simplicem atque imprudentem, vas plenum fecisti scientiâ et sapientiâ, tuaque super me multiplicata est gratia, quæ etiam meam implevit famem, refrigeravitque sitim; mentemque meam tenebris plenam illuminavit, ac cogitationes meas ab errore revocavit. Et nunc Domine Deus meus, adoro, deprecor, procido, obsecro, meamque infirmitatem confiteor: propter infinitam tuam clementiam, paululùm undas gratiæ tuæ remitte, illamque mihi in thesaurum tuum asserva, ut ipsa mihi iterùm in die illa tremenda lux existat. Ne igitur irascaris mihi, benignissime Domine; cùm enim illius undas ferre non sustineam, ideò temerè deposco. Nam supra modum multiplicata est in me, meaque infirmata est lingua, illam efferre atque explicare nequiens. In stuporem cor meum versum est, inundationis illius copiam non sustinens.

S. Basil. *Homil.* 31. *pag.* 635. * *Ignem veni mittere in terram. Et quid volui, nisi ut jam esset accensus?* (*Luc.* xii. 49.) Est enim inflammatio spiritus, corda excitans et calefaciens. Propterea, quòd spiritalis ac divinus ignis animas quidem illuminat, et probat internè, sicut aurum sincerum in camino probatur, malitiam verò consumit, veluti stipulam ac spinas.

S. Joan. Chrysost. *ad populum Antioch. Hom.* 21. *ad illuminandos, pag.* 264. Hoc et te secundùm potentiam tuam facere jussit in his, quæ tibi credita sunt, sanctitatem, quam accepisti, intendere: et ex lavacro justitiam reddere clariorem, et gratiam illustriorem facere... Propterea que recenter illuminatus vocari debes: quoniam nova lux semper tibi, si velis, et nunquam exstinguitur... Non sic enim mundus est clarus oriente radio, ut anima illustratur et splendidior fit à Spiritu gratiam suscipiens. Postquam enim gratia veniens mente tenebras expulit, rerum veritatem discimus, et nobis fiunt despicabiles res priùs tremendæ: nec enim ampliùs mortem timemus, diligenter ex hac sacra introductione discentes, quòd mors non est mors, sed somnus, et dormitio temporaria.

Joan. Hieros. *Comment. in Matth. cap.* 7. *pag.* 185. Qui justitiam operatur, cùm sit et ipsa justitia Spiritus sanctus, operatur in eo delectationem justitiæ faciendæ, ut delectatus circa justitiam, ampliùs facial. Tale est quod dicit Sapientia: * *Cogitatum habe in præceptis Dei, et in mandatis ejus meditare semper, et ipse confirmabit cor tuum, et concupiscentiam sapientiæ tibi dabit.* (*Eccli.* vi. 37.) Vides quia ipsa justitia se operatur, te tantummodò inchoante et laborante? Sed et ipsa se adaperit dum colitur.

S. August. *Enrichid. de fide, spe et charit. cap.* 82. *n.* 22. Duabus ex causis peccamus, aut nondum vivendo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit: sed profectò vincimur, nisi divinitùs adjuvemur, ut non solùm videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio justitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus.

Cap. 82. Non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam, *ne fortè det illi Deus pœnitentiam.* (2. *Tim.* ii. 25.) Et ut Petrus amarè fleret, præmisit Evangelista, et ait, *Respexit eum Dominus.* (*Luc.* xxii. 61.)

De Doctrin. Christian. lib. 1. *cap.* 15. *n.* 14. Ad consolationem hujus itineris de Spiritu suo tantum dedit, quo in adversis vitæ hujus fiduciam charitatemque tantam ejus, quem nondùm videmus, habeamus, et dona cuique propria ad instructionem Ecclesiæ suæ, ut id quod ostendit esse faciendum, non solùm sine murmure, sed etiam cum delectatione faciamus.

In Psal. XXV. *Enarr.* 2. *n.* 11. Audire vocem laudis, est intelligere intùs, quia quidquid in te mali est de peccatis, tuum est; quidquid boni in justificationibus, Dei est. Ita audi vocem laudis, ut non te laudes et quando bonus es. Nam laudando te bonum, fis malus. Bonum enim te fecerat humilitas, malum te facit superbia. Conversus eras ut illumineris, et conversione tuâ factus es luminosus, factus illustratus conversione. Sed quò? nunquid ad te? Si ad te conversus posses illuminari, nunquam posses tenebrari, quia tecum semper esses. Quare illuminatus es? Quia convertisti te ad aliud quod tu non eras. Quid est aliud quod tu non eras? Deus lumen est. Non enim tu lumen eras, quia peccator eras. Dicit enim Apostolus eis, quos vult audire vocem laudis, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux.* (*Ephes.* V. 8.) Quid est, *Fuistis aliquando tenebræ*, nisi veteres homines? *nunc autem lux:* non sine causa lux estis, qui fuistis jam dudùm tenebræ, nisi quia illuminati estis. Noli putare te ipsum esse lucem: illa est *lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* (*Joan.* I. 9.) tu autem per teipsum, per malam voluntatem, per aversionem tuam tenebratus eras, modò luces. Sed subjecit statim, ne superbirent illi quibus dictum est, *nunc autem lux;* et addidit, *in Domino.* Sic enim ait, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ergo si præter Dominum, nec lux; si autem ideò lux, quia in Domino; *quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.) Hoc enim ipse Apostolus dixit alio loco hominibus superbientibus, et volentibus sibi tribuere quod Dei est: de bono sic gloriari quasi de suo, hoc eis dicit: *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Qui dedit humili aufert superbo: quia qui dedit, potest auferre.

In Psal. XXVI. *Enarr.* 2. *n.* 3. * *Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo?* (*Psal.* XXVI. 1.) Ille me illuminat, recedant tenebræ: ille me salvat, recedat infirmitas: ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat Deus, quæ ab aliquo possit extorqueri; aut lumen est, quod ab aliquo possit obtenebrari. Dominus illuminans, nos illuminati; Dominus salvans, nos salvati; si ergo ille illuminans, nos illuminati, et ille salvans, nos salvati; præter ipsum nos tenebræ et infirmitas.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 17. *n.* 3. Docet ergo Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem. Cùm itaque alia sint quæ ideò discimus, ut tantummodò sciamus, alia verò ut etiam faciamus; quando Deus ea docet sic docet ut scienda sciamus aperiendo veritatem, sic docet ut facienda faciamus inspirando suavitatem. Neque enim frustra ei dicitur: *Doce me ut faciam voluntatem tuam.* (*Psal.* CXLII. 10.) Sic, inquit, doce ut faciam, non tantummodò ut sciam. Ipsa quippe rectè facta, fructus noster, quem reddimus agricolæ nostro: sed Scriptura dicit, *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* (*Psal.* LXXXIV. 13.) Quæ autem ista terra est, nisi de qua dicitur eidem ipsi qui dat suavitatem, *anima mea velut terra sine aqua tibi.* (*Psal.* CXLII. 6.)

N. 4. Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea quâ id credidi, impetret abs te gratiam, quâ faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hæc juberet forinsecùs, nunquid ut etiam facerem quod jubebat, adjuvaret intrinsecùs? Doce ergo me suavitatem inspirando charitatem, doce me disciplinam donando patientiam, doce me scientiam illuminando intelligentiam. *Quoniam mandatis tuis credidi.* (*Psal.* CXVIII. 66.) Te illa credidi mandasse qui Deus es, et homini donas undè facias eum facere quod mandas.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 22. *n.* 7. *Eloquia tua, super mel et favum ori meo.* (*Ibid.* 103.) Hæc est illa suavitas, quam Dominus dat, ut terra nostra det fructum suum: ut bonum verè benè, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus.

S. LEO. *Serm.* 30. *in solemnit. Epiphan.* 1. *cap.* 1. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se invenicndum obtulit requisitus.

Serm. 11. *de jejun.* 10. *mens.* 1. *cap.* 1. Quotidiè nos utique reparat gratia Salvatoris, dùm quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa

autem reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi nos prior ipse diligeret, et tenebras ignorantiæ nostræ, suæ veritatis luce discuteret... Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat, et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat undè ipsi quoque quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans, ut non solùm ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus.

GILLEBERT. Abb. *in Cant. Serm.* 9. *n.* 3. *pag.* 29. *Tenuisti*, inquit, *manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.* (*Psal.* LXXII. 24.) *Tenuisti* ne pergerem in defectum, deduxisti in multiplicem profectum. *In voluntate tua deduxisti me*, id est, in voluntate quæ à te est, et quæ secundùm te est. In voluntate quæ magis trahens quàm tracta est. Nam et bonam voluntatem cum multo labore nonnunquam attrahere nitimur, et magis prosequimur quasi fugientem, quàm sequimur ducentem : sic enim legitur : *Concupivi desiderare.* (*Psal.* CXVIII. 20.) Bona talis voluntas, sed nondùm placens. Justa, sed nondùm jucunda. *In voluntate tua deduxisti me :* in illa quæ blando constat boni ipsius gustu : nec tantùm (ut sic dicam) pigrâ nititur ratione, quàm piâ boni ipsius oblectatione.

ADAM. Præmonstr. *Serm. lib.* 1. *Serm.* 38. *in Dom. infra Octav. Nativit. n.* 18. Super his bonis internæ gratiæ visitatio, quam exprimit Simeon, rationem convenit, conveniens instruit, instruens certam facit. Ipsa namque menti, quam suâ præsentiâ judicat dignam, illam solet infundere actionem, *quæ docet*, juxta Beati Joannis Apostoli sententiam, *de omnibus* (1. *Joan.* II. 27.) ; mentem, cui infunditur illustrat ad cognitionem veritatis per intellectum. Quia verò unctio est, illam emollit ad amorem virtutis per affectum. Et si quid de ea plenius et perfectius vultis agnoscere, ipsa est *charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* V. 5.)

GUILLEL. PARISIEN. *de Sacram. pœnit. cap.* 1. *pag.* 456. Tria nobis adminicula divinæ providentiæ miseratio nobis adhibuit, videlicet lucernam Scripturæ, adjutorium doctrinæ, spiraculum gratiæ ; de quo Proverb. 20. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.* (*Prov.* XX. 27.) Quantùm enim offendat ipse qui peccat, à quantis bonis cadat et in quanta mala se injiciat ; deindè quantis auxiliis gratiæ divinæ, ut resurgat, et relevetur, indigeat, nosse, atque videre non est naturæ tot et tantis malis immixtæ, immersæ, atque involutæ virtus, aut officium, sed divinæ gratiæ inæstimabile, atque irregrabiliabile beneficium ; præter hoc, et eo sensu doloris, et compunctionis affligi, illoque flumine lacrymarum profluere, illo pudore confundi, illoque timore terreri, illo tremore conculi, quod minus etiam solius peccati mortalis vulnus, imminensque supplicium æternæ damnationis, fœditasque, ac turpitudo, nuditasque ejusdem peccati coram oculis Dei meritò exiguunt, non est mortuarum spiritualiter animarum possibilitas, sed gratiæ vivificantis, sensificantis, ac illuminantis interiores oculos incomparabiliter donum ; supersedemus metu prolixitatis enumerare, et enarrare quàm impossibile sit peccatori divino auxilio atque præsidio destituto, victo, et in victoris diaboli potestatem dato, et in ejus servitutem redacto, ex Joan. VIII. 44. et 2. Can. Petri : deindè lætabiliter vulnerato funibusque peccatorum constricto, Proverb. V. 22. quàm, inquam, impossibile est ei tot, et tantis incommodis prostrato, obruto, et obsesso eripi de potestate tenebrarum... Per se ergo hoc est, quòd solus viribus suis resurgere non potest miserrimus, infidelissimus, infelicissimusque peccator, qui per se solùm cadere potuit. Quemadmodum alibi idem aliis verbis dicitur, scilicet homo est *spiritus vadens, et non rediens.* (*Ps.* LXXVII. 39.) Vadens scilicet per se ; non rediens autem per se. De alto namque gratiæ, de arce virtutum, quasi de turre excelsa, atque sublimi præcipitare se potest in cloacam immunditiæ, quantùm ad luxuriam secundùm Augustinum in fornacem vitiorum, et profunditatis abyssum : sed ut confractis, vel potiùs amissis alis, illùc revolet, et non solùm confractis, sed potiùs contritis illùc redeat, est impossibile.... Jam ergo patefecimus reversionem esse animabus humanis, ac reparationem, seu restitutionem post lapsum in peccata ; et qualiter etiam est hoc, videlicet quæ partim ex conatu ipsarum animarum, licèt ad modicum, partim autem

ad plurimum, immò penè ad totum, ex superabundanti gratia, ubi prius abundavit delictum : et declaravimus etiam cum hoc, et etiam stabilivimus libertatem arbitrii, sive liberum arbitrium, licèt multùm depressum, atque detritum in nobis : et quia largitas misericordiæ Dei nullo modo se denegat ad illam redire conantibus, qui conatus absque ejus adjutorio reverà nihil est ; sicut dicit August. in libro Confessionum. *Scio*, inquit, *quia sine te nihil sunt omnes conatus mei.* Et ipsa veritas, (Joan. XV. 5.) *sine me nihil potestis facere.* Qui etiam conatus gratiæ Dei prævenientis dona sunt, quando et ipsum desiderare gratiam, gratis est sicut dicit August. in libro de correctione, et gratia : *desiderare autem gratiam munus est et ante ordine naturali, quàm ipsum conari ad gratiam.* Quapropter si ipsum est gratiæ, cùm sit causa efficiens ejus, quod est conari ad gratiam, multò fortiùs ipsum conari ad gratiam, gratia erit : quod utique verum est secundùm rectam intentionem ejus, quod est conari : interdùm tamen conari ad gratiam intelligitur abusivè, qui facit aliquid, quo facto ad gratiam recipiendam est habilior, licèt non intendat ad gratiam. Intendere enim ad gratiam etiam gratiæ est, quia ipsum nosse gratiam, non potest esse, nisi ex gratia. Aliud autem est longè conari redire ad innocentiam, atque justitiam, qualem natura suggerit, et ostendit ; aliud conari ad sublimitatem gratiæ, quàm similiter gratia sola ostendit ; fortassis enim fuit naturæ humanæ in statu naturalis innocentiæ, si ab illo per peccatum non cecidisset, si alia læsio, vel vis quàm ipsum peccatum secuta esset, ad illam redire, et omnem maculam ex illo inhærentem, vel relictam, naturali pœnitudine abradere, atque abolere ; ab altitudine autem gratiæ cadentes ad illam revolare naturæ viribus, per se impossibile est indubitanter.

De univers. Part. 2. *cap.* 59. *pag.* 904. Doctrina Christianorum verissimè vitam nominat gratiam Creatoris, quà sensus et isti interiores, ac spirituales reviviscunt aliqualenùs. Exempli gratiâ, visus interior reviviscit ad videndam et intuendam lucem, solem scilicet intelligentiæ, et justitiæ, qui est creator benedictus. Sic et ipsa voluntas, hoc est virtus volendi, vel amandi, tanquam vivifico, seu vitali calore recalescit amore Creatoris rectissimo. Et ad hunc modum est videre de virtute irascibili, quòd ipsa resurgit, et elevatur magnificentia sancta, et recalescit similiter ita nobilissima, quæ est zelus rectissimus : et juxta modum ipsum singulæ virtutes veræ rationis, et singula dona gratiarum vitam istam spiritualem, aut tanquam partes ejus constituunt.

R. P. MARTIN DE LAUDUN. Carthus. *Epist. sacra cap.* 8. *pag.* 498. *Tom.* 27. *Biblioth. PP. Lugd.* Nisi quia Dominus adjuvit te, paulò minùs habitasset in inferno anima tua. Deus autem qui dixit de tenebris lumen splendescere, ostendit tibi lucem miserationum suarum, et de abyssis terræ iterùm te reduxit : ne penitùs periret qui abjectus fuerat. Hinc est quod cùm in tenebris sederes, et lumen cœli non videres, Dominus emisit lucem suam et veritatem suam, quasdam scilicet primitias spiritûs quibus intra te gemeres, quæ te *deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum suum et in tabernacula sua :* (*Psal.* XLIII. 3.) ut interim haberes fructum tuum in sanctificationem : finem verò vitam æternam. Quòd si imperfectum tuum non vidissent oculi ejus : nec complevisset Deus opus suum quod cœperat, quomodo ignis semper arderet in altari tuo, cùm esset tibi ventus contrarius ? Profectò palpasses sicut cæcus in meridie : (*Job.* V. 14.) in tenebris ambulans usque adhuc, cùm utique hi qui quærunt exstinguere scintillam tuam parati essent producere ventos de thesauris suis. Sed quia Dei perfecta sunt opera, imperavit ventis et mari, donec à scintilla una augeretur ignis : et semita tua quasi lux splendens procederet et cresceret usque ad perfectum diem. Verùm quoniam omnia in pondere et mensura et numero disponuntur à Domino (*Sap.* XI. 21.), nec est in homine via ejus, ut dirigat gressus suos, proficisci non potest per desertum donec nubes elevetur à tabernaculo ; adhuc modicum lumen in te est.

S. THOM. 1. *p. q.* 105. *art.* 3. *pag.* 216. Sed contrà. Docens movet intellectum addiscentis : sed *Deus docet hominem scientiam ;* (*Psal.* XCIII. 10.) sicut dicitur in Psal. Ergo Deus movet intellectum hominis.

Conclusio. « Cùm Deus sit primum intelligens, et primum ens in quo

» omnia entia præexistunt intelligibiliter, movet intellectum creatum, » et dando ei virtutem ad intelligendum, et imprimendo species intelli- » gibiles quibus actu intelligat. »

Respondeo dicendum quòd sicut in motibus corporalibus movens dicitur, quod dat formam quæ est principium motûs; ita dicitur movere intellectum, quod causat formam quæ est principium intellectualis operationis, quæ dicitur motus intellectûs. Operationis autem intellectûs est duplex principium in intelligente : unum scilicet, quod est ipsa virtus intellectualis; quod quidem principium est etiam in intelligente in potentia : aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ in intelligente. Dicitur ergo aliquid movere intellectum, sive det intelligenti virtutem ad intelligendum, sive imprimat ei similitudinem rei intellectæ. Utroque autem modo Deus movet intellectum creatum : ipse enim est ipsum primum ens immateriale. Et quia intellectualitas consequitur immaterialitatem, sequitur quòd ipse sit primum intelligens : undè cùm primum in quolibet ordine sit causa eorum quæ consequuntur, sequitur quòd ab ipso sit omnis virtus intelligendi : similiter cùm ipse sit primum ens, et omnia entia præexistant in ipso sicut in prima causa, oportet quòd sint in eo intelligibiliter secundùm modum ejus : sicut enim omnes rationes rerum intelligibiles primò existunt in Deo, et ab eo derivantur in alios intellectus, ut actu intelligant; sic etiam derivantur in creaturas, ut subsistant : sic igitur Deus movet intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel superadditam; et in quantum imprimit ei species intelligibiles, et utrumque tenet et conservat in esse.

Art. 4. Sed contrà est, quod dicitur Philip. II. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.*

Conclusio. « Proprium est Dei voluntatem movere, ipsam in volente » causando et objectivè interiùs efficaciter illam inclinando. »

Respondeo dicendum quòd sicut intellectus, ut dictum est art. 3. movetur ab objecto, et ab eo qui dedit virtutem intelligendi : ita voluntas movetur ab objecto quod est bonum, et ab eo qui causat virtutem volendi. Potest autem voluntas moveri sicut ab objecto, à quocunque bono, non tamen sufficienter et efficaciter nisi à Deo : non enim sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis excedat, vel saltem adæquet virtutem passivam mobilis : virtus autem passiva voluntatis se extendit ad bonum in universali : est enim ejus objectum bonum universale; sicut et intellectûs objectum est ens universale : Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum : solus autem Deus est bonum universale : undè ipse solus implet voluntatem et sufficienter eam movet, ut objectum. Similiter autem et virtus volendi à solo Deo causatur : velle enim nihil aliud est quàm inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod est bonum universale : Inclinare autem in bonum universale est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis; sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est ejus qui præest multitudini : undè utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maximè secundo modo interiùs eam inclinando.

Ad primum ergo, dicendum quòd illud quod movetur ab altero, dicitur cogi, si moveatur contra inclinationem propriam : sed si moveatur ab alio quod ipsi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi : sicut grave cùm movetur deorsùm à generante, non cogitur : sic igitur Deus movendo voluntatem, non cogit ipsam; quia dat ei ejus propriam inclinationem.

Ad secundum, dicendum quòd moveri voluntariè, est moveri ex se, id est, à principio intrinseco : sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco; et sic moveri ex se non repugnat ei quod est moveri ab alio.

Ad tertium, dicendum quòd si voluntas ita moveretur ab alio, quòd ex se nullatenùs moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum : sed quia per hoc quòd movetur ab alio, non excluditur quin moveatur ex se, ut dictum est, ideò per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.

Ad Paginam 2. *lin.* 27.

(F) *En Scripturæ loca quæ gratiam gratuitam probant juxta* GUILL. EST. *in lib.* 2. *sentent. Dist.* 26. *parag.* 31. *pag.* 348. Huc igitur imprimis et directè faciunt Scripturæ, quæ opera nostra, id est ex nobis facta, à negotio justificationis et salutis nostræ prorsùs removent, et è contrà solam Dei gratiam commendant, ut « Ex operibus legis non justificabitur » omnis caro. (*Rom.* III. 20.) *Et iterum :* Justificati gratis per gratiam » ipsius. (*Ibid.* 24.) Et si Abraham ex operibus justificatus est, habet glo- » riam, sed non apud Deum. (*Id.* IV. 2.) *Et mox :* Ei autem qui operatur, » merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. » (*Ibid.* 4.) *Ac rursùm :* David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto » fert justitiam sine operibus. (*Ibid.* 6.) » Quod idem breviter ac diserè dicitur ejusdem Epistolæ cap. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* (*Id.* XI. 6.) Ex quibus locis patet eam esse oppositionem inter gratiam et opera seu merita nostra, ut se invicem excludant.

Eòdem pertinent hæc Scripturæ : « Gratiâ estis salvati per fidem : et » hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis » glorietur. (*Eph.* II. 8. 9.) Liberavit et vocavit nos Deus vocatione suâ » sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum » et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu. (2. *Tim.* I. 9.) *Et ad* » *Tit.* III. 5. Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam » misericordiam salvos nos fecit. *Item Ezechiel.* XXXVI. 22. Non propter vos » ego faciam, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gen- » tibus. *Et iterum :* (*Ibid.* 32.) non propter vos ego faciam, notum sit » vobis. » Undè et ibidem dicitur : (*Ibid.* 26.) *Dabo vobis cor novum, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum*, etc. De quo toto Prophetæ loco vide Augustinum libro de gratia et libero arbitrio capite XIV. Item Ephes. II. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Significatur enim hisce verbis, quòd sicut creatura non se potest ullo modo disponere ad creationem suam, cùm antea nihil sit quantùm ad esse suum naturale ; ita nec homo disponere se possit ullo prævio opere ad gratiam bonorum operum et justitiæ in Christo, id est, ad reparationem, et quasi recreationem suam ; cùm et ipse ante gratiam reparantem et recreantem nihil sit, quantùm ad esse spirituale. Huc item faciunt Scripturæ quæ nostram ad Deum conversionem ipsi Deo tribuunt, et gratiæ ejus, ut Psal. LXXXIV. 5. » Converte nos Deus salutaris noster. (*Jerem.* XXXI. » 18. 19.) Converte me et convertar. Postquam enim convertisti me, egi » pœnitentiam ; *Et Thren. ultimo* (V. 21.) » Converte nos Domine ad te, et » convertemur. *Et Lucæ* XXII. 61. Conversus Dominus respexit Petrum, » scilicet priusquam ab illo per pœnitentiam respiceretur. Quale est illud (Psal. LXXVI. 11.) *Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi :* quo nimirùm significatur, ipsum nostræ conversionis initium dono Dei tribuendum esse, teste sancto Augustino lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 10. Et quæcunque aliæ Scripturæ docent fidem et pœnitentiam esse dona Dei, de quibus est propria tractatio suis locis.

Pertinent eòdem Scripturæ, quæ significant nos trahi à Deo, ad ea quæ sunt justitiæ et salutis nostræ. Trahitur enim quod de se erat aversum et repugnans atque retinens, quemadmodum benè expendunt eam phrasim Hieronymus in dialogo contra Pelagianos. Et Sanct. Augustinus libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 19. et libro 2. capite 8. Loca Scripturæ sunt Joan. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Et XII. 32. *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Cant. I. 3. *Trahe me post te.* Jerem. XXXI. 3. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.*

Quò etiam referendæ sunt Scripturæ quæ significant quòd Deus nos aberrantes quærit, et fugientes insequitur. Id enim docet parabola de ove perdita, quæsita et inventa Luc. XV. et illud Isa. LXV. citatum ab Apostolo Rom. X. 20. « Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui » iis qui me non interrogabant, » et quod idem Apostolus dicit in eadem Epistola cap. IX. « gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt » justitiam, Israël verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non

» pervenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. » (*Rom.* IX. 30. 31. *et* 32.)

His adde Scripturas, quæ Deum nostri comparatione faciunt in dando priorem, ut Rom. (XI. 35.) *Quis prior dedit illi et retribuetur ei.* Cujus et ratio sequitur : (*Ibid.* 36.) *Quoniam ex ipso sunt omnia*, et Job. XLI. 2. *Quis ante dedit mihi ut reddam ei?* Ubi similiter rationem addit generalem : *omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.*

Adde et alias Scripturas quæ commendant gratiam prævenientem, ut est illud Psal. *Misericordia ejus præveniet me.* (*Psal.* LVIII. 11.) Et Prov. VIII. secundùm 70. frequenter ab Augustino et aliis Patribus contra Pelagianos allegatum : *Præparatur voluntas à Domino.*

Peculiariter autem huc faciunt Scripturæ quæcunque docent electionem seu prædestinationem nostram esse merè gratuitam : adeò ut ab ea omne meritum nostrum excludant, cujusmodi sunt istæ Joann. (XV. 16.) » Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. *et* 1. *Joan.* (IV. 10.) Non » quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos. *Et iterum* : » (*Ibid.* 19.) Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. » (*Rom.* IX. 11. 12. *et* 13.) Ut secundùm electionem propositum Dei ma- » neret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major ser- » viet minori. » Et cætera quæ eodem capite ac deinde capite XI. de electione gratuita disserit Apostolus. Atque aliæ Scripturæ, quas plurimas ad demonstrandam gratuitæ prædestinationis doctrinam adduximus distinctione 41. lib. 1. Quæcunque enim argumenta probant prædestinationem non esse ex meritis, eadem æquè convincunt gratiam Dei, quæ prædestinationis est proprius effectus, non dari secundùm merita eorum quibus datur.

Jam huc etiam referendæ sunt variæ comparationes, quibus ad declarandam justificationem peccatoris passim utuntur Scripturæ. Nam præter hoc quod in iis justificatio comparatur creationi, ut Ephes. II. de quo loco jam diximus; comparatur etiam generationi, ut Jacobi (I. 18.) *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, et 1. Petr. (I. 3.) *secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* Atqui res nulla sese potest ad sui generationem disponere. Quare nec homo quidquam suum ac proprium habet quo se disponat ad sui justificationem, sed eam totam accipit dono prorsùs gratuito. Ad quod significandum alter Apostolus addit, *voluntarie*, id est secundùm beneplacitum suæ voluntatis; alter, *secundùm misericordiam suam magnam.*

ORIGEN. *in divers. Homil.* 3. *pag.* 280. Verbum quippè incarnatum Dominus noster Jesus Christus plenitudinem gratiæ secundùm humanitatem accepit : quoniam *caput est Ecclesiæ* (*Ephes.* V. 23.), et primogenitus est creaturæ universæ, hoc est totius universaliter humanitatis, quæ in ipso, et per ipsum sanata et restituta est. In Christo dico, quoniam maximum et principale exemplum gratiæ qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus, ipse est, et in ipso primordialiter manifestatum est. Per ipsum verò, quoniam de plenitudine divinitatis ejus nos omnes accepimus gratiam deificationis per gratiam fidei quâ in eum credimus, et actionem quâ mandata ejus custodimus. Potest etiam plenitudo gratiæ Christi de Spiritu sancto intelligi. Spiritus namque sanctus quoniam distributor est et operator donationum gratiæ, gratia solet appellari : cujus Spiritûs septiformis operatio humanitatem Christi implevit : et in quo requievit, sicut ait Prophela : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* (*Isaï.* XI. 2. *et* 3.)

In Epist. ad Roman. cap. 4. *lib.* 4. *pag.* 333. In superioribus distinctionem dedit mercedis et gratiæ, dicens mercedem rem debiti esse, gratiam autem nullius esse debiti, sed benevolentiæ beneficium. Et in præsenti ergo loco ostendere volens Deum hæreditatem promissionum non ex debito, sed per gratiam dare, dicit quia hæreditas à Deo his qui credunt non ex mercedis debito, sed fidei munere concedatur. Sicut enim (ut exempli causâ dixerim) hoc quòd subsistamus non potest intelligi, quia ex operis nostri mercede subsistamus, sed evidenter Dei munus est quòd sumus, et gratia conditoris, qui esse nos voluit : ita etsi hæreditatem promissionum Dei capiamus, divinæ gratiæ est, non alicujus debiti aut

operis merces. Quòd si fortè videatur hoc ipsum quod dicitur ex fide, non esse gratis, quippe si offerenda sit fides priùs ab homine, et ita à Deo gratia promerenda : audi quomodo in aliis etiam de hoc idem Apostolus docet. Etenim ubi enumerat dona Spiritûs, quæ dicit secundùm mensuram fidei credentibus dari, ibi inter cætera etiam donum fidei asserit per Spiritum sanctum tribui. Post multa namque ita etiam de hoc dicit : *alii fides in eodem spiritu :* (**1.** *Cor.* XII. 9.) ut ostendat quòd etiam fides per gratiam datur. Sed et alibi idem Apostolus docet dicens, quia à *Deo vobis datum est non solùm ut credatis in Christum, sed etiam ut patiamini pro illo.* (*Philip.* I. 29.) Invenis hoc designari et in Evangeliis, ubi Apostoli intelligentes quòd ea quæ ex homine est fides, esse non potest perfecta nisi addita fuerit etiam ea quæ ex Deo est, dicunt ad Salvatorem : *auge nobis fidem.* (*Luc.* XVII. 5.) Ex quibus omnibus apertissimè comprobatur quod hic dicit Apostolus : *Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio :* (*Rom.* IV. 16.) quia etiam fides ipsa quâ credere videtur Deo, dono in nobis gratiæ confirmatur. Hæc autem est gratia quam invenire sicut thesaurum magnum meretur si quis beatus est.

JOAN. HIEROSOL. *in Matth. cap.* 11. *pag.* 213. Ergo illic *gratias agit*, quia illuminati sunt rustici, et simplices homines, qui totum quidquid fecerint boni, imputant auctori : Isthic autem *gratias agit*, non solùm quia illuminati sunt parvuli, sed quia excæcati sunt litterati et sapientes Judæorum, et qui omnem gratiam Dei imputant sibi.

S. HILAR. *in Psal.* CXVIII. *n.* 15. *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam : quia lex tua meditatio mea est.* (CXVIII. 77.) Naturæ corporalis infirmitas eget miserationibus Dei. Neque enim beatæ illius vitæ æternitatem consequi merito suo poterit, nisi miserationibus ejus, qui pater miserationum est, provehatur.

S. AMBR. *de Caïn et Abel lib.* I. *cap.* 7. *n.* 25. Arrogare eventus sibi hebetis cordis est, et bonum quod agit vel quod à Deo consequitur, propriis virtutibus vindicare, nec auctoris deputare gratiæ, sed ipsum se suorum bonorum auctorem ducere. Tertium genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantiæ, eorum scilicet qui datorem bonorum Deum non negant : sed quæ acciderint, ea sibi propter prudentiam suam, cæterarumque merita virtutum jure delata arbitrantur. Propterea etiam divinâ dignos habitos gratiâ, quòd nequaquam viderentur indigni quibus talia divinis beneficiis provenirent.

N. 27. Undè benè Apostolus quasi legis interpres non gloriabatur in virtute sua : sed minimum Apostolorum se esse dicebat, et quidquid esset, gratiæ divinæ esse non meriti sui, nihilque nos habere quod non acceperimus. *Quid enim*, inquit, *habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* (**1.** *Cor.* IV. 7.)

Cap. 9. *n.* 34. Justus autem, sicut Jacob ad auctorem Deum refert quæcunque fuerit bona consecutus, dicens de omnibus quæcunque sibi prosperare cognoverit : " *Quoniam tradidit ea dominus Deus in manus meas.* (*Genes.* XXVII. 20.)

In Psal. XLIII. *Enarr. n.* 1. Sine labore nostro, non ex operibus, sed ex fide per gratiam suam nobis peccata donavit, et ad coronæ petitionem indulgentissimus nos et benignus admisit, nec superiora nobis fecit obesse flagitia, quibus tanto certamine judicaremur indigni.

S. AUG. *Enarr. in Psal.* XLIV. *n.* 7. Ille veniens cum gratia, non exegit quod debebatur, solvit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? aut verò tibi peccatori debebatur nisi supplicium? Debita tua dimisit, et indebita sua exsolvit. Magna gratia. Quare gratia? quia gratis. Propterea tibi gratias agere licet, referre non licet; non enim potes. Quærebat ille quid retribueret, et dixit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV. 12.) Et invenit quasi aliquid. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (*Ibid.* 13.) Hoc illi rependis, quia calicem salutaris accipis, et nomen Domini invocas? Quis tibi dedit ipsum calicem salutarem.... Bonum quidquid volueris in te dare Deo, non te invenis accepisse nisi à Deo. Ipsa est gratia Dei diffusa in labiis. Fecit te, gratis te fecit. Non enim erat cui præstaret antequam faceret. Pereras, quæsivit te; et inventum revocavit te. Prælerita non imputavit, futura promisit. Verè *diffusa est gratia in labiis tuis.* (*Psal.* XLIV. 3.)

N. 9. Displice tibi, placeat tibi qui te fecit; quia in eo tibi displices quod in te ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei, eructet cor tuum verbum bonum. *Dic* ergo *opera tua regi* (*Ibid.* 2.) : quia ut diceres, rex fecit, et ipse donavit quod offerres. Redde illi de suo.

Enarr. in Psal. LVIII. *n.* 11. *Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.* (*Ps.* LVIII. 17.) *Adjutor meus, tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es.* (*Ibid.* 18.) Quid eram, nisi subvenires? Quam desperatus eram, nisi curares? Ubi jacebam, nisi advenires? Certè ingenti vulnere periclitabar, sed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil est insanabile, non renuntiat ad aliquem; opus est ut curari velis, opus est ut manus ejus non refugias. Sed et si nolis curari, vulnus tuum admovet ut cureris : et aversum revocat, et refugientem quodam modo ad se redire compellit, et attrahit. In omnibus implet quod dictum est, *Misericordia ejus præveniet me.* (*Ibid.* 11.) Cogitate quod dictum est, *præveniet me.* Si aliquid tuum primum attulisti, et ex tuo aliquo bono primo Dei misericordiam meruisti, non te prævenit. Quando autem vel intelligis, quia præventus es, nisi intelligas quod ait Apostolus, » Quid enim habes, quod non acce- » pisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (1. *Cor.* » IV. 7.) hoc est, Misericordia ejus præveniet me. » Denique attendens omnia bona quæcunque habere possumus, sive in natura, sive in instituto, sive in ipsa conversatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in justitia, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita conclusit : *Deus meus misericordia mea.* Non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum est! *Deus meus*, inquit, *misericordia mea.* Quid est, *misericordia mea?* Si dicas, Salus mea, intelligo quia dat salutem : si dicas, Refugium meum, intelligo quia confugis ad eum : si dicas, Fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem : *Misericordia mea*, quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, invocando te? Ut essem, quid feci? ut essem qui te invocarem, quid egi? Si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequam essem. Porrò si omninò nihil eram antequam essem, nihil te promerui ut essem. Fecisti ut essem, et non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, et potuit mihi alius dare ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim; melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim. Porrò quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior; à quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem. *Deus meus misericordia mea.*

Enarr. in Psal. LXXVII. *n.* 24. *Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens et non revertens.* (*Ps.* LXXVII. 39.) Ideò eos vocando et miserando per suam gratiam ipse revocavit, quia per seipsos redire non possent. Quomodo enim redit caro, spiritus ambulans et non revertens urgente se in ima atque longinqua malorum pondere meritorum, nisi per electionem gratiæ? Quæ non meritis tanquam merces redditur, sed tanquam donum gratis datur (*Rom.* IV. 4.) : ut justificetur impius, et redeat ovis perdita; non tamen in viribus suis, sed in humeris reportata pastoris, quæ se perdere potuit dum sponte vagaretur, se autem invenire non potuit, nec omninò inveniretur, nisi pastoris misericordià quæreretur.... Scriptura verò gratiam commendavit; quia per seipsum homo potest in illa ambulare, non potest autem per seipsum redire, nisi gratiâ revocatus.

In Psal. CXXXII. *Enarr. n.* 10. Quid aliud dicit? *sicut ros Hermon, qui descendit super montes Sion.* (*Ps.* CXXXII. 3.) Hoc voluit intelligi, Fratres mei, gratiam Dei esse quòd fratres habitant in unum : non ex suis viribus, non ex suis meritis; sed ex illius dono, sed ex illius gratia, sicut ros de cœlo. Non enim terra sibi pluit, aut non quidquid genuerit arescit, nisi pluvia desuper descendat. Dicit quodam loco in Psalmo, *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* (*Ps.* LXVII. 10.) Quare dixit voluntariam? Quia non meritis nostris, sed illius voluntate. Quid enim boni meruimus peccatores? Quid boni meruimus iniqui? Ex Adam, et super Adam multa peccata nascuntur... Et tamen misericors amavit, et sponsus dilexit, non pulchram, sed ut faceret pulchram.

In Psal. CXXIV. *Enarr. n.* 2. Hic interim, in hac peregrinatione, in hac

domo, quod etiam peregrinationis tabernaculum dicitur, quia hic stamus, nunquid parum grati esse debemus? Nonne cogitandum est quia stamus? Nonne cogitandum est quid facti fuerimus? Nonne cogitandum est ubi jacebamus, et quò collecti sumus? Nonne cogitandum est, quia omnes impii Dominum non quærebant, et ipse illos non quærentes quæsivit, ipse inventos excitavit, ipse excitatos vocavit, ipse vocatos introduxit, et in domo sua stare fecit? Hæc quisquis cogitat, et ingratus non est, omninò despicit se præ amore Domini sui, à quo sibi tanta præstita sunt.

Serm. 333. *aliàs* 14. *inter homilias* 50. *in natali Martyr. cap.* 4. *n.* Dominus debebat mala pro malis : noluit autem retribuere mala pro malis, sed retribuit bona pro malis. Retribuendo bona pro malis, invenit quomodo retribueret bona pro bonis.

Cap. 5. *n.* 5. Ecce enim in Paulo, priùs Saulo, nihil boni invenit. Cùm in illo nihil boni invenisset, mala dimisit, bona retribuit. Cùm ergo ei priùs bona retribuit, prævenit : sed donando bona quibus retribueret bona, ecce retribuit mercedem his bonis operibus. Bonum certamen certanti, cursum consummanti, fidem servanti, retribuit bona : sed quibus bonis? Quæ ipse dedit. An non ipse dedit, ut bonum certamen certares? si non ipse dedit, quid est quod alio loco dicis? *Plus illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* xv. 10.) Ecce iterum dicis, *Cursum consummavi.* (2. *Tim.* iv. 7.) Non et ipse dedit, ut cursum consummares? Si non ipse dedit, quid est quod alio loco dicis, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* (*Rom.* ix. 16.) Fidem servavi. Servasti : agnosco, approbo; fateor, servasti. Sed, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam.* (*Psal.* cxxvi. 1.) Illo ergo ipso adjuvante, ipsoque donante, et bonum agonem certasti, et cursum consummasti, et fidem servasti. Da veniam, Apostole : propria tua non novi, nisi mala. Da veniam, Apostole; dicimus quia tu docuisti : audio confitentem, non invenio ingratum. Prorsùs tua à te tibi parata non novimus, nisi mala. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua.

Cap. 6. *n.* 6. Hanc fidem veramque pietatem, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, (quæ quisquis accipit, sic accipiat ut noverit dantem, ut quisquis datori non sit ingratus, medico non superbiat, vel adhuc insanus, vel non à se sanus;) hanc, inquam, fidem veramque pietatem nullæ argumentationes evellant de cordibus nostris. Servate quod accepistis. *Quid enim habetis quod non accepistis?* (1. *Cor.* iv. 7.)

De Trinit. lib. 13. *cap.* 17. *n.* 22. Deindè ut gratia Dei nobis sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur : quia nec ipse ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus : sed ex quo homo esse cœpit ex illo est et Deus.

S. Prosper. *Epigr. lib. Quales non diligat Deus.*

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono : non quales sumus nostro merito.

Tales à Domino, quales formamur, amamur,
Non quales nostris exstitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet,
Et sibi perpetuò quod placeat, faciat.
Nam nihil est hominis, quod dignè possit amari,
Perficiat proprium ni bonus auctor opus.

S. Leonis *Serm.* 62. *de Passione* 13. *cap.* 1. Miserendi enim nostri causam Deus nisi in sua bonitate non habuit : et mirabilior est secunda hominum generatio, quàm prima conditio, quia plus est in novissimis seculis reparasse Deum quod perierat, quàm à principio fecisse quod non erat. Libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum prævaricatione perdidimus, nulla per se Sanctorum præcedentium merita receperunt : quia lata in transgressores sententia omnem progeniem captivæ posteritatis obstrinxit, et nemo exstitit exsors à damnatione, quia nullus fuit liber à crimine. Sed redemptio salvatoris destruens opus diaboli, et rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis suæ disposuit sacramentum, ut usque ad consummationem quidem mundi,

præfinita generationum plenitudo decurreret, sed renovatio originis, per justificationem indiscretæ fidei ad omnia retrò secula pertineret.

S. Greg. *lib.* 1. *in.* 1. *Reg. cap.* 2. *n.* 9. Alii ergo sunt dies quibus ascendimus, ut adoremus, et immolemus : alius ille dies, qui dum venerit, immolamus. Dum enim nostro conamine in divinarum rerum meditatione suspendimur, quasi statuti ascensus nostri dies sunt : quia quosdam spiritualis luminis radios intuemur, quosdam nos ipsi nobis ordinamus, ab imo nostræ humanitatis quadam altitudine sublevamur. Sed quia his meditationibus sine divina gratia nihil agitur, et quia nec timorem nobis prævalemus incutere, nec divinæ dulcedinis suavitatem exhibere, ascensus quidem dies sunt, in quibus adorare, et immolare statuimus; sed tamen in eis nec adoremus, nec immolamus. Dies autem alius venit, et immolamus : quia subitâ luce gratiæ divinæ respergimur, et de gloria majestatis ejus ineffabilem percipimus abundantiam dilectionis. Hic ergo dies non est illorum aliquis, sed illos sequitur : quia nimirùm si nostrâ dispositione hanc divinæ gratiæ largitatem accipere non valeamus, tamen eam nunquam promeremur, nisi omninò curemus, ut et meditando, et quotidiè legendo, et orando, et in iis, quæ possumus, spiritualibus claritatibus immoremur. Venisse autem dies dicitur, ut superna dignatio designetur : quia cùm electas animas visitat, non est facultatis nostræ, sed bonitatis suæ.

Lib. 2. *in* 1. *Reg. cap.* 3. *n.* 40. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* (*Joan.* xiv. 2.) Sed hæc domus ædificari nunc dicitur : quia ex piæ vitæ actionibus præparatur. Verumtamen ad eam promerendam indignum est opus hominis, si non hoc agat gratia misericordis Dei. Benè itaque, cùm domûs ædificium ponitur, Dominus ei ædificare pollicetur : quia nimirùm vires humanæ à tanta operatione deficiunt, si non divinitùs adjuventur. Hinc Paulus ait : *Deus est, qui operatur in me velle perficere* (*Philip.* ii. 13.) Hinc iterùm dicit : *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* ix. 16.) Hanc domum se ædificare promittebat, cùm diceret, *vado parare vobis locum, et iterùm veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* (*Joan.* xiv. 2. *et* 3.) Quia verò vocantem se gratiam ex arbitrii libertate devolè secuturus erat, adjungitur, *Et ambularit coram Christo meo cunctis diebus.* (1. *Reg.* ii. 35.)

Moral. lib. 20. *in cap.* 29. *B. Job, cap.* 4. *n.* 11. Aptè præmittitur : *si voluissem ire ad eos.* (*Job.* xxix. 25.) Quia enim, sicut scriptum est, omnia operatur *secundùm consilium voluntatis suæ;* (*Ephes.* i. 5.) non secundùm nostrum meritum, sed quia ipse ita vult, visitatione suâ nos Dominus illustrat. Itaque et cùm vult venit : et cùm venerit, primus sedet : quia et adventus ejus in corde nostro gratuitus est; et appetitus ejus desiderii, in cogitatione nostra, æqualis cæteris desideriis non est. Sequitur : *Cùmque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* (*Job.* xxix. 25.)

Cap. 5. *n.* 12. Quasi rex Dominus sedet in corde; quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In monte quippè quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit : ex ipsâ hac diversitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat. Sive certè quasi rex sedet circumstante exercitu; quia præsidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum.

Beda in *Evang. Joan. cap.* 18. *pag.* 602. Quia non omnium est fides, adjunxit atque ait; *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* (*Joan.* xviii. 37.) Audit utique interioribus, id est, obaudit voci meæ : quod tantundem valet ac si diceret, credit mihi. Cùm itaque Christus testimonium perhibeat veritati, profectò testimonium perhibet sibi. Ejus quippè vox est, *Ego sum veritas :* (*Joan.* xiv. 6.) et divit alio quoque loco, *Ego testimonium perhibeo de me.* (*Joan.* v. 31.) Quòd verò ait, *omnis qui est ex veritate, audit vocem meam :* gratiam eam commendavit, quâ nos secundùm propositum vocat : de quo proposito dicit Apostolus, *scimus quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt.* (*Rom.* viii. 28.) Propositum, scilicet vocantis, non vocatorum, quod alibi apertiùs ita positum est, « Collabora Evangelio « secundùm virtutem Dei, salvos nos facientis, et vocantis vocatione

» suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propo-» situm et gratiam. » (2. *Timoth.* I. 8. *et* 9.) Nam si naturam cogitemus, in qua creati sumus, cùm omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt quibus datum est ut audiant veritatem, hoc est, obediant veritati et credant in veritatem; quia id ex ipsa veritate præstatur, nullis proculdubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit vocem meam, ex veritate est: ideò dictum ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati: non autem hoc ait, sed ait, *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Ac per hoc non ideò est ex veritate, quia ejus audit vocem, sed ideò audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quidquid est aliud, quàm donante Christo, credi in Christum.

CASSIOD. *Exposit. in Psal.* XVII. *v.* 22. *pag.* 60. *Satvum me fecit, quoniam voluit me...* Id est, quoniam me elegit, qui gratis vocat universos: nec priùs beneficium accipit, quàm præstare dignetur; sicut ipse in Evangelio dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* (*Joan.* XV. 16.)

FACUND. Epis. Hermian. *pro defens. trium capit. lib.* 9. *cap.* 5. *pag.* 709. Illud autem quis ferat, quòd aliqui dicentes credere se nobiscum duas Christi esse naturas, et Deum illum atque hominem non negantes, si audierint quòd gratia sit Filius Dei, sic detestantur hoc verbum, tanquam si de illo dicatur qui Deus tantùm non etiam homo sit. Sicut autem et naturâ filius est hominis propter veram humanitatem, et dignatione filius est hominis propter veram deitatem; ita etiam et naturâ Filius Dei est propter veram deitatem, et gratiâ Filius Dei est propter veram humanitatem. Si verò et secundùm humanitatem naturâ Filius Dei dicatur, in illud Apollinaris indicitur, quòd credidit Deum verbum ex parte suæ substantiæ, quæ tota ubique est, et partiri non potest, carnem sibi fecisse. Quòd si veraciter duas dicunt ejus naturas, et ambæ divinæ esse non possunt, quia humanitatis una natura est; procul dubio, non quemadmodum secundùm divinitatem naturâ Filius Dei est, ita etiam secundùm humanitatem naturâ Filius Dei est. Si autem secundùm humanitatem non est naturâ Filius Dei, necessariò sequitur, ut aut meritis, aut gratiâ sit Filius Dei, qui ex quo esse cœpit, non fuit aliud quàm Filius Dei. Restat ergo, ut secundùm humanitatem gratiâ sit Filius Dei. Ob hoc quoque beatus Augustinus, præcipuus Catholicæ fidei prædicator, scribens ad Prosperum et Hilarium de prædestinatione Sanctorum; et docens quòd gratia Dei non secundùm nostra merita detur, inter alia dicit: » Est enim præclarissimum lumen prædestinationis et gratiæ ipse Sal-» vator, ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus: qui ut » hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus » meritis natura humana quæ in illo est comparavit? Respondeatur » quæso: Ille homo, ut à verbo Patri coæterno in unitatem personæ » assumptus Filius Dei unigenitus esset, undè hoc meruit? quod ejus » bonum qualecunque præcessit? quid egit antè? quid credidit? quid » petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Nonne faciente » ac suscipiente Verbo ipse homo, ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus » esse cœpit? Nonne Filium Dei unicum femina illa gratiâ plena conce-» pit? nonne de Spiritu sancto, et Virgine Maria Dei Filius unicus natus » est, non carnis cupidine, sed solo Dei munere? Nunquid metuendum » fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? aut ideò » in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis » peccato servire non poterat? Nempe ista omnia singulariter admiranda, » et alia si qua ejus propria verissimè dici possint, in illo singulariter » accepit humana, id est nostra natura, nullis suis præcedentibus meri-» tis. Respondeat hic homo Deo, si audet, et dicat, cur non et ego? et si » audierit, *ô homo, tu quis es qui respondeas Deo*? nec sic cohibeat, sed » augeat impudentiam, et dicat quomodo audio, *tu quis es, ô homo*? » cùm sim quod audio, id est homo, quod est et ille de quo ago, cur non » sim quod et ille? at enim gratiâ ille talis ac tantus est. Cur diversa est » gratia, ubi natura communis est? certè non est acceptio personarum » apud Deum. Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appa-» reat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, undè secundùm » uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea

» gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ » homo ille ab initio suo factus est Deus Christus. De ipso spiritu et hic » renatus, de quo est ille natus : eodem spiritu fit in nobis remissio pec- » catorum, quo spiritu factum est ut nullum haberet homo ille peccatum. » Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædes- » tinatio sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximo claruit : quam » negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? » Hunc itaque Apostolicum virum, docentem quod Christus secundùm humanitatem, nullis præcedentibus meritis, ex quo cœpit esse, per gratiam Filius Dei unicus esse cœpit, per quam etiam omnia singulariter admiranda singulariter in illo accepit humana, hoc est nostra natura; et cujus gratiæ diversitate factum est, ut talis esset ac tantus, et non similis nostri, cùm sit nobis natura communis : atque asserentem quòd eâ gratiâ fiat ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus. Audiant isti, si possunt, hæreticum dicere, audeant solità præsumptione damnare. Et tunc verè discent, quæ sit pietas et constantia Ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit atque firmavit; cùm ab omnibus confestim anathematizati fuerint, et tanquam putrida et morbida membra præcisi.

Mag. Albini Flacci Alchuini *de fide S. Trinit. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 737. Dicitur in Symbolo Catholicæ fidei, quòd Christus de Spiritu sancto conceptus, et ex Maria Virgine sit natus. Cùm aliter de illo, aliter de illa natus sit; non de illo sicut de Patre; de illa verò sicut de matre. Quid tamen hîc sancti Spiritûs mentio facta est? Nisi quòd magna Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitate personæ unici Filii Dei, singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas? cujus boni propositi studium? quæ bona opera præcesserunt quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo? Immò et homo ipse, Deus nempe ipse ex quo esse homo cœpit. Non aliud cœpit esse, quàm Dei Filius, et hoc unicus, unigenitus, et proprius, et propter Dei verbum quod caro factum est, utique Deus, ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis, et caro : ita sit Christus una persona, verbum et caro. Undè naturæ humanæ tanta gloria nullis præcedentibus meritis? sine dubitatione gratuito munere : nisi quia magna hîc, et sola Dei gratia fideliter, et sobriè considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines, per eamdem gratiam se justificari posse à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum possit habere peccatum.

Philipp. Abbas **Bonæ spei** *lib.* 3. *cap.* 20. *post med. in Cant. cant. de lumine gratiæ loquens*, Hoc, *inquit*, accipit qui petit, hoc invenit qui quærit, hæc pulsanti janua reseratur, quærenti solem in præmium, priùs via tanquam lucifer demonstratur : priùs, inquam, ex gratia datur meritum laboranti, et sic tanquam ex merito datur immò dabitur sol in præmium præstolanti : Neque enim ut meritum, statim et præmium sponsus donat... Sed verus sol, qui solus super omnia diligi promeretur; et videri quidem vult, et, nisi præmisso lucifero, non videtur, etc.

S. Thom. 1. *part. Quæst.* 23. *art.* 5. Sed contrà est quod dicit Apostolus ad Tit. III. 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit :* sicut autem salvos nos fecit, ita et prædestinavit nos salvos fieri : non ergo præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis.

Conclusio. Prædestinatio cùm sit æterna, nullam ex parte actûs prædestinantis causam habet, sed ex parte effectûs : Ita enim nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam alterius (sicut est meritum et præmium, gratia, et gloria.) Totus tamen prædestinationis effectus nullam causam habet præter divinam bonitatem.

Respondeo dicendum quòd cùm prædestinatio includat voluntatem, ut suprà dictum est (art. 4.) sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. Dictum est autem suprà (quæst. 19. art. 5.) quòd non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actûs volendi, sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis : sed

hoc sub quæstione vertitur, utrùm ex parte effectûs prædestinatio habeat aliquam causam : Et hoc est quærere, utrùm Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua. Fuerunt igitur quidam qui dixerunt quòd effectus prædestinationis præordinatur alicui propter merita præexistentia in alia vita : Et hæc fuit positio Origenis qui posuit animas humanas ab initio creatas, et secundùm diversitatem suorum operum diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas : sed hanc opinionem excludit Apostolus dicens : *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni vel mali, non ex operibus sed ex vocante dictum est, Quia major serviet minori.* (*Rom.* IX. 11. 12. 13.)

Fuerunt ergo alii qui dixerunt quòd merita præexistentia in hac vita sunt ratio et causa effectûs prædestinationis : Posuerunt enim Pelagiani quòd initium benefaciendi sit ex nobis, consummatio autem à Deo : Et sic, ex hoc contingit, quòd alicui datur prædestinationis effectus, non alteri ; quia unus initium dedit (se præparando) et non alius. Sed contra hoc est quod dicit Apostolus 2. Cor. III. 5. quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis :* Nullum autem anterius principium inveniri potest, quàm cogitatio : undè non potest dici quòd aliquod in nobis initium existat, quod sit ratio effectûs prædestinationis. Undè fuerunt alii, qui dixerunt quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis ; ut intelligatur quòd ideò Deus dat gratiam alicui, et præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum benè usurum gratiâ : sicut si Rex dat alicui militi equum, quem scit eo benè usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, et id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem quòd id quod est gratiæ, est prædestinationis effectus ; et hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cùm hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio et ex prædestinatione ; sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda et causa prima ; Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est : undè et id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.

Dicendum est ergo quòd effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter : uno modo in particulari : et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius ; posteriorem quidem prioris, secundùm rationem causæ finalis ; priorem verò posterioris, secundùm rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ ; sicut si dicamus quòd Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quòd præordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam : Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi : Et sic impossibile est quòd totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra ; quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam : Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum, secundùm illud Thren. ult. 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectûs pro ratione divinam voluntatem ; ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem ; et ex qua procedit sicut ex principio movente.

Ad tertium, dicendum quòd ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, et reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quòd divina bonitas, quæ in se est una et simplex, multiformiter repræsentetur in rebus ; propter hoc quòd res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et indè est quòd ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, et quædam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri ne multa bona impediantur, ut suprà dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantùm ad aliquos, quos prædestinat,

suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ, parcendo; et quantùm ad aliquos quos reprobat, per modum justitiæ, puniendo: Et hæc est ratio quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apost. dicens, volens *Deus ostendere iram* (id est vindictam justitiæ) *et notam facere potentiam suam, sustinuit* (id est permisit) *in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* (*Rom.* IX. 22. 23.) *Et in magna domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia: Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.* (2. *Tim.* II. 20.) Sed quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem. Undè Aug. dicit super Joannem tract. 26. « Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, » si non vis errare... » Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat: Hoc enim esset contra justitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia: in his enim quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio justitiæ. Et hoc est quod dicit pater familias. *Tolle quod tuum est, et vade: An non licet mihi quod volo, facere?* (*Matth.* XX. 14. 15.)

Art. 6. Sed contrà est quod super illud. Rom. VIII. 29. *Quos præscivit, hos et prædestinavit*, etc. dicit glosa: Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, qua certissimè liberantur quicunque liberantur.

Conclusio. Prædestinatio non ita certa est quod prædestinatis necessitatem imponat, sed sicut stante infallibili providentiæ ordine multa contingenter eveniunt, ita certus est prædestinationis ordo, quòd juxta arbitrii libertatem prædestinationis effectus contingenter eveniunt.

Respondeo dicendum quòd prædestinatio certissimè et infallibiliter consequitur suum effectum; nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat: Dictum est enim suprà quòd prædestinatio est pars providentiæ: sed non omnia quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt; sed quædam contingenter eveniunt, secundùm conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit: Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut suprà ostensum est: sic igitur et ordo prædestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus. Ad hoc etiam consideranda sunt quæ suprà dicta sunt de divina scientia et de divina voluntate, quæ contingentiam à rebus non tollunt, licèt certissima et infallibilia sint.

Ad tertium, dicendum quòd cùm prædestinatio includat divinam voluntatem, sicut suprà dictum est, quòd Deum velle aliquid creatum est necessarium ex suppositione, propter immutabilitatem divinæ voluntatis, non tamen absolutè; ita dicendum est hic de prædestinatione: undè non oportet dicere quòd Deus possit non prædestinare quem prædestinavit, *in sensu composito* accipiendo; licèt absolutè considerando, Deus possit prædestinare, vel non prædestinare; sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo.

1. 2. *Quæst.* 114. *art.* 5. Sed contrà est, quòd ratio gratiæ repugnat mercedi operum; secundùm illud (*Rom.* IV. 4.) *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*: sed illud meretur homo quod imputatur ei secundùm debitum, quasi merces operum ejus: Ergo primam gratiam non potest homo mereri.

Conclusio. Cùm neque operibus antecedentibus possit sibi homo primam gratiam mereri (quia scilicet cum dono gratiæ nullam habent proportionem,) neque operibus consequentibus, eo quòd gratia non sit eorum finis sed principium; nullum hominem primam sibi gratiam mereri posse dici debet.

Respondeo dicendum quòd donum gratiæ considerari potest dupliciter: uno modo secundùm rationem gratuiti doni: Et sic manifestum est quòd omne meritum repugnat gratiæ, quia ut ad (*Rom.* II. 6.) Apostolus dicit, *si autem gratia, jam non ex operibus*: alio modo potest considerari secundùm naturam ipsius rei quæ donatur: Et sic etiam non potest cadere

sub merito non habentis gratiam; tum quia excedit proportionem naturæ; tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam; scilicet peccatum: Postquam autem jam aliquis habet gratiam, non potest gratia jam habita sub merito cadere; quia merces est terminus operis; gratia verò est principium cujuslibet boni operis in nobis, ut suprà dictum est. (q. 103.) Si verò aliud donum gratuitum aliquis mereatur virtute gratiæ præcedentis, jam non erit prima: undè manifestum est quòd nullus potest sibi mereri primam gratiam.

Ad primum ergo dicendum quòd sicut Aug. dicit in lib. Retract. (l. 1. c. 25.) ipse aliquando in hoc fuit deceptus quòd credidit initium fidei esse ex nobis, sed consummationem nobis dari ex Deo: Quod ipse ibidem retractat; Et ad hunc sensum videtur pertinere quòd fides justificationem mereatur: sed si supponamus, sicut fidei veritas habet, quòd initium fidei sit in nobis à Deo, jam etiam ipse actus fidei consequitur primam gratiam, et ita non potest esse meritorius primæ gratiæ: Per fidem igitur justificatur homo, non quasi homo credendo mereatur justificationem, sed quia dum justificatur, credit; eo quòd motus fidei requiritur ad justificationem impii, ut suprà dictum est. (qu. 113. art. 4.)

Ad secundum, dicendum quòd Deus non dat gratiam, nisi dignis, non tamen ita quòd priùs digni fuerint, sed quia ipse per gratiam eos facit dignos; *qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine.* (*Job.* XIV. 4.)

Ad tertium, dicendum, quòd omne bonum opus hominis procedit à prima gratia sicut à principio.

Art. 7. Sed contrà est, quod dicitur (*Ezech.* XVIII. 24.) *Si averterit se justus à justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur.* Ergo nihil valebunt ei præcedentia merita ad hoc quòd resurgat: non ergo aliquis potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum.

Conclusio. Nullo modo potest aliquis sibi mereri reparationem post lapsum, sed hoc solà Dei miseratione obtinere valet. Respondeo dicendum quòd nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui: Merito quidem condigni hoc sibi mereri non potest: Quia ratio hujus meriti dependet ex motione divinæ gratiæ: Quæ quidem motio interrumpitur per sequens peccatum: Undè omnia beneficia quæ postmodum aliquis à Deo consequitur, quibus reparatur, non cadunt sub merito; tanquam motione prioris gratiæ usque ad hæc non se extendente: Meritum etiam congrui quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur ne consequatur effectum propter impedimentum peccati in eo cui quis meretur: Multò igitur magis impeditur talis meriti efficacia per impedimentum quod est et in eo qui meretur, et in eo cui meretur: Hic enim utrumque in unam personam concurrit: Et ideò nullo modo aliquis potest sibi mereri reparationem post lapsum.

JOAN. GERSON. *Serm. in die Circumc.* Obscuratum factum est insipiens cor eorum et defecerunt scrutantes scrutinio. Quamobrem ordinavit Deus facere opus novæ gratiæ supra naturam, ut esset gratia domina reginaque naturæ. Nam gratia ejus, quæ et misericordia super omnia opera ejus. Quæ gratia licèt superborum oculos sua luminositate cæcaverit, illustraverit mentes humilium, sicut exsultans Jesus in spiritu: *Confiteor*, inquit, *tibi Pater cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater quoniam sic placitum est apud te.* (*Luc.* X. 21.) Placitum, non meritum, ut non glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quæ in sapientia Deum non cognovit. Ideò placuit per stultitiam prædicationis novæ gratiæ, salvos facere credentes. Hoc autem opus gratiæ apparuit manifestè in eo quòd Verbum caro factum est; ubi totum operatur gratia, totum sibi dat, nil aut paucum habet natura.

Ad Paginam 2. *lin.* 40.

(G) 1. COR. XII. 4. Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus: 5. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: 6. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Unicuique autem datur manifestatio spiritûs ad utilitatem.

8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum : 9. alteri fides in eodem spiritu : 10. alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult... 27. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? 30. Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? 31. Æmulamini autem charismata meliora.

XIV. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. 4. Qui loquitur linguâ, semetipsum ædificat : qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis : magis autem prophetare. Nam major est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis : nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. 6. Nunc autem, Fratres, si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina... 12. Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. 13. Et ideò qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur... 22. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. 23. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles : nonne dicent quòd insanitis? 24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : 25. occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit. 26. Quid ergo est, Fratres? cùm convenitis, unusquisque vestrùm psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant.

1. PETR. IV. 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei : si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus : ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.

De Gratiis quas gratis datas *vocant Theologi, hæc nos scitu dignissima SS. Patres edocent.*

S. JOAN. CHRYSOST. *in Inscript. Actor. Apost. serm.* 12. *pag.* 172. Initio quidem indignis dabantur dona : quoniam hoc auxilio fidei fovendæ causà indigebat antiquitas : nunc autem neque dignis conceduntur; fidei quippè robur et firmitas hoc subsidio non eget.

S. GREG. *Moral. lib.* 2. *in cap.* 2. *B. Job. cap.* 56. *n.* 90. Dona ejusdem Spiritûs discernamus.

N. 91. Alia namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur : alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, charitas, dona ejus sunt : sed ea, sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt : sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correctione intuentium ostendant. In his igitur donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, sanctus Spiritus sive in prædicatoribus suis, sive in electis omnibus semper manet : in illis autem, quibus per ostensionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quæritur, nequaquam semper in prædicatoribus permanet : quia semper quidem eorum cordi ad benè vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit : sed aliquando se eis à signorum ostensionibus subtrahit, ut eò humiliùs virtutes ejus habeantur, quòd habitæ teneri non possunt.

N. 92. Dona verò ejus, quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt : dona autem, quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerum-

que, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis provectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant : in istis verò ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas; quia ad elationem mentem fortassè sublevant. Cùm igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, dicamus rectè : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* (*Job.* I. 21.) Tunc enim verè ostendimus, quia accepta rectè tenuimus, cùm profectò æquanimiter ad momentum sublata toleramus.

Lib. 9. *in cap.* 9. *Beati Job. cap.* 13. *n.* 22. *Si venerit ad me, non videbo eum : et si abierit, non intelligam.* (*Job.* IX. 11.) Seclusum quippè ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpâ, mentis oculos perdidit : et quò meritorum suorum passibus graditur, nescit. Sæpè enim donum gratiæ est, quod iram (*fortè* non) gratiam putat; et sæpè divinæ districtionis ira est, quod gratiam putat. Nam plerumque gratiam æstimat dona virtutum : et tamen eisdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit adversa tentationum : et tamen eisdem tentationibus pressus ad virtutum custodiam cautior exsurgit. Quis enim Deo se propinquare non æstimet, cùm supernis excrescere se muneribus agnoscit, cùm vel prophetiæ donum, vel doctrinæ magisterium percipit, vel ad exercendam curationis gratiam convalescit? Et tamen sæpè mens, dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatæ culpæ telo perforatur : et indè à Deo in æternum longè fit, undè ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquavit. Et quis se derelictum jam gratiâ divinâ non deputet, cùm post experimentum mundiliæ lacesseri se carnis tentationibus videt, inhonesta ad animum congeri, et ante cogitationis oculos, nonnulla improba et immunda versari? Et tamen cùm fatigant ista, nec superant, nequaquam per pollutionem trucidant, sed per humilitatem servant : ut infirmum se animus in tentatione deprehendens, totum se ad Divinitatis adjutorium conferat, et sui fiduciam funditùs amittat; sicque fit, ut indè altiùs Deo inhæreat, undè se à Deo profundiùs cecidisse suspirabat. Accessus igitur recessusque Dei, à mente nostra minimè cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignoratur : quia et de tentatione incertum est, utrùm probet, an trucidet; et de donis nequaquam deprehenditur utrum hîc desertos remunerent, an in via nutriant, ut ad patriam perducant. Homo ergo ab internis gaudiis semel expulsus, clausas contra se januas secreti spiritalis adspiciat, atque ad semetipsum foràs projectus in carne gemat, et cæcitatis suæ damna considerans, dicat : *si venerit ad me, non videbo eum : et si abierit, non intelligam.*

Lib. 11. *in cap.* 12. *Beati Job. capite* 16. *n.* 25. Alia sunt dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetica quippè doctrina, genera linguarum, curationum virtus quasi quædam mœnia mentis sunt. Quæ etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem et justitiam potest; quamvis ornatus virtutum altitudine minimè esse videatur. Spes verò, fides, et charitas, non nostra mœnia, sed munitiones sunt : quæ si habere negligimus, hostilibus insidiis patemus... Cùm peccatrix anima relinquitur, priùs ab ea virtutum dona, quæ ad manifestationem spiritûs data sunt, et postmodum spei, fidei atque charitatis fundamenta destruuntur.

Lib. 27. *in cap.* 37. *B. Job. cap.* 46. *n.* 76. Alia namque sunt bona summa, alia bona media. Bona enim summa sunt, fides, spes, charitas. Quæ cùm veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. Bona autem sunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus, et cætera : quæ ita inter utrumque sunt posita, ut aliquando per hæc sola æterna patria, aliquando verò gloria terrena requiratur. Medias ergo has virtutes dicimus, quas ad quodcunque mens appetit inclinamus. Quibus perceptis ita uti animus, sicut terrenis divitiis potest. Per terrenas namque divitias, alii gloriæ ostentatione superbiunt, alii erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cùm per doctrinam igitur atque Prophetiam laus exterior quæritur, quasi per corporales divitias terrenæ gloriæ culmen ambitur. Cùm verò doctrina atque prophetia lucrandis animabus impenditur, quasi acceptæ divitiæ egenis fratribus largiuntur. Quia ergo sæpè per ipsa dona, quæ se percipere exsultat, à manu dantis incautus animus elongat, vigilanti provisione curandum est, ut et priùs

subigantur vitia, et post sub circumspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incautè se deserit, non per hæc adjuta subvehitur, sed quasi pro anteactis laboribus remunerata reprobatur. Undè fit etiam, ut accepta virtus dum in usu transitoriæ laudis assumitur, quia vitio mililat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est in humilitate perdurat. A qua utnirùm si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit.

Lib. 28. *in cap.* 38. *B. Job. cap.* 10. *Indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?* (*Job.* XXXVIII. 4. *et* 5.) Quis enim nisi conditor noster hujus terræ mensuras ponit? Qui interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit: quatenus in uno eodemque spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ fulciatur; quia sentire atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit: ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat; quia et explere sufficit quantum didicit, et tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat: ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat: ille ventura quæque velut præsentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis linguas nescit: ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua, quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit; et tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret.

N. 22. Itaque creator noster atque dispositor cuncta moderatur: ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cùm per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alteri alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur, attendat: ac licèt se præire et aliis sentiat, eidem tamen quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interpositâ quadam charitatis necessitudine fiant omnia singulorum: et unusquisque sic quod non accepit, in altero possideat, ut ipsi alteri possidendum quod accepit, humiliter impendat. Hinc enim per Petrum dicitur: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* (1. *Petr.* IV. 10.) Tunc namque benè multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum et ejus qui hoc non habet creditur, quando propter eum, cui impenditur, sibi datum putatur. Hinc per Paulum dicitur: *Per charitatem servite invicem.* (*Galat.* V. 13.) Tunc enim nos charitas à jugo culpæ liberos reddit, cùm vicissim nos nostra per amorem servitio subjicit: cùm et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. Hinc rursùm per Paulum dicitur: « Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. » Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num » ideò non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, » non sum de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum » auditus, ubi odoratus? (1. *Cor.* XII. 14. *usque ad* 17.) *Et paulò post:* (*v.* 19. et 20.) » Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? » Nunc autem multa quidem membra, unum verò corpus. »

In Ezechiel. libro 2. *Homilia* 5. *n.* 22. Hic plerumque sanctos viros adspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, tactu ægritudines corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura prædicere. Cuncta hæc necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum: nam hæc aliquando dantur et reprobis. Undè et per Evangelium veritas dicit: *Multi dicent mihi in die illa: Domine, Domine, nonne in*

nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. (*Matth.* VII. 22. *et* 23.) Unum verò signum electionis est soliditas charitatis, sicut scriptum est: *In hoc scietur quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (*Joan.* XIII. 35.)

S. ISIDOR. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de Gratia, cap.* 5. In divisione donorum diversi percipiunt diversa Dei munera: non tamen conceduntur uni omnia, ut sit pro humilitatis studio, quod alter admiretur in altero. Nam quod in Ezechiele animalium alæ altera ad alteram percutiuntur, virtutes designantur sanctorum mutuo sese affectu provocantium, atque alterno exemplo invicem sese erudientium. Munera gratiarum alii ista, alii verò donantur illa. Nec dantur ita habere uni, ut non egeat alterius.

PASCH. RATBERT. *in Matth. Evang. lib.* 7. *pag.* 538. Et ex Domino nostro Jesu Christo virtus sancti Spiritûs procedit, quâ Apostolis datâ, ipsis quoque tanquam ex eodem Christi corpore exeuntibus, salutem his qui contingere possunt, subministrat. Non enim de Apostolo, aut de quolibet sancto hæc sanitas exit, sed in fimbria, hoc est, de gratia quæ est in Apostolo, vel in sancto. Hanc quippè fimbriam tetigerat illa mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur (*Matth.* IX. 20.), quia ad Christi gratiam pervenerat, et ideò sana facta est à profluvio. Undè nemo Sacerdotum sine fimbriis dignè ingreditur in sanctuarium, quia qui sine gratia sancti Spiritûs ad hoc accedit ut ministret, vacuum se ostendit, et importunum magis quàm officiosum se ingerit et indignum. *Et quicunque tetigerant*, inquit, *salvi facti sunt.* (*Marc.* VI. 56.) Quia nemo excipitur à salute perpetua, quicunque Dei gratiam attigerit; quoniam qui unum habeat earum donum, omnes habebit: et *qui in uno offenderit, factus est omnium reus.* (*Jacob.* XI. 10.) Undè constat eos qui adhuc malè habent, et ægrotant in animo, quia non tangunt fimbriam vestimenti ejus, quoniam quicunque tetigerit vel unam, ut omnes habeat, salvus fit continuò, et non ægrotat.

S. BERN. *in Cant. serm.* 18. *n.* 1. Demonstrat Spiritus sanctus nobis geminæ cujusdam suæ operationis experimentum: unius quidem, quâ nos primò intùs virtutibus solidat ad salutem: alterius verò, quâ foris quoque muneribus ornat ad lucrum. Illas nobis, hæc nostris accipimus. Verbi gratiâ, fides, spes, charitas nobis propter nos dantur: absque his quippè salvi esse non possumus. Porrò scientiæ seu sapientiæ sermo, gratia curationis, prophetia similiaque, quibus carere cum integritate etiam salutis propriæ possumus, proximorum procul dubio in salutem expendenda donantur.

Serm. 46. *n.* 8. Studete deindè his (*virtutum*) tignis substernere et alligare ligna alia æquè pretiosa et pulchra, cui tamen illa ad manum fuerint in opus laquearium ad decorem domûs, sermonem scilicet sapientiæ, sive scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, et cætera talia, quæ magis noscuntur sanè apta ornatui, quàm necessaria fore saluti.

PETRI BLESENS. *de Institut. Episc. pag.* 447. Scio quòd gratia Dei obest, si non alii prodest. Qui autem Dei donum in usum, et utilitatem alienam communicat, pleniùs meretur habere, quod habet: nam *dabitur ei et abundabit.* (*Matth.* XIII. 12.) Qui autem è diverso talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo.

B. AELREDI. *Specul. charit. lib.* 2. *cap.* 9. Nec mirandum hanc gratiam reprobis et electis plerumque esse communem, cùm excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, prophetia, genera linguarum, gratia miraculorum etiam reprobis noverimus impertita. Nam et Saûl inter Prophetas (1. *Reg.* X. 11.), et inter Apostolos Judas. (*Matth.* X. 4.) *Et multi*, inquit, *dicent mihi in illa die: Nonne in nomine tuo signa multa fecimus? et tunc confitebor illis, Quia non novi vos.* (*Matth.* VII. 22. *et* 23.)

S. THOMAS 1. 2. *q.* 111. *art.* 1. Sed contrà est quod Apostolus utrumque attribuit gratiæ, scilicet et *gratum facere*, et esse *gratis datum*: Dicit enim quantùm ad primum ad Ephes. (I. 6.) *Gratificavit nos in dilecto filio suo*: Quantùm verò ad secundum dicitur ad Rom. (II. 6.) *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*: Potest ergo distingui gratia, quæ vel habet gratum [illegible] vel utrumque.

In corp. Cùm igitur gratia ad hoc ordinatur ut homo reducatur in Deum, ordine quodam hoc agitur, ut scilicet quidam per alios in Deum reducantur. Secundùm hoc igitur duplex est gratia : una quidem, per quam ipse homo Deo conjungitur, quæ vocatur *gratia gratum faciens :* alia verò, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quòd ad Deum reducatur : Hujusmodi autem donum vocatur *gratia gratis data*, quia supra facultatem naturæ et supra meritum personæ homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc ut homo ipse per eam justificetur, sed potiùs, ut ad justificationem alterius cooperetur, ideò non vocatur *gratum faciens :* Et de hac dicit Apost. (1. ad Cor. XII. 7.) *Unicuique datur manifestatio spiritûs ad utilitatem*, scilicet aliorum.

ESTIUS *in lib.* 2. *Sent. Distinct.* 26. *pag.* 306. Porrò specialiter et quidem frequentissimè in Scripturis præsertim novi Testamenti, significatur nomine gratiæ donum seu beneficium supernaturale ordinatum ad salutem, quæ est per Christum, et ad vitam æternam; sive illud in habitu, sive in actu consistat, et sive internum, sive externum sit. Hoc modo accepta gratia adhuc bifariam dividitur, prout beneficia Dei spectantis ad hoc genus, sunt in duplici differentia, quemadmodum S. Thomas docet 1. 2. q. 111. art. 1. Quædam enim sunt ejusmodi, quæ per se ad salutem et justitiam ejus in quo sunt, non conducunt, per ea tamen unus alteri cooperatur ad hoc ut in Deum reducatur. Hæc à Theologis vocatur gratia gratis data. Cujusmodi sunt gratia sanitatum, genera linguarum, donum prophetiæ, discretio spirituum et his similia, de quibus Apostolus Paulus. (1. *Corinth.* XII. 4.) *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt.* Et infrà : (*Ibid.* 7.) *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem*, scilicet aliorum. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, etc.* (*Ibid.* 8.) Et Petr. (1. *Ep.* IV. 10.) *unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, etc.* Alia verò sunt quibus homo ad justitiam et salutem consequendam misericorditer à Deo reparatur. Quæ nimirùm cuncta ad eam pertinent gratiam, quam Theologi gratiam gratum facientem ideò vocant : quia præter hoc quòd gratis data est, quod quidem omni gratiæ ut tali, est commune, etiam gratum et amicum Deo facit : et ut Apostolus loquitur (*Ephes.* I. 6.) in ea seu per eam Deus nos gratificat, id est, sibi gratos et acceptos habet. Quamvis enim non omnia beneficia Dei quæ ad hoc divisionis membrum sunt referenda, ejusmodi sint, ut hominem statim in Dei amicitia constituant : eò tamen omnia per se diriguntur, ut hominem Deo reconcilient, et ad æternam perfectamque Dei amicitiam tandem perducant... In hoc genere sunt fides, spes, bona voluntas, imò qualecunque fidei, spei ac bonæ voluntatis initium, pœnitentia, remissio peccatorum, charitas, justitia, bona opera, virtutes earumque augmenta, perseverantia, ac denique vita æterna, ad quam tanquam consummatam gratiam, de qua scriptum est (*Rom.* VI. 23.) *Gratia Dei vita æterna*, priora omnia Dei beneficia destinantur.

Ad Paginam 2. *lin.* 44.

(H) ROM. V. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

TIT. III. 5. Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, 6. quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

ORAT. ECCLES. Gratiam, Domine, mentibus nostris infunde.

Epist. Eccles. SMYRNENS. *de Martyrio S. Polycarpi ann.* 166. *apud* THEODOR. RUINART *in act. Mart. sinceris.* Aut spiritus gratiæ cœlestis infuderat... Petebat donum Dei præceptumque compleri... Permitte me sic, inquit. Qui enim mihi dedit velle, largietur et posse, atque ipsum tolerabilem faciet voluntati ignem ardentem.

ORIGEN. *in Epist. ad Rom. cap.* 5. *lib.* 4. Fidem et spem consequitur charitas Dei, quæ est omnium maxima, et non solùm replet mentem nostram, sed et abundat ac diffunditur in cordibus nostris, pro eo quòd non humanâ à nobis arte quæritur, sed per gratiam sancti Spiritûs inundatur.

S. JOAN. CLIMAC. *Scal. Parad. schol.* 12. *ad gradum* 7. Quemadmodum pluvia terræ infusa plantis quibusque naturæ convenientem præbet pro qualitate succum, dulcibus dulcem, amaris amarum; ita gratia divina

cordibus fidelium perpetuò immissa opportunas virtutibus opes et subsidia largitur : Christum, inquam, esurienti cibum, sitienti dulcissimum potum, frigenti vestem, fatigato quietem, precanti spem, sordi infusam luti consolationem.

S. Basil. *lib. de Spiritu sancto cap.* 26. Quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia Spiritûs in eo qui recepit eam, semper quidem præsens, at non perpetuò operans. Nam et ars, potentiâ quidem est in artifice, actu verò tum, cùm secundùm illam operatur : itidem Spiritus semper quidem adest dignis, sed operatur in illis juxta utilitatem, aut in prophetiis, aut in sanationibus, aut in aliis miraculorum operationibus. Prætereà sicut in corporibus est sanitas, aut calor, aut in genere affectiones facilè mobiles : sic et in anima frequenter est Spiritus, iis qui mente sunt instabili, ac facilè quam acceperant gratiam expellunt : qualis erat Saül, et septuaginta seniores filiorum Israël, præter Eldad et Medad : apud hos enim solos apparet mansisse Spiritum sanctum : (*Num.* xi. 26.) et in genere, si quis est istis animi proposito consimilis.

S. Joan. Chrysost. *in cap.* 39. *Gen, Homil.* 62. *pag.* 821. * *Dominus erat cum eo, et omnia quæ ipse faciebat, Dominus prosperabat in manibus ejus.* (*Gen.* xxxix. 23.) Vide quomodo comitabatur eum perpetuò superna gratia, et omnia quæ faciebat, erant plena gratiâ. Hoc igitur et nos studeamus, et nobiscum semper habeamus Dominum : ut quæ à nobis fiunt, ab illo prosperentur. Nam qui illius auxilium assequitur, et in mediis malis existens ridebit, ac nihili putabit omnia, Domino omnium faciente et disponente cuncta, ut prosperè succedant omnia. Quomodo autem poterimus nobiscum habere Dominum, ita ut ab ipso secundentur omnia? Si sobrii nosmetipsos attenderimus, et vigilantes fuerimus.

De verbis Apost. ii. *Corinth.* Habentes. *Serm.* 23. *pag.* 336. Ideò Thessalonicensibus quoque scribebat dicens : *Spiritum ne extinguatis.* (1. *Thess.* v. 19.) Certum quippe est quòd accedente Spiritûs gratiâ, inexpugnabiles malo dæmoni atque omnibus ejus insidiis erimus. Nam si *nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto* (1. *Cor.* xii. 3.), quantò magis fidem tutam et radicatam non poterit habere nisi in Spiritu sancto? At quomodo poterimus allicere auxilium spiritûs, eique persuadere ut apud nos manere velit? Per opera bona et optimam vivendi rationem. Sicut enim lucernæ lumen oleo relinetur, et consumpto eo ipsum quoque unà consumptum evanescit : ita etiam Spiritûs gratia tantisper, dum habemus opera bona, et crebris eleemosynis animam rigamus, manet non aliter quàm flamma oleo retenta : quæ si non adsint, recedit à nobis et abit : quod etiam quinque illis virginibus accidit; etenim illæ post multos labores ac sudores, cùm nullum haberent ex sua benignitate præsidium, non potuerunt apud se retinere Spiritûs gratiam : atque ideò sunt à thalamo repulsæ, vocemque illam terribilem audierunt, * *Discedite, non novi vos* (*Matth.* xxv. 12.); quæ vel gehennâ fuit gravior, propter hoc etiam stultæ sunt appellatæ : et meritò; quoniam cùm impotentiores cupiditates vicissent, à minùs valida sunt victæ.

S. Maximi Confessor. *Quæstionum in Scripturam Quæstio* 6. *pag.* 22. Duplex in nobis est nativitatis ex Deo modus : unus quidem, totam potentiâ his, qui nascuntur, præsentem præstans adoptionis gratiam : alter verò, totam actu præsentem, omnemque ejus qui nascitur cum gignente Deo animi proposito, transformatam inducens voluntatem. Ac prior quidem per solam fidem potentiâ præsentem gratiam habens; alter autem præter fidem, divinissimam quoque cogniti similitudinem per agnitionem in actu ac efficacem in agnoscente præbens. In quibus igitur prior nascendi modus intelligitur, quòd necdum eorum mens à carnali liquidò libidine avulsa et exsoluta, omninò spiritu imbuta sit, per ipsam exploratè cognitorum divinorum mysteriorum in actu participationem, non eis deest quin in peccatum quandoque vergere, atque animam inclinare velint. Non enim Spiritus invitam voluntatem gignit; sed volentem ad deificationem transmutat : cujus is, qui per agnitionem experimentum fecit, ab eo quod semel reipsà verè proprièque dignovit, ad aliud præter ipsum, ac quod illud esse mentiatur, non potest demulari.

S. Marc. *Exerc. Capitul. de temperant. pag.* 959. Gratia quidem continenter adest radicata et permixta ab incunte ætate, ac veluti naturale

quiddam et concretum nunquam abest ab eo : idque ut unica gratia, quæ diversâ ratione pro nutu moderatur, ad utilitatem hominis. Quandoque enim vehementiùs ardet et accenditur ignis, interdum remissiùs et molliùs. Ipsum quoque lumen quibusdam temporibus intensiùs accenditur et lucet, quandoque verò remittitur et subtristius est. Ita hæc lucerna, nempe gratia, semper ardens et splendens, quando nitidior apparuerit, vehementiùs accenditur ab ebrietate dilectionis Dei, rursùmque dispensatione quadam lucet, lumenque quod inest, oblusius redditur.

JOAN. CYPARISS. *Dec.* 7. *de Divin. Particip. cap.* 4. *Tom.* 21. *Bibl. PP. Lugd. pag.* 429. Sanctus Cyrillus libro septimo dialogorum ad Hermiam... « Templa enim sumus Spiritûs sancti per se existentis : vocati autem » sumus dii propter ipsum, utpote divinæ naturæ propter conjunctionem » cum ipso participes facti. Et iterùm idem in eisdem. » An non dicimus fabricari hominem ad imaginem Dei? Quis neget? Quòd autem imaginem imprimit, et instar sigilli pulchritudinem supra mundanam efficit, an non est Spiritus sanctus? « At non, *inquit*, ut Deus, sed ut divinæ » gratiæ minister. » Igitur non ipse, sed gratia per ipsum consignatur. « Videtur, *inquit*. » Necesse ergo erat appellare hominem imaginem gratiæ, et non potiùs imaginem Dei... Basilius in Epistola ad Gregorium fratrem : « Omne, *inquit*, bonum, quodcunque ex divina potestate ad nos » deveniat, operationem gratiæ omnia in nobis operantis esse dicimus, » *omnia* enim *operatur unus et idem Spiritus.* (1. *Cor.* XII. 11.) » Ac rursùs idem : « Spiritum sanctum qui ex Deo existit, fontem dico sanctitatis, » potestatem vitæ effectricem, et gratiam perficientem; per quem homo » adoptatur filius, et quod mortale est, efficitur immortale, unum per » omnia cum patre et filio... » Et magnus Athanasius. « Facti participes » naturæ Dei, non nudæ gratiæ à Deo manantis, et quæ per se non exis- » tit participes sumus; sed ipsius Spiritûs supra substantiam, et vivifici, » ac per existentis; et per hunc ipsum cum patre et filio copulati, divinæ » naturæ consortes efficimur, et hâc gratiâ ditamur, gratiâ scilicet trium » personarum, quæ est per se gratia. Et sicut creditur esse communis » nobiscum per se gratia, sic etiam sigillatim unaquæque persona divina » ex tribus gratia dicitur, et maximè summus Deus Salvator, et qui est » supra substantiam, Spiritus sanctus, uterque simul gratia bimanans » dicitur. Sicut igitur hæc gratia dicuntur principaliter, et divinè, et » efficienter, sic homonymè omne datum bonum, quod ab ipsis personis » divinis ad nos proficiscitur, tanquam beneficium nobis creatum et » effectum, gratia et donum dicitur, non ex operibus nostris confectum, » quin potiùs gratis, et ex nulla nostra importatione suppeditatum. »

S. HILAR. *Tract. in Psal.* CXVIII. *litt.* 12. *n.* 4. Nemo enim nostrùm est, qui non interdùm donum spiritalis gratiæ sentiat, qui non aliquando in se habeat Dei verbum, cùm sobrius, cùm tranquillus est, cùm continens est, cùm benevolus est, cùm misericors est, (in his enim cùm sumus, manet in nobis Dei verbum,) cùm præceptis ejus bonarum rerum obedientione famulamur. Sed subrepentibus turbidarum affectionum molibus, cùm subit pecuniæ cura, cùm æstus turpis ac lascivæ cupiditatis accenditur, cùm iræ impetus commovetur, cùm ebrietas desideratur; jam non est in nobis manens Dei verbum.

S. GREG. *Exposit. in sept. Psal. Pœnitent. Ps.* V. *n.* 36. Primùm namque humanis mentibus gratia spiritalis infunditur, postmodum verò in mente quid Spiritus egerit, in operibus demonstratur.

S. AUG. *in Psal.* CXVIII. *Serm.* 26. *n.* 8. *Idcò*, inquit, *dilexi mandata tua super aurum et topazion.* (*Psal.* CXVIII. 127.) Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. Gratiâ quippe Dei *diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* V. 5.)

BEDÆ Presbyt. *Comment. in Psal.* LIII. *argument. pag.* 575. Deus omnes sanctos suos adjuvat, et si non exteriùs manifestè, interiùs tamen occultè.

In Epist. ad Galat. cap. 2. *pag.* 520. (*Galat.* II. 16.) *Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus ut justificemur ex fide Christi...* Non quia opera bona frustrantur, cùm Deus reddat unicuique secundùm opera sua, sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia : quoniam fides quæ per

dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi *ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* v. 5.), nec ipsa fides esset in nobis, nisi unicuique Deus partiretur mensuram fidei. Ex fide dicit nos justificari, quia ipsa prima est ex qua impetrantur cætera. *Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* (*Galat.* II. 19. *et* 20.) Cognitâ Dei gratiâ quæ sola liberat à prævaricatione, quæ legis cognitione committitur, orando dicit : * *Confige clavis à timore tuo carnes meas...* (*Psal.* CXVIII. 120.) Quod quid est aliud ? nisi : Non est in me justitia mea quæ ex lege est, in qua prævaricator effectus sum ; sed justitia Dei, id est, quæ mihi ex Deo est, non ex me. Sic quippè in me vivit non ego, sed Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo et justitia et sanctificatio et redemptio, ut quemadmodum scriptum est, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (1. *Cor.* I. 31.); item dicit, *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis.* (*Galat.* v. 24.) Cùm hic dictum sit quòd ipsi crucifixerunt carnem suam, in isto tamen Psalmo Deus rogatur, ut id faciat cui dicitur : *Confige clavis à timore tuo carnes meas*, ut intelligamus etiam quod rectè facimus, gratiæ Dei esse tribuendum, *qui in nobis operatur et velle et operari pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.)

RICH. à S. VICT. *Part.* 1. *Serm. de Spirit. sanct. pag.* 396. Sine Spiritûs sancti gratia nec in Christum saltem credere potuerunt. Quid ergo hodiernâ die acceperunt si et ante hanc diem Spiritûs sancti gratiâ perfusi fuerunt ? Sed constat sanè quòd ejusmodi stillicidia gratiæ dantur modò ad solam infusionem, modò verò usque ad diffusionem, quandoque autem etiam usque ad effusionem... Juxta hujus similitudinis formam multi accipiunt Spiritûs sancti gratiam, alii ad solam infusionem, alii usque ad diffusionem, alii autem usque ad effusionem. Ad solam infusionem accipit qui gratiam quidem percipit, minùs tamen quàm sibi sufficere possit. Usque ad effusionem suscipit, cui tantùm suppetit quod sibi et cæteris sufficere possit. Infusio est ad sustentationem, diffusio ad satietatem, effusio ad erogationem. Infusio ad refectionem, diffusio ad repletionem, effusio ad dispensationem. Infusio ad boni inchoationem, diffusio, et effusio ad boni consummationem. Infusio ad ædificationem sui, effusio ad ædificationem proximi. Ex hac ergo homo accipit, ut prosit ; ex illis, ut perficiat.

BRUNO Herbipol. Episc. *Exposit. in Psalterium*, *tom.* 18. *BB. PP. Lugd. Psal.* v. *pag.* 80. *ex Hieron.* Vel lumen illud gratia Dei est : infusa mentî reparandæ, quâ ratio insignitur ut denarius regis imagine, et hoc lumen est totum et verum hominis bonum.

JOAN. GERSON. *in descript. terminorum ad Theolog. utilium.* Gratia in genere, est virtus qualiscunque fuerit considerata, prout à Deo gratuitè donata est. Vel gratia in genere, appellari potest omne illud qualecunque sit quod Deus immittit creaturæ rationali et ut ipsa declinet à malo et faciat bonum. Hoc modo naturalia ut fortuita bona, immò et mala fortunæ inter gratias quandoque numerantur.

Gratia magis in speciali, est donum aliquod consideratum, prout à Deo gratuitè, hoc est sine merito collatum est. Hoc modo virtutes omnes gratiæ sunt, immò et naturales ad bonum inclinationes. Gratia specialiùs est habitus aliquis animæ supernaturaliter infusus ad finem beatitudinis mediatè vel immediatè consequendum. Hoc modo fides et spes et prophetia et dona et beatitudines computantur in gratiis.

Gratia propriè prout convertitur cum charitate, est habitus mentis à Deo solo supernaturaliter infusus, vivificans eam et dignificans formaliter ad actus Deo placitos et meritorios immediatè producendum, cum acceptatione ejusdem animæ, ad propinquam dignitatem habendi vitam æternam. Dicitur immediatè propter alios habitus formatos. Dicitur ad dignitatem propter præscitos in gratia... Gratia gratificans et justificans est charitas, sic appellata quia peccatum expellit, et gratam reddit animam Deo atque justam.

GUILLELM. ESTIUS *in lib.* 2. *Sent. Distinct.* 26. §. 2. Theologi quidem scholastici concordiler docent, homini in justificatione infundi supernaturalem quemdam habitum, quo anima reddatur justa Deo grata : ut

latè videre est in eorum commentariis ad dist. 17. lib. 1. Sententiarum, et ad dist. 26. et 27. lib. 2.

Nam et si neque Scriptura, neque vetusti Patres expressè gratiam nominent habitum, ita tamen de ea loquuntur ut de forma seu qualitate aliqua inexistente et permanente in homine, etiam dum cessat actio, ad quam ipsa inclinat. Hoc autem est inesse per modum habitûs.

Hujusmodi sunt Scripturæ quæ significant gratiam nobis infundi, ut (Rom. v. 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis:* et (ad Tit. iii. 3. et 6.) *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quem effudit in nos abundè.* Quibus consonat illud ex oratione Ecclesiæ: *Gratiam tuam mentibus nostris infunde.*

Atqui per infusionem, effusionem, diffusionem gratiæ seu charitatis in corda nostra propriè significatur collatio alicujus boni remansuri: sicut retinetur ac remanet liquor qui vasi infunditur. Quare non de actionibus quæ non remanent, sed de donis habitualibus accipiendæ sunt illæ locutiones.

Basilius libr. de Spiritu sancto cap. 26. « Sicut, *inquit*, vis cernendi est » in oculo sano, sic operatio Spiritûs in anima purgata: et sicut ars est » in eo qui nactus est illam, ita gratia spiritûs in eo qui recepit: semper » quidem præsens, at non perpetuò operans... » Scriptum est de Deo (Sap. viii. 1.) quòd *disponit omnia suaviter.* Pertinet enim ad suavem Dei dispositionem, quâ creaturas administrat, ut ad actionem propriam et naturalem nulla res moveatur, nisi per formam naturalem in ipsa permanentem. Quod igitur in naturalibus fit, id etiam ac multò magis consentaneum est in supernaturalibus fieri: scilicet ut quos movet Deus ad consequendum bonum supernaturale, formas seu qualitates quasdam supernaturales eis infundat, secundùm quas suaviter et promptè ab ipso moveantur ad illud bonum consequendum: sicque motus divinus ad tale bonum fiat iis qui sic moventur, quodammodo connaturalis. Hujusmodi verò formam seu qualitatem supernaturalem vocamus gratiam: consequens igitur est gratiam esse qualitatem permanentem, et ut ait S. Thomas (1. 2. *q.* 110. *art.* 2.), quiescentem in homine tanquam habitum.

Ad Paginam 3. *lin.* 15.

(1) Act. vii. 51. Vos semper Spiritui sancto resistitis.

2. Cor. vi. 1. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Hebr. xii. 15. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.

Apoc. iii. 20. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.

S. Ephrem. Confess. *Precat. ad Deum.* Da autem mihi opulenter, et absque mensura, ut Deus homini: et largire mihi ut Rex regnum, ac multiplica sicut bonus pater. Quòd si fortè abjeci et abjicio gratiam tuam velut terrenus: tu tamen qui hydrias imples benedictione tuâ, gratiâ quoque tuâ exple mihi sitim. Et qui de quinque panibus satiasti quinque millia hominum, de tua etiam benignitate famem mihi Domine expleas.

S. Basil. *seu* Auctor *Concionis* 1. *de virtute et vitio, in append.* S. Basilii *pag.* 6. Fieri siquidem minimè potest, ut divinæ gratiæ capaces efficiamur, nisi depositis priùs et profligatis his affectibus viliosis, qui animos nostros jam anteà occuparunt. Oportet igitur quæ priùs inerant effundere, ut capi possint quæ ingeruntur. Omnibus nempe adest Spiritus sanctus, sed in eos quidem quibus repurgata est istiusmodi affectibus mens, vi suâ peculiari agit: in eos verò qui conspurcatum habent vitiorum maculis atque cœno animum, non item. Fieri enim non potest ut mens variis curis distracta, perfectè id exsequatur ad quod contendit: quemadmodum testificatus est Dominus, dicens, *nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* vi. 24.), et rursùm, *non potestis Deo servire et mammonæ.* (*Id. Ibid.*)

Joan. Hierosol. *Comment. in Matth. cap* 6. *pag.* 171. Pulsat autem Christus hominem Christianum aut per Scripturas divinas, aut bonas cogitationes super cor ejus inducens: et ille qui suscipit eas, aperit Christo; qui autem expellit, claudit.

Theodor. Studites *Epist. lib.* 2. *Epist.* 21. *ad Confess.* 1. Quod si cecidimus... non ad divinum impulsum, sed ad ejus qui fractus est remis-

sionem et ignaviam, impietatemque referendum. Deus enim vires dedit adversùs dæmonis potentiam, victorem volens athletam fieri: hic verò negligentiâ suâ, patientiæ arma projiciens periit. Testis horum qui clamat: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (1. *Cor.* x. 13.)

S. HILAR. *in Psal.* CXVIII. *litt.* 12. *n.* 5. Adest autem unicuique proximum, ut dictum est: stat enim ad ostium verbum Dei, et pulsat ostium animæ nostræ, et dicit, * *Ecce stans ante ostium pulso; si quis aperiet mihi ostium, ingrediar ad eum.* (*Apocal.* III. 20.) Vult ergo semper introire: sed à nobis ne introëat excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Quæ si cœperit emundatis omnibus patere, illicò introibit, modo solis, qui clausis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur. Ipse quidem semper ut illuminet promptus est; sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim verbum Dei sol justitiæ, assistens unicuique ut introëat: nec moratur lucem suam repertis aditibus infundere. Manet igitur hoc verbum Dei in cœlis per indefessam cœlestium obedientiam; quo exemplo in sanctis quoque, qui cœlestes secundùm cœlestis imaginem sunt (1. *Cor.* XV. 49.), Dei verbum manere credendum est.

S. AMBROS. *in Psal.* CXVIII. *Serm.* 12. *n.* 12. Illum puto cœlum, ad cujus animam venit Christus, et pulsat januam, et si aperueris, ingreditur. Nec solus ingreditur; sed etiam cum Patre, sicut ipse ait: *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (*Joan.* XIV. 23.)

N. 13. Vides igitur quod Verbum Deus et otiosum provocat, et dormientem excitat. Qui enim venit, et januam pulsat, vult semper intrare. Sed in nobis est quòd non semper ingreditur, non semper manet. Pateat advenienti janua tua, aperi animam tuam, expande gremium mentis tuæ: ut videat divitias simplicitatis, thesauros pacis, suavitatem gratiæ. Dilata cor tuum, occurrere soli lucis æternæ quæ illuminat omnem hominem. Et illud quidem verum lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudabit. Excluditur ergo et Christus, si tu mentis tuæ januam claudas: et si possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere.

N. 14. Beatus ergo ille cujus pulsat januam Christus... Tunc ergo vigilandum: ne cùm sponsus venerit, recedat exclusus. Si enim dormias, et cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset; si cor tuum vigilet, pulsat, et aperiri sibi januam poscit.

N. 15. Aperi ergo illi: vult introire, vult sponsam invenire vigilantem. Noli bono amatori facere moras, citò recedit: et tu somno corporis tui videris exclusisse pulsantem. Excludis enim eum, cùm somnolentus: his repagulis Christus excluditur; etsi castus, etsi sobrius sis, cave ne negligens sis. Majorem Christo facit injuriam, qui advenientem repellit.

N. 17. Surgit igitur anima, ut aperiat Dei verbo, sed dum... aperit, transivit sponsus. Vult enim semper quæri, frequentiùs inveniri: et si clausam invenerit januam, pulsat: et si per moram fuerit exclusus, recedit. Sed citò redit, et iterùm pulsat: ut vel postea sponsam inveniat præparatam.

Serm. 19. *n.* 40. Nunquid si quis ostia domûs suæ claudat, solis est culpa quòd non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et verbi à se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem; causari poterit quòd sol justitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœlestis arguere? Pulsat januam tuam Dei verbum. Si quis... *aperuerit*, inquit, *introibo.* (*Apocal.* III. 20.) Si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredientis, et non magis non aperientis est culpa? Nihil quidem Deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini: sed portas malitiæ dedignatur aperire, conclavia non vult penetrare nequitiæ.

N. 41. Dei potest alicubi deesse sapientia, alicubi ejus deesse majestas? Sanè fugientes non retinet, non cogit invitos: sed neque fastidit appropinquantes: et illius quidem virtus, illius verbum Deus omnibus prope est: *In ipso* enim *constant omnia, et ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Colos.* 1. 17. *et* 18.), *in quo omnis inhabitat plenitudo.* (*Ibid.* II. 9.) Sed plerosque ab eo peccata secernunt, de quibus dictum est: *Ecce qui elongant se à te,*

peribunt. (*Ps.* LXIII. 27.) Undè sanctus Propheta ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* (*Ibid.* 28.) Et Apostolus ostendens non esse longè Deum ab unoquoque nostrûm: *In ipso*, inquit, *vivimus, et movemur, et sumus.* (*Act.* XVII. 27. *et* 28.) Vitalem enim omnibus gratiam subministrans, omnibus præsto est munere bonitatis suæ.

S. GREG. *in Evang. lib.* 2. *Homil.* 32. *n.* 7. Sequitur: « Hanc cùm vidisset » Jesus vocavit ad se, et ait: Mulier dimissa es ab infirmitate tua; et » imposuit illi manum, et confestim erecta est. » (*Luc.* XIII. 12. *et* 13.) Vocavit, et erexit: quia illuminavit et adjuvit. Vocat, sed non erigit, quando quidem, per ejus gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis adjuvari non possumus. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed hoc opere non implemus. Nitimur, et infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit: quia nimirùm jam de pœna peccati est, ut ex dono quidem possit bonum conspici, sed tamen ab eo quod aspicitur, contingat per meritum repelli. Usitata etenim culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur et labitur: quia ubi sponte diu perstitit, ibi et cùm noluerit, coacta cadit.

S. ANSELM. *Homil.* 4. *circa medium. Accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere.* (*Matth.* XVII. 7.) Ad discipulos suos in infirmitatis suæ confusione jacentes *accessit* per gratiam, *et tetigit eos* per virtutem, jussitque ut ad opera fortia surgerent; et timorem quem charitas ejicit, abjicerent. *Accessit et tetigit*, quia illuminavit et adjuvit. Accedit, sed non tangit, quandoquidem per ejus gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis non adjuvamur. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed hæc opere non valemus implere. Nitimur et infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo non succumbit. Quia nimirum jam de pœna peccati est, ut ex dono quidem possit bonum conspici; sed tamen ab eo, quod conspiciter, contingat per meritum repelli. Sed ad prostratos *accessit* Dominus, eosque tetigit, et ut surgerent imperavit: quia cùm nos infirmitatem nostram subtiliter agnoscentes humiliter jacemus, tunc virtute Spiritûs sancti tangimur, et ad robusta opera surgere præcipimur, quæ non per timorem, sed per charitatem faciamus.

BEDA *in* 1. *Epist. Petri*, *cap* 5, *pag.* 713. Gratia enim Christi eorum fit gratia, qui hanc mundo corde suscipiunt. Nam qui gratiam Dei spernit, non ipsam gratiam minuit, sed hanc suam non esse, id est, sibi facit non prodesse.

Gratia sufficiens pro efficaci dicitur à Richardo à S. Victore, et gratia præsens pro gratia sufficienti.

RICH. à S. VICT. *Part.* 1. *Serm. de Spirit. sanct.* Qui ergo Spiritui sancto repleti sunt, gratiæ plenitudinem acceperunt. Et qui priùs habuerunt gratiam præsentem, jam habere cœperunt gratiam sufficientem. Qualis fuerit prima gratia testatur casus Petri; qualis fuerit secunda, loquitur constantia Stephani... Nihil itaque aliud dicimus unumquemlibet gratiæ plenitudinem accipere, quàm secundùm præsentis vitæ statum et uniuscujusque capacitatem gratiam sufficientem habere. Nam alia sanè erat illa plenitudo gratiæ quam homo habere poterat, seu potiùs habebat ante peccatum: et alia quam modò habet vel habere valet secundùm præsentis miseriæ statum. Ante peccatum siquidem homo sufficientem gratiam habuit, et ad omne malum cavendum, et omne debitum solvendum; alioquin non potuit vitare peccatum. Hanc autem gratiæ plenitudinem in hac vitâ sicut nemo habet, sic absque dubio nec habere valet. Cui enim hominum unquam datum est, vel omne debitum implesse, vel omne illicitum vitasse? Hoc de illo solo rectè creditur de quo veraciter scribitur, *Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* (1. *Petr.* II. 22.) Quantùm ergo ad præsentis vitæ statum nihil aliud dicimus hominem aliquem Spiritu sancto plenum esse, vel gratiæ plenitudinem habere, quàm gratiam sufficientem a Domino accepisse ad omnia illa quæ ab ipso vult districtè exigere, quamvis non ad omnia illa quæ ipsi disponit misericorditer ignoscere.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 14. *Cap.* 4. *de Contrit.* Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati

consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, et Spiritùs sancti impulsum, non adhùc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.

GUILLEL. ESTIUS *in Lib.* 2. *Sentent. Distinct.* 26. §. 11. Est prætereà quædam gratiæ divisio, quâ in excitantem et adjuvantem dividitur. Eam significavit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. dùm ait : *quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante et adjuvante non possumus.* Et Bernardus lib. de gratia et libero arbitrio : *Conatus*, inquit, *nostri, et cassi sunt, si non adjuventur; et nulli, si non excitentur.* Utramque hanc gratiam agnoscit Ecclesia, dum modò Deum orat, ut excitet fidelium suorum voluntates et corda; modò precatur, ut actiones eorum quas adspirando prævenit, etiam adjuvando prosequatur. Denique Tridentinum Concilium luculenter utriusque gratiæ meminit Sess. 6. cap. 5. ubi dicit, *eos qui per peccata aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem disponi...* Multò rectiùs alii, qui gratiam excitantem interpretantur eam, quâ homini peccatori aut à bono opere cessanti, tanquam sopore quodam depresso immittitur cogitatio, desiderium, voluntas boni operis; ut jam verè excitatus à somno peccati aut negligentiæ bonorum operum dici possit. Adjuvantem verò gratiam, quâ jam excitatus adjuvatur, ut perfectiùs velit quod velle incepit, utque perficiat quod jam voluit; excitat enim gratia ut velimus, adjuvat ut faciamus. Excitantis itaque gratiæ effectus est velle, adjuvantis facere atque perficere. Neque tamen negandum est secundùm ea quæ superiùs de operante et cooperante gratia dicta sunt, quin et adjuvantem gratiam eam appellare liceat, quâ gignitur in homine primus bonæ voluntatis motus, qui cùm à libera voluntate procedat, ad eum tamen producendum uti cooperatur, sic et adjuvat gratia Dei.

Ad Paginam 3. *lin.* 19.

(K) 3. REG. VIII. 24. Ore locutus es, et manibus perfecisti, *id est*, ea quæ promisisti ipse tuâ potenti operatione præstitisti. *inquit* ESTIUS §. 3. *in lib.* 2. *Sent. Dist.* 28.

PROV. VIII. *secundùm* LXX. Præparatur voluntas à Domino.

ISAÏ XXVI. 12. Omnia opera nostra operatus es nobis.

JEREM. XXXVI. 27. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.

JOAN. V. 30. Non possum ego à meipso facere quidquam.

VI. 44. Nemo potest venire ad mè, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.

VIII. 28. A meipso facio nihil.

XIV. 10. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

XVIII. 4. Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. *Si hæc de Christo vera sunt, quantò magis de nobis?*

I. COR. XII. 6. Deus, qui operatur omnia in omnibus.

EPHES. II. 8. Gratiâ enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. 9. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

PHILIPP. II. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.

GUILL. ESTIUS. *in lib.* 2. *Sentent. Distinct.* 26. §. 3. *pag.* 386. Tertia ratio ex orationibus fidelium ac totius Ecclesiæ. Quidquid enim orando petimus à Deo, hoc ipsum credimus Deum facere posse, et facturum speramus, et ut faciat, exspectamus. Petimus autem à Deo non solùm illustrationes et suasiones internas, quibus objecta proponat voluntati, sicut ei congruum novit, ut sequatur et velit; sed ipsa bonam voluntatem, electionem, acceptationem atque ipsa bona opera; ergo ad hæc omnia extenditur efficax operatio gratiæ Dei. Probat hoc imprimis oratio Dominica, quâ dicimus, *Fiat voluntas tua:* et, *ne nos inducas in tentationem;* adeò ut *si alia documenta non essent* (ait S. Augustinus libro de dono

perseverantiæ, cap. 7.) *hæc oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus, sola sufficeret.* Et tamen eamdem efficaciam gratiæ nobis evidenter monstrant et adstruunt etiam aliæ preces Ecclesiæ, de quibus sic ibidem S. Augustinus: *attendat Ecclesia quotidianas orationes suas, orat ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem; orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque in finem, etc.* Et Cælestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ capite 11. *Obsecrationum*, inquit, *Sacerdotalium respiciamus sacramenta, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur; ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Ac deindè enumeratis iis quæ pro omni hominum genere orat Ecclesia, ita concludit: *Quod adeò totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium vel correptione referatur.* Prætereà videantur Innocentius I. in Epistola ad Concilium Milevitanum, quæ est apud S. Augustinum 93. et ipse Augustinus Epistola 107. ad Vitalem Carth. sub initium Epistolæ, ubi argumentum hoc vehementer urget; item Epistola 252. et lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 19. et 20. libro de gratia Christi capite 25. et libro de dono perseverantiæ capite 23. et Catechismus ad parochos titulo, Pro quibus orandum.

Quarta ratio superiori connexa, ab iis quæ nobis à Deo præcipiuntur. Nam ut ait S. Augustinus libro 2. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 10. *Nihil in Scripturis sanctis homini jubetur à Deo propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Hinc illa est S. Augustini oratio frequentata in Confessionibus, et contra Pelagii morsum defensa libro de dono perseverantiæ capite 20. *Domine da quod jubes, et jube quod vis.* Item illud ejusdem in Psalmo 118. littera He, et Prosperi ibidem, *Dona ipse quod mandas.* Quod sanè non aliud est dicere, quàm quod in oratione Dominica dicimus: *Fiat voluntas tua*, id est, Fac nos facere quod præcipis. Hùc pertinet quod Patres secundùm Scripturas et fidem Catholicam docent, gratiam præcepta legis implere, atque perficere, juxta illud Christi auctoris gratiæ, (*Matthæi* v. 17.) *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Undè et Scripturæ sibi respondentes sunt de præcepto et de gratia, ut: *Facite vobis cor novum*, (*Ezech.* xviii. 31.) Et, *dabo vobis cor novum.* (*Id.* xxxvi. 26.) *Ambulate in præceptis meis.* (*Id.* xx. 19.) Et, *ego faciam ut in præceptis meis ambuletis.* (xxxvi. 27.) *Salutem vestram operamini, Deus enim est qui operatur in vobis velle et perficere* (*Philip.* ii. 12. *et* 13.) *Perfecti estote* (2. *Cor.* xviii. 11.); et *oramus vestram consummationem.* (*Ibid.* 10.) *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* (*Psalm.* xxxi. 9.) *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris.* (*Ibid.* 8.) *Intellige quæ dico; debit enim tibi Dominus in omnibus intellectum* (2. *Tim.* ii. 7.); et *Ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum.* (*Jerem.* i. 17.) Quæ omnia manifestè convincunt hoc ipsum à Dei gratia fieri aut exspectari quod à Deo præcipitur, id est, ipsam legis obedientiam, et non solam suasionem ad id quod præcipitur; quam solam si Augustinus in supradictis verbis intellexisset, non fuisset cum irrisione reprehensus à Pelagio.

Quinta ratio ex gratiarum actione. Nam pro nobis operibus Deo gratiæ sunt agendæ, non tantùm quia gratiam oblulit, aut quia suasit quomodo prævidit nos secuturos; sed quia tribuit etiam ipsum sequi, velle, eligere, acceptare et benè operari. Hoc enim totum comprehendi necesse est in plena et perfecta gratiarum actione, qualem pro omnibus bonis Deus à nobis exigit, dicente Apostolo (1. Thessal. v. 18.) *In omnibus gratias agite*; et orante Ecclesiâ: *Dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique*, id est, in omnibus, *gratias agere.* Quam in agendis gratiis Ecclesiæ mentem clarè explicat Cælestinus Pontifex verbis suprà citatis: quibus dicit *Quòd adeò totum divini muneris esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio referatur.* Atque hoc ipsum significatum esse in illis verbis Salvatoris (Matthæi xxii. 21.), *Reddite quæ Dei sunt Deo*, intellexit Hilarius in Commentario.

Acta S. Polycarp. *ann.* 166. *seu Epist. Ecclesiæ Smyrnensis apud* Theodor. Ruinart. *pag.* 29. Nullus tamen erat patientium Martyrum gemitus, aut ejulatio aliqua vi doloris extorta: sed ut libenter suscipiebantur singula,

ita fortiter tolerebantur accepta. Præsens enim Dominus susceptâ tam fideli oblatione servorum, non solùm æternæ vitæ amore succenderat ipsos, et illis quæ solet devotis præstare, sed etiam doloris illius violentiam temperabat: scilicet ne potentiam animi cruciatus corporis frangeret. Loquebatur enim cum illis Dominus, ut exspectator ac probator animorum: et præsentia moderabatur mala.

ORIGENES *in Jeremiam Homilia.* 9. *in cap.* 6. *et* 7. *in fine.* Multùm beatus qui ex Deo semper nascitur. Neque enim semel dicam istum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper justus nascitur ex Deo. Hoc autem ut plenius possit probari, et de Salvatoris nostri quotidiana nativitate dicamus, liquidò id in justis obtinentes, quod in Deo præcessérit. Salvator noster *splendor est gloriæ.* (*Hebr.* I. 3.) Splendor autem non semel nascitur, et deinceps desinit nasci: sed quotiescunque ortum fuerit lumen ex quo splendor paritur, toties oritur et splendor gloriæ. Salvator noster sapientia est Dei. Sapientia verò splendor est lucis æternæ. Sic igitur salvator semper nascitur, et idcirco dicit, Ante omnes colles generat me (*Job.* XIV. 7.), non ut quidam malè legunt, genuit. Si semper ex Patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudine ejus jam adoptionis habens spiritum, generaris à Domino per singulos intellectus, per singula opera, et efficeris Filius Dei in Christo Jesu.

Contra Celsum lib. 5. *pag.* 482. Quædam sunt super naturam, quæ facit Deus interdùm supra humanam naturam attollendo hominem, mutandoque in naturam præstantiorem ac diviniorem, conservandoque talem quandiu seipse præstat conservari facilem et idoneum. Et quia semel diximus Deum nihil posse quod se non deceat, quando hoc deitas ipsius non admittat: dicimus etiam, si fortè quid homo pro sua nequitia stultè voluerit, id Deum non posse.

S. GREG. THAUMAT. *in Annuntiat. B. Mar. Virg. Serm.* 1. *tom.* 3. *Bib'. PP. pag.* 509. *Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.* (*Luc.* . 30.) Ne dijudices gratiam secundùm naturam: Legibus enim naturæ se subjici gratia non patitur... Nam ubi Spiritus sanctus, cuncta promptè atque incunctanter perficiuntur. Ubi divina adest gratia, omnia Deo sunt possibilia.

S. EPHREM. *Tract. de Agone sive Luctamine spirituali, in fine.* Desiderium tuum attraxit me post te, Christe, gloriatio vitæ meæ. Gratia tua dulcedinem mihi præstitit ad sequendum te, spes mea. Efficiatur cor meum terra bona ad suscipiendum sanctum semen tuum. Irroret illud gratia tua rore vitæ æternæ.... Animam meam ad te manibus tuis pertrahe.

S. BASIL. *lib. de Spiritu sancto cap.* 8. *de gratia loquens:* Item, *inquit*, cùm ait Apostolus, *in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos:* (*Rom.* VIII. 37.) nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potiùs, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis. Siquidem ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius (*Matth.* XII. 29.), videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatos ad omne opus bonum (*Ephes.* II. 10.) per liberi arbitrii nostri præparationem... *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me.* (*Joan.* XIV. 6.) Talis est igitur noster ad Deum ascensus per Filium. Porrò qualis sit Patris erga nos per eumdem bonorum suppeditatio, deinceps erit disserendum. Omnis naturæ, tum in hac creatura visibili, tum in intelligibili ad hoc ut consistat, Dei curâ egentis, conditor est sermo, videlicet unigenitus Deus quantum cuique opus est opem distribuens. Varia quidem et omnis generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio juvantur, unicuique tamen congruè juxta necessitatis modum auxilia dimetitur. Eos qui in tenebris ignorantiæ detinentur, illuminat: propterea lumen verum dicitur... Erigit è ruina, qui è sublimitate vitæ ad peccatum delapsi sunt. Ob id vocatur resurrectio. Omnia autem facit contractu virtutis, ac voluntate bonitatis operans: Pascit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Cùm non sunt ea facit ut sint, condita conservat. Hoc modo bona ex Deo per Filium ad nos perveniunt, majore celeritate in singulis operantem, quàm ullus sermo proferri valeat. Neque enim fulgura, neque lucis per aërem tam velox discursus est, non oculorum celeres ictus, non ipsius intellectûs nostri motus. Sed horum quodque magis vincitur divinæ operationis celeritate, quàm

animalia quæ sunt apud nos maximè segnia, non dicam volatilium, neque ventorum, neque cœlestium orbium impetu, sed ipsius mentis nostræ motu superantur. Nam quo tandem temporis spatio egeat, qui portat omnia verbo virtutis suæ, quique nec corporaliter operatur, neque manuum operâ ad fabricandum opus habet, sed eorum quæ fiunt naturam habet voluntate non coactâ obsequentem?

S. JOAN. CHRYS. *Homil.* 4. *in cap.* 1. *Genes.* Adamante enim solidiores Dei gratia nos efficit, et si volumus, omninò invictos. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, et robur suum imminuit: et qui contra stimulos calcitrat, suos pedes cruentat: in hunc modum res se habent nostræ cum salutis nostræ adversario, si armis, quæ nobis Spiritûs sancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.

Homil. 44. *ad pop. Antioch. de nativit.* 7. *Machabæor. Deum sic loquentem inducit:* Non enim talis agonotheta ego sum, ut certamiuis exitum in aliqua certantium virtute constituam, sed ipse assisto luctantibus, et auxilium præbeo, et manum præbeo athletis meis; et quod ex proprii arbitrii libertate suscipiunt, de bonæ voluntatis affectu, ut pro legibus meis, et nomine meo dimicent, id in victoriam ipsis procedere, mei est auxilii... Admirare divini agonotbetæ gratiam, obstupesce ad intuendam Christi virtutem, cujus athletæ non corporis robore, sed fidei virtute luctantur. Infirma eorum natura vel vetus est, sed quæ eos unxit gratia potens est.

Homil. 70. *ad pop. Antioch. in Martyr. Ægypt. pag.* 871. Hoc autem divinæ gratiæ opus est, quæ cuncta dispensat, et in infirmis corporibus mirabilia potest perficere... Non enim bellum cum ipsis, sed cum habitatore ipsorum Deo gerebant: cum porrò qui cum Deo bellum gerit, necessarium esse planè superiori potentiâ vinci, ac solius conatûs luere pœnas, ignorat nemo. Ejusmodi sunt Sanctorum victoriæ.

JOAN. HIEROSOL. *Homil. poster. in Psal.* L. *pag.* 418. Si dixerit adultero: Jam nolo ut adulter sis: verba statim vertuntur in opera. Si dicerit fornicatori: Fornicari desine, cessa ab immunditia tua: illicò mens ejus in melius mutatur. Et ut scias quia ita est, dixit: Fiat cœlum; et factum est cœlum. Præcepit fieri terram, et verbum ejus in opera cessit. Volo fieri luminaria; statim facta sunt, et astris completum est cœlum. Sol et luna præcepto ejus consummant cursum suum. Volo fieri Angelos; et in puncto horæ, tanta millia facta sunt. Et qui ex nihilo hæc omnia fecit, si vult sermone suo tua peccata non valet solvere; et post pœnitentiam, in Angelicum constituere gradum? Quid enim est peccatum ad Domini misericordiam? Tela aranea, quæ vento flante nusquam comparet. Si Deus voluerit, nullus impediet. Hæc dico, non ut negligentiores vos faciam, charissimi, sed ut ad fidem vos salutaris exspectationis adducam. Nunquam desperetis de vobis; sed de Dei misericordia confidite. Desperate potiùs de illo, qui de se desperaverit; qui revocare pedem non vult; qui Dei præcepta contemnit et despicit, et non se cogitat esse moriturum.

In Matth. cap. 22. *pag.* 270. Potens est Dei gratia barbaras mentes corrigere ad rationabilem intellectum; qui cor Nabuchodonosor ad feralem sensum mutavit; et iterùm feralem sensum ejus ad humanum intellectum reduxit. (*Daniel.* IV.) Potens est, inquam, mutare omnes, sive bonos, sive malos: boni ne pereant; mali ut inexcusabiles fiant.

S. P. N. MACAR. Senior. Ægypt. *Homil.* 16. *pag.* 127. *Tom.* 4. *Biblioth. PP. Lugd.* Si verò quis non fuerit adeptus gratiam divinam in se plantatam et concretam, noctu diuque laboret, ut quod ad horam ipsum deducebat, excitabat, et dirigebat ad ea quæ bona sunt, tanquam naturale sic adhæreat animæ, ut saltem ille curam gerat, metum ac laborem, tanquam naturalem et immutabilem cordis contritionem perpetuò infixam. Quemadmodum aut apis secretò favum conficit in alveo: sic et gratia dilectionem suam secretò in cordibus exercet: et quod amarum est, mutat in dulce, quod autem asperum in planum. Itaque sicut faber argentarius et sculptor quando discum insculpit, aliquatenus operit varia illa quæ sculpit animalia; ubi verò perfecit, tum discum splendentem profert in lucem; ita Dominus, qui verus est artifex, corda nostra insculpit ac mysticè renovat, donec è corpore decedant, et tum eminet dignitas animæ.

Theodul. Cœlesyriens. Presbyt. *Comment. in Epist. ad Rom. cap.* 5. *pag.* 597. *Tom.* 8. *BB. PP. Lugd.* Gratia autem Dei, vel citra nostram cooperationem ad omnes accessit : atque hoc indicat, quòd gratia resurrectionis non solùm in fideles efficax fuerit, veluti eos qui fidem ad salutem contribuerint attulerintque ; verum etiam in infideles, ut Judæos et Græcos. Quod igitur nostro auxilio non eget, majus dicit quàm quod eget nostrâ, ad hoc ut potens sit valeatque, ope.

S. Maximi *cap. Theol. et œcon. pag.* 538. *cent.* 2. *n.* 20. Cùm non una eademque naturæ ac gratiæ ratio sit, haud anxiè ambigendum, undenam Sanctorum quidam, modò malis noxiisque superiores existerent, modò illis magis succumberent ; cùm non lateat, miraculum quidem ad gratiam spectare, malum autem et labem ad naturam.

Gennadius Patriarcha Constant. *Epist. de Prædestinat. ad Josephum.* Enim verò in humanis rebus divinam prædestinationem sapientissimè optimèque operantem noverat (*Basilius*), quæ sempiternus est ordo in Deo ad deducendum hominem ad beatam vitam : tametsi ea deductio fiat in tempore, cùm Deus mittit hominem ad eum limitem, ut sagittarius telum ad metam. Ideoque mittit, quòd viribus tantùm suis eò pervenire nequeat, etiamsi ad id natus sit. Idem propterea infirmitates et defectus variis circa vitam et obitum dispensationibus sanat et curat misericordiæ suæ immensitate. *Non enim ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus*, inquit divinus Apostolus (*Tit.* III. 5.), *sed secundùm misericordiam salvos nos fecit :* ab omni ævo, etiam nunc et quandiu hominum generatio constiterit ; ut qui semel commiseratione solâ propriaque vitæ viam nobis aperuit. Etenim qui omnibus suis operibus rationi congruenter providet, pro singulorum dignitate et ordine in omni utique peculiarem maximè rationali naturæ providentiam largiendo muneribus quibus eam decoravit insignem, ipsique constituto fine nascendi et existendi in beata vita, quæ sincerâ, purâ immediatâque Dei et rerum divinarum cognitione consistit. *Hæc enim est*, inquit, *æterna vita, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan.* XVII. 3.) Hæc sunt Theologiæ et dispensationis arcana ; quæ nunc in speculo et ænigmate credentes vident ; illi, inquam, ipse hunc statuit terminum et finem, et scopum : cùm nihil eorum quæ sunt nec omnia simul hoc præstare queant ; ipse etiam ad illum diffinit : nam quamvis terminus ejus sit, quando ita Deo visum est, immensus tamen exsuperansque, et determinat commovendo etiam ab origine commotam. Cætera quippè omnia ad finem ordinantur naturæ suæ congruentem, ac dicuntur solùm ut statutum ipsis est duci, non ducunt se : homo verò cùm ad finem excellentem determinetur à Deo, et è domo ducatur simul et adjuvetur ab Angelo custode. Itaque sicut ipse solus novit prædestinandos : ita postquam à semetipsis quoque intulerint omne quod ab eximia divinaque in ipsos beneficentia manaverit ; cùmque sciat ut determinandi sint, etiam antequàm destinentur. Nec priùs tantùm quàm prædestinati, et finem assecuti fuerunt, verùm etiam priusquam ipsi nati sunt existuntque, prædestinare dicitur. Ac prædestinati rursùs hi vocantur : Et prædestinavit quidem eos qui servantur servandos esse, quemadmodum etiam servat : porrò salvos facit, ut et servandos prædestinavit. Ad hæc veluti, qui semel exorbitant deflectunt à via ad terminum ducente, aut obliquando sponte hinc indè, ac Dei erga ipsos studium irritum reddendo, quod, ut destinari possent ac prædestinandi essent, modis omnibus ostendunt. Itaque à limite meritò excidentes, reprobantur utique propter seipsos, cùm occasio ipsis se obtulerit experientiâ finis repulsam cognoscendi. Jam verò à Deo reprobati, etiam priusquam fuerint, existunt, non quòd in sempiternum reprobare velit, sed quòd præscientiâ præsciat in omne ævum reprobandos, omnemque erga ipsos Dei Patris et servatoris providentiam irritam effecturos, ac studium ad finem assequendum.

S. Hilar. *in Matth. lib.* 4. *n.* 38. Deus ex quo omnia sunt, qui omnia mandando fecit, facti opera sibi assumens, non utique efficienda, nisi dixisset ut fierent, testatur regem per se excitatum justum, et ædificantem sibi Deo civitatem, et plebis captivitatem avertentem, non cum præmio neque cum muneribus ; gratiâ enim omnes salvamur.

Comm. in Matth. cap. 32. *n.* 6. Hic ager figuli est, quia Dei omnia sunt, cujus in manu sit, nos ut velit tanquam figulus reformare.

S. AMBROS. *Apolog. David. cap.* 16. *n.* 76. *Docebo iniquos vias tuas* (*Psal.* L. 15.); quia commutare vitiosos affectus potest, propositumque convertere doctrina cœlestis, et operatio divina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere; ut hi qui sine lege vivebant, convertantur ad Dominum verum, qui antè avertebantur.

Enarr. in Psal. XLIII. *n.* 77. Ipse tibi ergo est vel injuriæ auctor, vel gratiæ: operatio divina nihil errat.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 4. *n.* 9. Rogat ergo qui dejectionem animæ suæ sentit ad pavimentum usque curvatæ, ut vivificetur secundùm verbum Dei, quod animas ad se trahit quascunque, et miseratione sui levare cupiens abducit à terris.

Serm. 14. *n.* 29. *Anima mea in manibus tuis semper.* (*Psal.* CXVIII. 109.) *N.* 30. Scit Propheta, scit ubi animæ suæ præsidium locet, undè opem speret: in manibus Dei constituere vult animam suam; quia cor regis in manu Dei est... (*Prov.* XXI. 1.) Hujus anima non perit in æternum, nec quisquam rapit eam de manu Patris omnipotentis aut Filii. Manus enim Dei quæ solidavit cœlum, quos tenuerit, non amittit.

Serm. 15. *n.* 29. *Adjuva me*, inquit, *et salvus ero.* (*Psal.* CXVIII. 117.) Qui sperat, præsumit juvari: ubi autem adjumentum Dei, ibi certum salutis auxilium.

N. 30. Illam quam adeptus es gloriam, non tuis meritis arroges, sed diviuæ miserationi semper adscribas; ne tibi dicatur: *Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (I. *Cor.* IV. 7.) Omnis enim creatura quæcunque bona habet, accepit à Christo, qui totius est auctor creaturæ.

Exposit. Evang. sec. Luc. lib. 2. *n.* 19. Nescit tarda molimina sancti Spiritûs gratia.

S. AUG. *Enchirid. de Fide, Spe et Charit. c.* 102. *n.* 26. Deus igitur omnipotens sive per misericordiam cujus vult misereatur, sive per judicium quem vult obduret, nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quidquam facit, et omnia quæcunque vult facit.

Cap. 118. *n.* 31. Cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundùm legem volens vivere vincitur, et sciens peccat, peccatoque subditus servit: * *à quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (2. *Petr.* II 19.); id agente scientiâ mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam cumulo prævaricationis adjecto, atque ita quod scriptum est impleatur; *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* (*Rom.* V. 20.) Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, et agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversùs carnem (*Galat.* V. 17.) fortiore robore charitatis: ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat (*Rom.* I. 17.), justèque vivat, in quantum non credit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ..... Quæ quidem gratia nec anteà defuit, quibus eam oportuit impertiri, quamvis pro temporis dispensatione velata et occulta.

De Gen. ad litter. lib. 8. *cap.* 23. *n.* 44. Natura Trinitatis... ipsa apud seipsam et in seipsa sine ullo tempore ac loco, movet tamen per tempus et locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate: ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit; in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit; nulla mala sit, quà benè uti non possit. Sed quia non omnibus naturis dedit voluntatis arbitrium, illæ autem quibus dedit, potentiores ac superiores sunt; illæ naturæ quæ non habent voluntatem, subditæ sint necesse est illis quæ habent, et hoc ordinatione Creatoris, qui nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Cùm igitur omne corpus et omnis anima irrationalis non habeat voluntatis arbitrium, subdita ista sunt eis naturis, quæ prædilæ sunt arbitrio voluntatis, nec omnibus omnia, sed sicut distribuit justitia Creatoris. Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, et naturas et voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint; subdit primitùs omnia sibi, deindè creaturam corporalem creaturæ spiritali, irrationalem rationali.

Lib. 10. *cap.* 6. *n.* 40. Per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renovatione formantur. Undè dicit Apostolus, " *Gratiâ enim salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creatum in Christo Jesu in operibus bonis.* (*Ephes.* II. 8. 9. *et* 10.) Non enim per hanc gratiam fidei corpora nostra creata vel ficta possumus intelligere; sed sicut in Psalmo dictum est, *cor mundum crea in me Deus.* (*Psal.* L. 12.)

N. 11. Hinc etiam illud esse puto, *qui finxit spiritum hominis in ipso* (*Zach.* XII. 1.); tanquam aliud sit factam animam mittere, aliud in ipso homine facere, id est reficere ac renovare. Sed etiam hoc si non de gratia, in qua renovamur, sed de natura in qua nascimur intelligamus, ad utramque sententiam duci potest.

Enarr. in Psal. XLV. *n.* 14. Non vos, sed ego sum Deus: ego creavi, ego recreo; ego formavi, ego reformo; ego feci, ego reficio. Si non potuisti facere te, quomodo potes reficere te.

Enarr. in Psal. CVI. *n.* 14. Fac enim hominem primò nihil quærentem, secundùm vitam veterem seductoriâ securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, et mortiferis delectationibus consopitum: ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen à quo sit excitatus, ignorat. Incipit autem esse jam Dei, cùm cognoverit veritatis fidem.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 27. *n.* 3. Noli ergo superbire, noli de tua, quæ nulla est, virtute præsumere; et intelliges quare sit à bono Deo bona lex data; quæ tamen vivificare non possit. Ad hoc enim data est, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic opis indigus et egenus ad gratiam confugeres, et clamares, *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* (*Psal.* VI. 3.) Hoc ergo scrutando intellexit hic parvulus, quod minimus Apostolorum, Paulus id est, parvulus ostendit, ideò datam legem, quæ vivificare non posset, quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* (*Gal.* III. 22.) Ita Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri, immò impera quod nonnisi per tuam gratiam possit impleri: ut cùm homines per suas vires id implere nequiverint, *omne os obstruatur* (*Rom.* III. 19.), et nemo sibi magnus videatur. Sint omnes parvuli, et reus fiat omnis mundus tibi: quia non justificabitur ex lege omnis caro coram te; per legem enim cognitio peccati... Quis enim facit mandata tua sicut facienda sunt, id est ex fide quæ per dilectionem operatur, nisi ejus in corde per Spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur. (*Rom.* V. 5.)

N. 4. Hoc etiam iste parvulus confitetur: *os meum*, inquit, *aperui, et attraxi spiritum, quoniam mandata tua desiderabam.* (*Psal.* CXVIII. 131.) Quid desiderabat, nisi facere mandata divina? Sed non erat undè faceret infirmus fortia, parvulus magna: aperuit os confitens quòd per se ipse non faceret; et attraxit undè faceret: aperuit os petendo, quærendo, pulsando; et sitiens hausit spiritum bonum, undè faceret, quod per ipsum non poterat, (*Matth.* VII. 7.) *mandatum sanctum et justum et bonum.* (*Rom.* VII. 12.) Si enim nos cùm simus mali, novimus bona data dare filiis nostris: quantò magis Pater noster de cœlo dat spiritum bonum petentibus eum (*Matth.* VII. 11.)? Non enim qui spiritu suo agunt, sed *quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII. 14.): non quia ipsi nihil agunt; sed ne nihil boni agant, à bono aguntur, ut agant. Nam tantò magis efficitur quisque filius bonus, quantò largiùs ei datur à Patre spiritus bonus.

In Psal. CXXXIV. *Enarr. n.* 12. Putamus in teipso facis quod vis? Frenas omnes cupiditates tuas? Forsitan frenas: nunquid efficis ut ipsæ cupiditates non surgant, quas frenas? Certè enim hoc vis, non titillari molestiâ cupiditatum tuarum: et tamen *caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem, ut non ea quæ vultis faciatis.* (*Galat.* V. 17.) Tu in teipso non facis quod vis: *Deus autem noster in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit fecit.* (*Ps.* CXXXIV. 6.) Ipse tibi det gratiam, ut in teipso facias quod vis: nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis quod vis.....

Qui *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra* (*Id. Ibid.*), ipse et in nobis faciet quod vultis, ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis. Sed dum non potestis, confitemini; cùm poteritis, gratias agite; jacentes, clamate; erecti, superbire nolite.

In Psal. CXLII. *Enarr. n.* 10. *Memoratus sum dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis.* (*Ps.* CXLII. 5.) Quia utique omnia bona tu fecisti, et nihil constilisset, quod à te constitutum non esset. Creatura tua spectaculum mihi facta est: quæsivi in opere artificem, et in conditis omnibus conditorem. Quare hoc? Ut quid hoc, nisi ut hoc intelligeret quidquid in se boni esset, ab illo factum esse; ne *ignorans justitiam Dei et suam volens constituere, justitiæ Dei subjectus non esset* (*Rom.* X. 3.); ut ei conveniret vox illa superior, *In veritate tua, et in justitia tua.* (*Ps.* CXLII. 1.) In omnibus ergo Dei operibus, et meditatione omnium operum Dei gratiam insinuat, gratiam commendat, gratiam se invenisse gloriatur, gratiam quâ gratis salvi facti sumus; quia et gratis salvi facti sumus. Quid gloriaris in tua justitia? quid te extollis, ignorans Dei justitiam? Dedisti fortè aliquid, ut salvus esses? Quid dedisti, ut homo esses? Respice ergo conditorem vitæ tuæ, substantiæ et justitiæ et salutis auctorem. * *Meditare in facturis manuum ejus* (*Ibid.* 5.), quia et justitiam quæ in te est, ad manum ejus invenies pertinere. Audi Apostolum hoc te docentem; * *Non ex operibus*, inquit, *ne fortè quis extollatur.* (*Ephes.* II. 9.) Opera bona non habemus? Habemus planè: sed vide quid sequitur: * *Ipsius enim sumus figmentum* (*Ibid.* 10.), dixit. *Ipsius sumus figmentum:* fortè naturam, quâ homines sumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento? Non planè: de operibus loquebatur. *Non*, inquit, *ex operibus, ne quis fortè extollatur.* Sed non conjiciamus, sequatur: *Ipsius enim sumus figmentum: creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Noli ergo putare te aliquid operari, nisi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te, ad opus illius qui fecit te: ipse format, et ipse quod formaverat et tu exterminasti, reformet. Ut enim sis, ipse operatus est: ut bonus sis, si bonus es, ipse operatur. *Cum tremore*, inquit, *et timore vestram ipsorum salutem operamini.* (*Philip.* II. 12.) Sinostram ipsorum salutem operamur, quare cum timore, quare cum tremore, cùm sit in potestate nostra quod operamur? Audi quare cum timore et tremore: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate.* (*Ibid.* 13.) Ergo cum timore et tremore, ut delectet in convalle operari artificem nostrum. Sic enim operatur tanquam in dejectis (*Psal.* CIX. 6.), qui judicat in gentibus, et replet ruinas. *In facturis manuum tuarum meditatus sum.* Vidi ergo, et inspexi opera tua; quia nihil boni esse in nobis potest, nisi abs te fiat, qui nos fecisti.

N. 11. Et quid feci, cùm viderem * *à te omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm esse, descendens à Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio* (*Jacob.* I. 17.)? Cùm hoc viderem, aversus ab opere malo quod feceram in me, *extendi manus meas ad te.* (*Ps.* CXLII. 6.) *Extendi*, inquit, *manus meas ad te: anima mea velut terra sine aqua tibi.* Complue, inquit, me ad faciendum fructum bonum. *Dominus enim dabit suavitatem, ut terra nostra det fructum suum.* (*Ps.* LXXXIV. 13.) *Extendi manus meas ad te: anima mea velut terra sine aqua*, non mihi, sed *tibi.* Sitire tibi possum, me irrigare non possum. *Anima mea velut terra sine aqua tibi:* quia *sitivit anima mea in Deum vivum.* (*Psal.* XLI. 3.) Quando veniam, nisi quando venerit.

In Joann. Evang. cap. 6. *Tractat.* 26. *n.* 2. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* (*Joan.* VI. 44.) Magna gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige: Nondum traheris? Ora ut traharis. Quid hic dicimus, Fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus, sed non corpore creditur. Apostolum audi (*Rom.* X. 10.): *Corde creditur ad justitiam.* Et quid sequitur? *Ore autem confessio fit ad salutem.* De radice cordis surgit ista confessio.

N. 4. Indè et hìc si advertis, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit,* noli te cogitare invitum trahi : trahitur animus et amore... Dicatur nobis, Quomodo voluntate credo, si trahor ? Ego dico : Parum est voluntate, etiam voluptate traheris... Da amantem, et sentit quod dico. Da desiderantem, dà esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem : da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid loquor.

Serm. 128. *Aliàs* 43. *de verb. Evang. Joann.* 5. *cap.* 6. *n.* 9. Quod enim ait, *caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem* (*Galat.* v. 17.), noli putare spiritui hominis tantùm datum. Spiritus Dei est qui pugnat in te contra te. Noluisti enim stare ad Dominum; cecidisti, fractus es ; quomodo vas quando de manu hominis cadit in terram, fractus es. Et quia fractus es, ideò adversùs es tibi, ideò es contra te. Nihil sit in te contra te, et integer stabis. Nam ut noveris ad Spiritum sanctum hoc officium pertinere, alio loco dicit Apostolus, *si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis... Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* (*Rom.* VIII. 13 *et* 14.) Agis, si agaris ; et benè agis, si à bono agaris.

Contr. advers. Legis et Proph. lib. 1. *cap.* 14. *n.* 20. Si ergo ratio recta demonstrat, rationalem creaturam illam esse meliorem quæ nullà inobedientià deserit Deum, quàm istam quæ ita deseruit : sciat quisquis hoc sapit, nec illam deesse cœlestibus rebus quæ nunquam deserit Deum, nec istam ita esse factam ut aliquà necessitate deserere cogeretur Deum : et quia voluntate deseruit, nihil ex hoc diminutum sapientissimis dispositionibus Dei, qui et malis benè et perversis rectè utitur, et de humano genere justè meritoque damnato familiam sanctam atque numerosam, non ejus merito, sed gratiâ suâ factam, in æternum regnum se translaturum esse testatur.

S. PAULIN. *Epist.* 12. *ad Amand. aliàs* 21. *n.* 2. Illi omne quod loquimur, omne quod vivimus, cum perpetua gratiarum actione dependi, cujus opere ac munere loquimur et vivimus. *Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos.* (*Psal.* XCIX. 3.) Ipse, inquam, Dominus fecit nos, qui etiam refecit jam ab initio per omnia quæ operatus est et locutus in sanctis suis, salutis nostræ, id est, reparationis humanæ sacramenta molitus.

N. 4. In hoc enim operatus est et operatur quotidie bonus Dominus, ut divinæ conformationis gloriam consequamur, si nostræ in Christo conformationis exemplum sequamur, cognoscentes in altissimi moderamine temperatum naturæ nostræ modum, ut supra nos ipsius gratiâ provehamur, si juxta nostri memores ambulemus.

CASSIAN. *de Mobilit. animæ Collat.* 7. *cap.* 8. *pag.* 435. Sicut in illis (*dæmonibus*) est instigationis copia, ita et in nobis virtus respuendi, sive acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam et impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adjutoria Dei è contrario conferamus, de quo dicitur, *Major est enim qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo.* (*Joan.* IV. 4.) Cujus auxilia multò vehementiore militant virtute pro nobis ; quàm adversùm nos eorum multitudo confligit. Nam bonarum rerum non tantùm suggestor, sed etiam fautor atque impulsor est Deus ; ita ut nonnunquam nos etiam invitos, et ignorantes attrahat ad salutem.

Cap. 17. *Collat.* 13. Per hæc igitur exempla quæ de Evangelicis protulimus monumentis, evidentissimè poterimus advertere, diversis atque innumeris modis et inscrutabilibus viis, Deum salutem humani generis procurare, et quorumdam quidem volentium et scientium cursum ad majorem invitare flagrantiam ; quosdam verò etiam nolentes invitosque compellere, et nunc quidem ut impleantur ea quæ utiliter à nobis desiderata perspexerit adjuvare, nunc verò etiam ipsius sancti desiderii inspirare principia, et vel initium boni operis, vel perseverantiam condonare. Indè est quòd orantes non solùm protectorem, ac salvatorem, sed etiam adjutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quòd prior advocat, et ignorantes atque invitos attrahit ad salutem, protector atque salvator est, in eo autem quòd annitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur. Denique hanc dispensationis Dei multiplicem largita-

tem, B. Apostolus mente pertractans, et in quoddam immensum atque interminabile pietatis Dei pelagus se incidisse conspiciens, exclamavit: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quàm inscrutabilia » sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sen» sum Domini (*Rom.* XI. 33. *et* 34.)? » Hujus ergo scientiæ admirationem quam ille talis ac tantus gentium magister expavit, evacuare conabitur quisquis crediderit illius inæstimabilis abyssi profunditatem humanâ ratione se posse metiri. Nam qui ad plenum dispensationes Dei, quibus salutem in hominibus operatur, vel mente concipere, vel disserere se posse confidit, proculdubio impugnans Apostolicæ sententiæ veritatem, scrutabilia esse Dei judicia et vestigabiles vias ejus, profanâ pronuntiabit audaciâ.

S. LEO MAGN. *Serm.* 4. *in anniversario assumpt. suæ ad Pontificat.* 4. *cap.* 1. Gratias agere bonorum omnium debemus auctori; quoniam sive in naturalibus incrementis, sive in moralibus institutis, *ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX. 3.): cumque hoc piè et fideliter confitemur, neque in nobis, sed in Domino gloriamur.

Serm. 34. *in Epiphan. solem.* 5. *cap.* 1. Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos et efficaciter movit, et ad Dominum Jesum perseveranter attraxit, illius sine dubio gratiæ sacramentum, et illius fuit vocationis exordium, quâ nimirùm non in Judæa tantùm, sed etiam in toto mundo Christi erat Evangelium prædicandum.

Epistola 2. *aliàs* 82. *ad Rusticum Narbon. Episc.* At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus, quasi ulli adversitati propriis viribus resistendo, cùm et consilium nostrum, et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus (*Joan.* XV. 5.), per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores Evangelii, et sacramentorum ministros, *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* (*Matth.* XXVIII. 20.) Et iterùm, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem mundo tribulationem habebitis; sed bono animo estote, quia ego vici mundum.* (*Joan.* XVI. 33.) Quæ pollicitationes quia sine dubio manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria, quàm vera promissa.

Epist. 130. *cap.* 1. Dilectionem vestram moneo, ut inanis gloriæ contentionem id ipsum dicentes omnes unanimitatis virtute vitetis. Scitis enim quæ vobis debeatur hujus palma certaminis, cujus idem cognitor qui hoc spectat, adjutor est, atque ipse ad vincendum vires sufficit, qui diligentibus se præmium jam paravit.

S. GREG. MAGN. *Moral. in Job. lib.* 11. *cap.* 12. *n.* 15. Quid enim terra, nisi peccator accipitur, cui per sententiam dictum est, *Terra es et in terram ibis?* (*Gen.* III. 19.) Manet itaque terra immobilis, cùm præceptis Dominicis peccator obedire contemnit; cùm cervicem superbiæ erigit, atque à veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia scriptum est: *Pedes ejus steterunt, et mota est terra:* (*Habac.* III. 6. *sec.* LXX.) quia cùm veritas in corde figitur, mentis immobilitas agitatur; si sancti Spiritûs gratia superno munere juxta vocem prædicantis infunditur, statim terra subvertitur: quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, ut tantùm se postmodum præceptis Dominicis flendo subjiciat, quantùm superbiendo priùs contra Dominum cervicem cordis erigebat. Videas namque, quòd terra cordis humani, aquâ divini muneris infusâ, post libenter injurias toleret, quas priùs vehementer irrogabat: post etiam sua retribuat, quæ priùs et aliena rapiebat: post carnem abstinendo cruciat, quæ priùs satietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat: post etiam persecutores diligat, quæ priùs diligere etiam se amantes nolebat. Cùm igitur mens humana divino munere infusa, contra hoc quod consueverat, agere cœperit, terra subversa est; quia deorsùm missa est, quæ priùs eminebat, et sursùm elevata est facies, quæ priùs in profundo premebatur.

Lib. 18. *in c.* 28. *B. Job. c.* 28. *n.* 45. *Et lapis solutus calore, in æs vertitur.* (*Job.* XXVIII. 2.) Tunc lapis calore solvitur, cùm cor durum, atque à divini amoris igne frigidum, eodem divini amoris igne tangitur, et in fervore spiritûs liquatur: ut ad sequentem vitam desideriorum æstu ar-

deat, quam priùs audiens, insensibilis manebat. Ex quo ardore scilicet, et emollitur ad amorem, et roboratur ad operationem : ut sicut priùs durus fuerat in amore seculi, ita se postmodum fortem exerat in amorem Dei : et quod ante audire renuebat, jam et credere et prædicare incipiat. *Lapis ergo solutus calore, in æs vertitur :* quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur : ut peccator, qui priùs insensibilis exstiterat, postmodum et per auctoritatem fortis, et per prædicationem sonorus fiat. Quod benè per Isaïam dicitur : *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.* (*Isaï.* XL. 31.) Fortitudinem mutamus, cùm conversi, tantâ virtute præsens seculum fugimus, quantâ hoc antè quærebamus.

Lib. 19. *in cap.* 29. *Beati Job. n.* 52. *Et ros morabitur in messione mea.* (*Job.* XXIX. 19.) Ergo ros moratur in messione; quia gratia desuper veniens agit, ut digni simus qui de inferioribus colligamur. Ipsâ quippè nos desuper infundente, fructum bonorum operum ferimus. Undè rectè quoque per Paulum dicitur. (1. *Cor.* XV. 10.) *Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* Si enim quæratur quid sit ros desuper veniens, ait : *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Si intueamur messem sub rore crescentem, ait : *Et gratiâ ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi.*

Lib. 24. *in capite* 34. *B. Job. cap.* 21. *n.* 47. Curvum cor est, cùm ima appetit : dirigitur, cùm ad superna sublevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum verò qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deo ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere, est ad conversionem sui desiderii, et interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam menti exteriùs libeat, nihil caro inferiùs, vel si appetit, adipisci conetur; sed omne quod homo est, ad eum videlicet à quo est, et interiùs desiderando ferveat, et exteriùs se edomando constringat. Undè et aptè subjungit : *Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur.* (*Job.* XXXIV. 15.)

Cap. 22. *n.* 48. Simul enim omnis caro deficit, quando jam nullis suis motibus servit : quia præsidens spiritus cuncta ejus fluxa restringit, et quodam districtionis suæ gladio omne quod in illa malè vivebat interficit. Hoc nimirùm disciplinæ gladio semetipsum Jeremias interfecerat, cùm dicebat : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* (*Jer.* XXXI. 19.)

Lib. 27. *in cap.* 37. *B. Job. cap.* 22. *n.* 42. *Tonabit Deus voce suâ mirabiliter.* (*Job.* XXXVII. 5.) Voce suâ Deus mirabiliter tonat, quia occultâ vi corda nostra incomprehensibiliter penetrat. Quæ dum latentibus motibus premit in timore, et format in amore, quanto ardore sequendus sit aliquo modo silenter clamat, et fit cujusdam impulsionis nimietas in mente, cùm nihil sonet in voce. Quæ tantò apud nos valentiùs perstrepit, quantò et ab omni exteriori strepitu aurem nostri surdescere cordis facit. Undè et anima ad semetipsum mox hoc intimo clamore collecta miratur, quod audit; quia vim compunctionis incognitæ percipit. Cujus ipsa admiratio benè apud Moïsen mannâ desuper veniente signatur. (*Exod.* XVI. 15.) Dulcis enim cibus, qui de supernis accipitur, manhu vocatur. Manhu enim dicitur, *Quid est hoc?* Et quid est hoc dicimus, quando hoc quod cernimus, nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cùm per vocem compunctionis elevata, novam speciem internæ refectionis obstupescit, ut divinâ dulcedine repleta, jure respondeat? *Quid est hoc?* quia dum ab infirma cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit, insolitè miratur.

S. ISID. HISPAL. *Sentent. Lib.* 2. *cap.* 6. Mira dispositio est distributionis, per quam hic justus ampliùs justificatur, impius sordidatur, malus ad bonum aliquando convertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis esse bonus, et non valet : vult alter esse malus, et non permittitur interire. Datur ei, qui vult, esse bonus : alius nec vult, nec datur ei ut sit bonus. Iste nascitur in errore et moritur : ille in bono, quo cœpit, usque in finem perdurat. Tandiu iste stat, quousque cadat : ille diu malè vivendo, in fine salvatur, respectusque convertitur.

Vult prodesse in bono justus, nec prævalet; vult nocere malus, et

valet. Iste vult Deo vacare, et seculo impeditur; Ille negotiis implicari cupit, nec perficit.

Dominatur malus bono, bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro justo. Et in hac tanta obscuritate, non valet homo divinam perscrutari dispositionem, et occultum prædestinationis perpendere ordinem.

CASSIOD. *Exposit. in Psal.* CXVII. *pag.* 394. Hominem bonum dicimus per Domini gratiam factum; nam ille solus propriè per se dicitur bonus, qui eos facit implere quod boni sunt. Sequitur, (*Ps.* CXVII. 1.) *Quoniam in seculum misericordia ejus.* Ipsius quoque boni quem dixerat expositio dilucidatur: quia non solùm præstat immeritis, sed in æternum misericordiæ suæ dona concedit.

Exposit. in Psal. CXLIV. *v.* 17. pag. 484. Ab ipso exspectemus munera pietatis. *Sanctus*, et pium significat, et patientem, et bonorum omnium largitorem: quoniam quidquid ab illo efficitur, virtutum laude completur. *Viæ* pertinent ad dispositiones, *operatio* ad effectum: sed hoc pro nostra imbecillitate dividitur. Cæterùm apud illum, hoc est velle quod facere, hoc disponere quod jubere.

V. BEDA *in Epist. ad Ephes. cap.* 2. *pag.* 571. *Gratiâ enim salvati estis per fidem: et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* (*Ephes.* II. 8.) Non quia bona opera ista piâ cogitatione frustrantur: cùm Deus reddet unicuique secundùm opera ejus: sitque *gloria, et honor, et pax omni operanti bonum* (*Rom.* II. 10.): sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia. Quoniam fides quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur nisi ipsa dilectio Dei *diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* V. 5.) Nec ipsa fides esset in nobis, nisi unicuique Deus partiretur mensuram fidei. Bonum est igitur homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat, *Fortitudinem meam ad te custodiam.* (*Ps.* LVIII. 10.) Quià ille qui putavit sine ipsius adjutorio se posse custodire quod dedit, profectus in longinqua, et vivens prodigè, cuncta consumpsit, et miserià duræ servitutis attritus, reversusque in seipsum dixit: *surgam et ibo ad patrem meum.* (*Luc.* XV. 18.) Quam cogitationem bonam quando haberet, nisi et ipsam illi in occulto Pater misericordissimus inspirasset? Quod intelligens minister ille novi Testamenti: *non quia idonei sumus*, inquit, *cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.)

Cùm dixisset: " *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur* (*Ephes.* II. 8. *et* 9.), vidit utique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis sola fides sufficiat, et rursùs posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sufficiant. Mox itaque addidit: " *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* (*Ibid.* 10) Quid est hoc, quòd cùm Dei gratiam commendans dixisset, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur*, cur hoc dixerit rationem reddens: *Ipsius enim*, inquit, *sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis?* Quomodo ergo *non ex operibus, ne fortè quis extollatur?* Sed audi et intellige non ex operibus dictum tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus Deus finxit, id est formavit et creavit, hoc enim ait: *Ipsius sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis*, non illa creatione quâ homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique jam homo erat (*Psalm.* L. 12.), *Cor mundum crea in me Deus:* et de qua dicit Apostolus: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Deo.* (2. *Cor.* V. 17. *et* 18.) Finginur ergo, id est formamur, creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed *præparavit Deus ut in illis ambulemus.*

REMIG. AUTISSIODOR. *Enarrat. in Ps.* XXXV. *pag.* 1112. *tom.* 16. *BB. PP. Lugd. Et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, (*Ps.* XXXV. 9.) id est voluptuoso potu spiritalis gratiæ potabis eos, qui venit ad eos quasi torrens, omnia obstacula terrenarum cogitationum amovens, et omne lutum terrenæ voluptatis diluens. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI. 12.): quia quemadmodum aliquis rapit aliquid per vim, ita fideles rapiunt regnum Dei, quia impelluntur à spiritu Dei quasi per vim. Reverà tu potabis eos torrente, *quoniam apud te*, non

apud aliuin *est fons vitæ* (*Ps.* XXXV. 10.), id est, Christus, per quem vita datur. *Et in* illo *lumine tuo* per quem illuminas oculos mentis *videbimus lumen* (*Id. Ibid.*), id est, te. *Qui videt me, videt et Patrem.* (*Joan.* XIV. 9.) Et ut te lumen videamus, id est, ut te intelligamus, non est hoc nostræ opis, sed tu *mitte quem missurus es* (*Exod.* IV. 13.), ut tandem perfruamur luce æternitatis tuæ. *Prætende misericordiam tuam scientibus te* (*Ps.* XXXV. 11.), id est, volentibus te scire. *Et justitiam tuam:* non suam, id est, fidem quâ justificas, præmitte *his qui recto sunt corde*, id est, illis qui omnem voluntatem suam ad tuam dirigunt. Et prætensâ misericordiâ tuâ custodi me, ne quod habeo ex misericordia amittam per superbiam. *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Ibid.* 12.), *ut me erigam* contra me mihi aliquid attribuendo. Unus pes est ille, non duo: ideò facilis ad dejectionem. *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, affectio prona ad lapsum. Pede superbiæ disceditur à te primò et postremò: quia principium omnis peccati, quo apostatatur à te Domino, superbia: et cùm de justitia quis quam possit sategerit, extrema perditio est gloriari in se non in Domino.

S. ANSELM. *lib.* Cur Deus Homo, *cap.* 9. Quod quis non habet à se sed à Deo; hoc non tam suum, quàm Dei dicere debet. Nullus verò homo à se habet veritatem quam docet, aut justam voluntatem; sed à Deo.

Cap. 10. Filius *obediens fuit usque ad mortem* (*Philip.* II. 8.); et didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Quemadmodum enim secundùm humanitatem non habebat à se voluntatem justè vivendi, sed à Patre: ita et illam voluntatem, quâ, ut tantum bonum faceret, mori voluit, non potuit habere *nisi à Patre luminum à quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum:* (*Jacob.* I. 17.) et sicut Pater trahere, dando voluntatem dicitur; ita non incongruè fit, si impellere asseritur. Sicut enim dicit Filius de Patre: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum* (*Joan.* XI. 44.): ita dicere potuit, nisi impulerit eum. Similiter quoque proferre potuit, Nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi Pater impulerit, aut traxerit eum. Quoniam namque voluntate quisque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur: non inconvenienter trahere aut impellere dicitur Deus, cùm talem dat voluntatem: in quo tractu, vel impulsu nulla intelligitur violentiæ necessitas: sed acceptæ bonæ voluntatis spontanea et amata tenacitas.

De concept. Virg. et orig. Pec. cap. 9. *pag.* 101. Deus propriâ voluntate et potestate fecit virum de limo unum, et alterum de sola femina, et feminam de solo viro: licèt enim nihil fiat, nisi voluntate Dei faciente aut permittente; quædam tamen sola potestas et voluntas ejus facit; quædam, creata natura: quædam, voluntas creaturæ. Sed sicut creata natura nihil per se facere potest, nisi quod à voluntate Dei accepit: ita voluntas creaturæ nequit per se quidquam operari, nisi quod natura adjuvat aut concedit. Sola Dei voluntas fecit in principio rerum naturas, dans quibusdam competentes singulis voluntates; ut naturæ et voluntates secundùm ordinem sibi traditum, suum opus in rerum cursu persolverent: et adhuc multa facit, cùm de eisdem naturis et voluntatibus operatur, quod illæ secundùm suum usum et propositum nequaquam facerent. Solius quippè voluntatis Dei est opus, cùm mare siccum iter intra se populo præbet; cùm mortui resurgunt; cùm aqua subitò in vinum convertitur; cùm et Spiritu sancto corda hominum ea quæ nec per se nec per aliam creaturam sciunt, docentur; cùm noxiæ voluntates à suo impetu, solâ gratiâ regente, ad hoc quod prodest convertuntur; cùm alia multa fiunt, quæ nec creatura, nec ejus voluntas per usitatum cursum suum operaretur.

S. ANSELM. *Homil.* 1. *exponens illa verba Ecclesiastici* XXIV. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis, *hæc ait:* Christus... Sanctos qui sunt membra ejus, velut palmites ex se gignit, et ex his in se manentibus fructum operis boni producit. Undè et ait illis (*Joan.* XV. 4.): *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Fructificat ergo in eis: quia quidquid illi benè agunt, ipse facit, et ex ejus radice surgit fructus operis illorum. Et fructificat *suavitatem odoris:* quia fructus operum, quæ facit in eis, suavis odor est bonæ opinionis, dum videntes hæc homines glorificant indè Patrem, qui est in cœlis. Et *flores* ejus sunt

fructus honoris et honestatis : quia opera , quæ in his proponendo inchoat, honorabiliter et honestè consummat ; honoremque per hæc et honestatem illis grandem præstat.

Meditat. 8. *Elevat. pœnitent. ad Patr. pag.* 215. Reminiscere miserationum tuarum , Domine , et misericordiarum tuarum , quæ à seculo sunt ; et conanti creaturæ tuæ ad te porrige dexteram. Adjuva infirmitatem conantis ad te : Trahe ipsum, qui scis ipsum non posse ad te venire , nisi tu Pater traxeris eum tuo amore et desiderio. Fac me servum tibi acceptabilem et placitum , qui scis me non posse aliter tibi placere. Da , obsecro, dona illa sancta , quibus solus tibi placeam ; qui das bona grata petentibus te.

Meditat. 18. *circa finem.* Non mihi , non diabolo , non mundo , non alicui rerum , non cuilibet hominum liceat in me tua dona subvertere : quia totum est fragile , quidquid tibi nititur obviare. Pone , quæso , magis magisque frenum tuum in maxillis meis (*Ezech.* XXXIX. 4.) , et trahe me post te tanquam mansuetum animal , in nullo tuis jussionibus recalcitrantem ; sed plano moderatoque incessu , te Dominum meum portantem, et voluntati tuæ in omnibus obtemperantem. Excita , Domine , torporem meum tuis stimulis , et fac me toto corde totaque virtute quærere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te , virtus salutis nostræ Deus , freno potentis gratiæ tuæ , et non sinas me propriâ voluntate in arbitrio proprio evagari.... Si quid... boni facio , aut fecero tuâ gratiâ largiente ; quo fine hoc faciam , quave districtione à te pensetur ignoro. Undè , *Deus terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV. 5.) , tuam sanctam et immensam supplex et multùm tremens deprecor clementiam , ut qui * *neminem vis perire , sed omnes salvos facere* (2. *Petr.* III. 9.) , non me derelinquas in manu consilii mei , neque in judicio arbitrii mei , neque in potestate aut tentatione dæmonum , neque in errante judicio aut noxio consilio hominum ; sed pro bonitate ac pietate tua , juxta tuam benignissimam , quæ in sui dispositione falli non potest , providentiam , dispone hic et ubique , nunc et semper , dies vitæ meæ in beneplacito tuo, et dirige per Spiritum sanctum tuum cor , linguam , actusque meos secundùm voluntatem tuam in tua misericordia ; ut te rectore , te duce illa semper studeam cogitare , loqui et agere quæ tibi placent per gratiam tuam in veritate ; et me tandem ad vitam perducant æternam , te miserante et donante , qui es largitor omnium bonorum.

PETRI Abbat. CELLENSIS *Epist. lib.* 2. *Ep.* 10. *paulò post init.* O gratia gratiosa ! sine te omnia mala , tecum omnia bona. Sine te , inquam , inanis universa creatura , et à te repletur Angelica cum humana creatura. Tu reformas deformia , lapsa reparas , confirmas debilia , clausa reseras , congregas dispersa , et obscura illuminas. Tuum est quod sum , quod vivo, quod sapio , etc.

Lib. 4. *Epist.* 12. *initio.* Granuli nostri fructum centesimum spero me recepturum , partim roris superni fecundâ infusione , partim agri quem benedixit Dominus lætâ fecunditate. Provenit namque numerosa proles benedictionum ex accessu dati optimi , sive doni perfecti , cum libero arbitrio boni hominis. Ubi enim gratia saliendo cum impetu æternæ emanationis influit , quid anima nisi vitam refluit? Nunquam sterile , nunquam inane est conjugium gratiæ et animæ. Jesus qui salvat populum suum à peccatis eorum , fructus benedictus est hujus copulæ. Ubera non habet arentia , non vulvam sine liberis , anima cui adjungitur gratia. Parturit anima quidem , sed non gemens : generat gratia , sed non corrumpens. Suscipit semen anima cum delectatione , sed non delicto ; parit fetum de spiritu gratiæ , sed cum salute.

GILLEBERT. Abbat. *in Cant. Serm.* 43. *n.* 3. *Aperi mihi , soror mea.* (*Cant.* V. 2.) Quid est Jesu bone , quod rogas aperiri ? Tu ipse habes clavem David (*Apoc.* III. 7.) aperis , et nemo claudit : apparitio tua apertio est. Appare , et nemo tibi claudit : cui ex minima parte majestatis tuæ coëperit gloria scintillare , animum ad se subitò convertit et rapit. Non sinit sibi claudi , dum ipsa coruscat. Cor quod penetras , aperis tibi : apertum tenes, dum te non subtrahis. Et fortè utraque necessaria est , et cognatæ sunt sibi apertio sponsi et apertio sponsæ. Apertio sponsi apparitio ejus est : apertio sponsæ apparatus ejus est et coaptatio ad tam dulces usus. *Caput*

meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. (*Cant.* v. 2.) *Caput plenum est*, et eo madent qui adhærent illi. Delectabilis est Deus in se, et delectabilis in sanctis suis (*Ps.* LXVII. 36.), qui de ipso per gratiam oriuntur, et ordinatione suâ quasi quidam distincti cinciunni perseverant in eo.

S. BERN. Abbat. *in Cant. serm.* 21. *n.* 4. *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* (*Cant.* I. 3.) Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui; nec valemus à facie frigoris hujus currere modò, sicut heri et nudiustertiùs. Curremus autem postea, cùm *reddideris lætitiam salutaris tui* (*Ps.* L. 14.), cùm redierit melior temperies gratiæ, cùm sol justitiæ iterùm incaluerit, et pertransierit tentationis nubes... Nunc verò interim *trahe me post te*, videsne illum qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in uno statu, nec eadem semper facilitate proficere, et quòd *non sit in homine via ejus* (*Jerem.* X. 23.); sed quemadmodum ei spiritus moderator, prout vult, dispensat, nunc segniùs, nunc alacriùs *quæ retrò sunt oblivisci, et ad anteriora sese extendere* (*Phil.* III. 13.)? Puto quod hoc ipsum, si attenditis, vestra vobis experientia intùs respondet quod ego foris loquor.

N. 5. Ergo cùm te torpore, acedià, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere aut desistere à studio spirituali: sed juvantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuò suscitante gratiâ factus promptior alacriorque, curras, et dicas: *viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* (*Ps.* CXVIII. 32.) Sic autem, quandiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis: ne subitò, cum fortè retraxerit manum, et subtraxerit donum, tu animo concidas, et tristior quàm oportet fias. Denique ne dixeris in abundantia tua, *non movebor in æternum* (*Ps.* XXXIX. 7.), ne etiam illud quod sequitur, dicere cum gemitu quidem cogaris: *avertisti faciem tuam à me, et factus sum conturbatus.* (*Ibid.* 8.) Curabis potiùs, si sapis, pro consilio Sapientis, *in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum.* (*Eccli.* XI. 27.)

N. 2. *Trahe me post te:* quia satiùs mihi est ut me trahas, ut scilicet vim qualemcunque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore malè securam derelinquas: Trahe quodam modo invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè et cum omni alacritate curremus.

GUERR. Abbat. *in fest. Pentec. serm.* 1. *n.* 1. Vide enim quantâ largitate toto orbe gratia Spiritûs effusa sit, non solùm justis confirmandis, sed et peccatoribus justificandis: quomodo ubique gentium, Spiritu creante novum genus hominum, renovata sit facies terræ: immò quanta quotidie mutatio fiat per dexteram Excelsi, ut repentè perditissimi hominum publicani et meretrices, justos quamplurimos præcedant in regno Dei, et novissimi fiant primi. Prorsùs (*Rom.* V. 15. *et* 20.) *non sicut delictum, ita et donum; quia ubi abundavit delictum, ibi superabundans gratia* non solùm donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita: et sublimiùs restituit lapsos redemptio, quàm constituerat prima creatio. Sanè in his omnibus quantò mirabilior Dei gratia prædicatur, tantò damnabilior hominis duritia convincitur, si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non servet. Cui enim non offertur? super quem non effulget lumen illius? Quis *se abscondit à calore ejus* (*Ps.* XVIII. 7.)? Neque enim derelinquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, et fovens calore bonitatis: cùm et lux vera *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I. 9.), et *Deus faciat oriri solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos.* (*Matth.* V. 45.) Sed væ illis qui rebelles sunt lumini, et resistunt Spiritui sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt: et sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate et beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.

N. 4. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat et bibat.* (*Joan.* VII. 37.) O affluens liberalitas Dei, ò indeficiens largitas divinæ bonitatis! Spiritum, cujus hodie primitias dedit Apostolis, offert universis. Thesaurum suum, fontem

aquæ vivæ, aperit tam hominibus quàm jumentis; tanquam et ipse omnibus sapientibus et insipientibus debitor sit. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas.* (*Isai.* LV. 1.) Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantùm sitire quis noverit, venire velit. Gratia quippè non admittit fastidientes; sed sicut *esurientes implet bonis*, sic *divites dimittit inanes.* (*Luc.* I. 53.)

PHILIPP. Abb. BONÆ SPEI. *in Cant. cant. lib.* 1. *cap.* 13. *Trahe me: post te curremus in odore unguentorum tuorum.* (*Cant.* I. 3.) Cùm ad tantam (*Virgo Maria de qua Cant. cant. interpretatur*) excellentiam evehatur, ut dono gratiæ ad sponsi osculum provehatur, ex hoc quidem lætitiam et spiritalem fiduciam sibi sumit, de suis tamen viribus quippiam non præsumit. Sicut enim velle bonum, suo merito non concepit, sic illud perficere, nisi ab alio, non accepit: et à quo totum habet quidquid utile et expetibile sibi novit, ab ipso trahi postulat post ipsum, cujus obsequio se devovit. Non est quippè, nec intendit sic esse agilis, ut præcurrat, ad hoc niteus solummodò, et hoc sibi sufficere judicans, ut postcurrat: ad quod ipsum suo ipsius judicio non prævalet nisi tracta, nisi fasce infirmitatis propriæ non retracta; nisi in ea quæ antè sunt suavi spiritu gratiæ sit impacta, et ad ea quæ retrò flante nequam spiritu non redacta. Ab ipso igitur post ipsum trahi postulat non invita, sed carnis adhuc corruptibilis compede præpedita: cujus etsi fortitudo jam fortè prompto in spiritu satis firma, caro tamen naturali quadam gravedine aliquantulum est infirma... Nonnullos enim voluntas promptior ad fortiora provocat et attollit, sed eosdem infirmitas carnalis revocat et emollit... Cujusmodi miseros quos miseria nexu retrahit molliore, quid nisi necesse est trahi et altrahi spiritu fortiore; ut pressa et oppressa mollitie nequiter retrahentis, tandem prævaleat manus miserans altrahentis? *Ideò*, inquit, *attraxi te miserans* (*Jer.* XXXI. 3.) Est et ille tractus non quo jam caro cogitur obedire: sed qui potius invenitur ipsum spiritum delinire: tractus, inquam, longè suavior internæ cujusdam voluptatis, cùm spiritus delectatur gustu et amore gustatæ veritatis. Cujus loco sponsa mater grato desiderio vult teneri, eoque ad ea quæ spiritui sapiant, suaviter promoveri; et ab eorum suavitate nullis temporalium inquietationibus absterreri, sed tota à serena facie ejus quem diligit, absorberi. Cujusmodi facies si amanti vel ad modicum ostendatur, si ostensæ recto judicio defecatior oculus intendatur; ostendens et intendens, tantæ dilectionis vinculo colligitur, ut diligens ad dilectum nexu indissolubili pertrahatur. Trahatur, inquam, non violentiâ, non molestiâ, non timore, non tracti vel trahentis odio, sed amore, tractu illo, quo alumnus trahitur post nutricem, quo vel patrem filius, vel filia sequitur genitricem, imò tractu quo diligens in dilectum, eo gratiùs, quo suaviùs defetiscit, dum obtinere desiderat, et desiderare insatiabiliter concupiscit. De quo per Osee: *Trahan*, inquit, *eos in vinculis charitatis.* (*Osee* XI. 4.) Et tractus respondet: *adhæsit anima mea post te.* (*Ps.* LXII. 9.) Sic nostra virgo trahi optat et postulat post dilectum, ut scilicet diligendi et sequendi ille suâ gratiâ det effectum: et affectuoso amore post sponsum sponsa, mater post filium incandescat, et non carni caro, sed Deo anima fortiùs adhærescat. Sicut enim gravari se cujusdam mortis recolit detrimento, cujus olim adhæserat infelix anima pavimento, sic ista, quia post osculum sponsi non diligit nisi vitam, post ipsum per quem vivat trahi se desiderat non invitam, sed affectu alacrem, ferventem spiritu, meritis expeditam. Et quoniam sic tracta, sic adjuta non expedit ut moretur, nimirùm trahentem claudo ista vestigio non sequetur, sed prompto gradu, passu agili, pede concito cursitabit, et ad eum cui suspirat, expedito itinere festinabit.

Versus finem. Quanta illorum (unguentorum, id est, gratiarum sponsi) plenitudo reficit jam præsentes, quorum odor foris manans in tantum efficit haurientes, ut pedum basibus solidatis non solùm venientes, sed gravi moræ odio faciat et currentes? Quis nobis procul positis sentire donet vel ad modicum hunc odorem, quis pedibus infirmatis, quis debilitatis genibus gressum tribuat fortiorem: ut misereute gratiâ quandoque inveniamur etiam nos currentes, vel saltem pedetentim à longè sequamur adolescentulas præcurrentes?

Lib. 5. *cap.* 9. Voce suâ monitam hærere me diutiùs non permittit, sed

clausuram dilectus perforans, per foramen tenue manum mittit : clausæ menti subtilem instar foraminis aperit intellectum, quo aperto inserit quod mihi utile noverat ad profectum. Manus sponsi illa ejus gratia non incongruè nominatur, quæ intellectum aperit, aperto efficaciter operatur : quæ aperto intellectui infundit subtiliùs et inspirat, quo quis modo vel ordine ad placendum sponso tendit perfectiùs et adspirat... Bona manus gratiæ, quæ validè perforat subobscura, dans lucem intellectui ut perspicaciùs videat profutura : ad subtilem cujus tactum si quid durum fuerat, emollescit, et quod molle redditur, tremore ad obedientiam invalescit... Felix igitur virgo quæ manu missâ tangitur operantis, cujus cor molle tremit tactum vel efficaciam imperantis.

Anbr. Ansbër. *in Apocalyps. lib.* 10. *pag.* 655. *Et qui sitit, veniat : et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* (*Apoc.* xxii. 17.) Quomodo qui vult, beatæ potationis aquam accipit, si cuilibet gratis tantummodò datur? Et certè Apostolus dicit, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* ix. 16.) Quomodo qui vult accipiat, si gratis accipit, nisi quia in utrisque Dei gratia commendatur, quæ et ex nolente quolibet volentem efficit, et tamen jam volentem ad hoc quod desiderat, gratuitè perducit? Ac si ejusdem gratiæ largitor dicat : qui gratuitè inspiratus, æterna desiderare cœpit, gratuitè etiam ad ea sese pertingere posse confidat. Non enim alius nisi qui vult, aquam vitæ gratis accipit; quia nemo ad æternam vitam gratis perducitur, nisi qui priùs velle cœperit gratiâ præventus. Hinc alibi per egregium Prædicatorem dicitur : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* ii. 13.) Huic autem suæ sententiæ quasi contrarius esse videtur idem Apostolus, cùm alio in loco dicit : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* (*Rom.* vii. 18.) Sed sciendum est nobis, quia in eo sibi velle adjacere dicit, quo se hoc ipsum velle divinitùs accepisse cognovit. Quod ipse quoque comprobans, ait : *Quid habes quod non accepisti?* (1. *Cor.* iv. 7.) subaudis, per omnia *nihil.* Dicatur itaque : *Qui sitit, veniat*, ac si diceretur : Qui æternas delicias præveniente se gratiâ desiderare cœpit, passibus amoris ad eas tendat. *Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis :* subaudis, Qui ex nolente volens effectus est, nullis præcedentibus bonorum actuum meritis, sed gratuitâ Dei voluntate, ex invisibili fonte ubertim hauriat aquam æternæ delectationis.

S. Thom. 1. *part. quæst.* 19. *art.* 6. Sed contrà est, quod dicitur in Psal. cxiii. 3. *Omnia quæcunque voluit Deus fecit.*

Conclusio. *Cùm divina voluntas sit universalissima omnium causa, ipsam semper impleri oportet.*

Respondeo dicendum quòd necesse est voluntatem Dei semper impleri. Cùm igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quòd divina voluntas suum effectum non consequatur : Undè quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium : sicut peccator, qui quantum est in se, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. Ad primum ergo dicendum quòd illud verbum Apostoli, quòd *Deus vult omnes homines salvos fieri, etc.* (1. *Tim.* ii. 4.) potest tripliciter intelligi : uno modo, ut sit accommoda distributio, secundùm hunc sensum ; *Deus vult salvos fieri omnes homines qui salvantur ; non quia nullus homo sit quem salvum fieri non velit ; sed quia nullus salvus sit quem non velit salvum fieri*, ut dicit Aug. Secundò potest intelligi, ut fiat distributio pro *generibus singulorum*, et non pro *singulis generum :* secundùm hunc sensum, *Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri ; mares et feminas, Judæos et Gentiles ; parvos et magnos ;* non tamen omnes de singulis statibus. Tertiò secundùm Damasc. intelligitur de voluntate *antecedente*, non de voluntate *consequente :* Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum considerandum est quòd unumquodque secundùm quòd bonum est, sic est volitum à Deo : aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundùm quòd absolutè consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur (quæ est consequens consideratio ejus) è contrario se habet : sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est

malum, secundùm absolutam considerationem : sed si addatur circa aliquem hominem, quòd sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere : undè potest dici quòd judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere; sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari; sed consequenter vult quosdam damnari, secundùm exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundùm quid : Quia voluntas comparatur ad res secundùm quòd in seipsis sunt : In seipsis autem sunt in particulari : undè simpliciter volumus aliquid, secundùm quòd volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle : undè potest dici quòd judex justus simpliciter vult homicidam suspendi; sed secundùm quid vellet eum vivere; scilicet in quantum est homo : undè magis potest dici velleitas, quàm absoluta voluntas : Et sic patet quòd quidquid Deus simpliciter vult, fit : licet illud quod antecedenter vult, non fiat.

Art. 8. *in corp.* Respondeo dicendum quòd divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus. Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis; quia ea quæ producit per causas necessarias, sunt necessaria; ea verò quæ producit per causas contingentes, sunt contingentia : sed hoc non videtur sufficienter dictum, propter duo. Primò quidem, quia effectus alicujus primæ causæ est contingens propter causam secundam, ex eo quòd impeditur effectus causæ primæ per defectum causæ secundæ; sicut virtus solis per defectum plantæ impeditur : Nullus autem defectus causæ secundæ impedire potest, quin voluntas Dei effectum suum producat. Secundò, quia si distinctio contingentium à necessariis referatur solùm in causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem et voluntatem divinam : Quod est inconveniens : Et ideò, meliùs dicendum est quòd hoc contingit propter efficaciam divinæ voluntatis. Cùm enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantùm secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi vel essendi : Ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit quòd filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cùm igitur voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter; ut sit ordo in rebus, ad complementum universi : Et ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.

Quæst. 105 *artic.* 5. Sed contrà est, quod dicitur (Isaï. XXVI. 12.) *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.*

Conclusio. *Deus non sic in omnibus operatur agentibus, ut et ipsa non operentur, sed operatur in quolibet finaliter, effectivè, et formaliter, ut tamen et ipsa etiam agant.*

Respondeo dicendum quòd Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt, quòd nulla virtus creata aliquid operaretur in rebus, sed solus Deus immediatè omnia operaretur : Putà quòd ignis non calefaceret, sed Deus in igne : Et similiter de omnibus aliis. Hoc autem est impossibile : Primò quidem, quia sic subtraheretur ordo causæ et causati à rebus creatis : Quod pertinet ad impotentiam creantis : Ex virtute enim agentis est quòd suo effectui dat virtutem agendi. Secundò, quia virtutes operativæ, quæ in rebus inveniuntur, frustrà essent rebus attributæ, si per eas nihil operarentur : Quinimò omnes res creatæ viderentur quodammodo esse frustrà, si propriâ operatione destituerentur : cùm omnes res sint propter suam operationem : semper enim imperfectum est propter perfectius. Sicut igitur materia est propter formam, ita forma, quæ est actus secundus; et sic operatio est finis rei creatæ. Sic igitur intelligendum est Deum operari in rebus, quòd tamen ipsæ res propriam habeant

operationem. Ad cujus evidentiam considerandum est quòd cùm sint causarum quatuor genera, materia non est principium actionis, sed se habet ut subjectum recipiens actionis effectum: Finis verò et agens et forma se habent ut actionis principium, sed ordine quodam: Nam primum quidem principium actionis est finis, qui movet agentem: Secundò verò agens: Tertiò autem, forma ejus quod ab agente applicatur ad agendum (quamvis et ipsum agens per formam suam agat), ut patet in artificialibus: artifex enim movetur ad agendum à fine, qui est ipsum operatum, putà arca vel lectus; et applicat ad actionem securim, quæ incidit per suum acumen. Sic igitur secundùm hæc tria Deus in quolibet operatur. Primò quidem, secundùm rationem finis: cùm enim omnis operatio sit propter aliquod bonum (verum vel apparens) nihil autem est vel apparet bonum, nisi secundùm quòd participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus; sequitur quòd ipse Deus sit cujuslibet operationis causa, ut finis: secundò considerandum est quòd cùm sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis: nam primum agens movet secundum ad agendum: Et secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei: Et ita ipse est causa omnium actionum agentium. Tertiò considerandum est quòd Deus non solùm movet res ad operandum, quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit; sed etiam dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse. Unde, non solùm est causa actionum, in quantum dat formam quæ est principium actionis (sicut generans dicitur esse causa motûs gravium et levium), sed etiam sicut conservans formas et virtutes rerum: prout sol dicitur causa manifestationis colorum in quantum dat et conservat lumen quo manifestantur colores. Et quia forma rei est intra rem, et tantò magis, quantò consideratur ut prior et universalior; et ipse Deus est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus; sequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur.

Id. 1. 2. *Quæst.* 10. *art.* 4. Sed contrà est, quod dicitur (Eccli. XV. 14.) *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui:* Non ergo ex necessitate movet voluntatem ejus.

Conclusio. *Cùm voluntas sit activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter ad multa se habens, non necessariò à Deo movetur, quia cuncta movet secundùm propriæ naturæ dispositionem.*

Respondeo dicendum quod sicut Dionys. dicit 4. cap. de div. nom. ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare; undè omnia movet secundùm eorum conditionem; ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter: Quia igitur voluntas est actuum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat; sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.

Ad primum ergo, dicendum quòd voluntas divina non solùm se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius: Et ideò magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur (quod suæ naturæ non competit), quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ.

Ad secundum, dicendum quòd naturale est unicuique quod Deus operatur in ipso, ut sit ei naturale; sic enim unicuique convenit aliquid, secundùm quod Deus vult quòd ei conveniat: Non autem vult quòd quidquid operatur in rebus, sit naturale; putà quòd mortui resurgant; hoc vult unicuique esse naturale quòd potestati divinæ subdatur.

Ad tertium, dicendum quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quòd voluntas ad illud non moveatur; Non tamen est impossibile simpliciter: Undè non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.

Quæst. 109. *art.* 8. *vide infrà* §. 3. *litt.* (A)

Joan. Gerson. *Serm. de verbis Dom. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis...* (*Matth.* XI. 28.) Vox ista est vocantis, invitantis, suadentis,

hortantis et rogantis, et hoc totum pro salute nostra. Cùm enim bonorum nostrorum non egeat, vult tamen suam nobis demonstrare charitatem et beatitudinem communicare. Inde est quòd nos vocat ad regnum, invitat ad convivium, quod electis omnibus paratum est ab origine mundi. Vocat elongatos, invitat jejunos, suadet volentibus, jubet nolentibus, hortatur lassos, cogit invitos. Omnibus ergo in commune dicit: *Venite ad me, etc.* O quam stupenda pietas, quàm mira Dei dignatio, quem rogare debuimus ut nos recipere dignaretur, ab ipso rogamur ut ad eum venire dignemur. Qua in re quid aliud quàm primam illam gratiam quam nullus hominum promereri potest, commendavit? Primam gratiam dico quæ perfidos et non credentes reducit ad fidem, perversos et malè viventes convertit ad religionem, pertæsos et negligentes accendit ad devotionem. Ipsa est gratuitum beneficium Dei profluens ex illa ineffabili benignitate Domini Jesu, et ex intimis visceribus charitatis ejus. Ipsa est cui nulla scelera horrida, nulla peccata magna, nulla consuetudinum vincula dura, nulla difficultatum claustra invia sunt. Ipsa nos prævenit ut bonum velimus, ipsa subsequitur ut possimus: ipsa stantes roborat, ne cadant; ipsa currentes expedit, ut alacriùs currant; ipsa jacentes compellit, ut surgant *de lacu miseriæ et de luto fœcis* (*Ps.* XXXIX. 31.); ipsa quatridauum mortuum non solùm resuscitat, sed etiam ejus sorores, id est, animæ affectus concitat ut pro fratre resuscitando intercedant. Ipsam nulla voluntas, nullum meritum, devotio nulla præcedit, sed sponte venit, indebita venit, ac per hoc totum hominem jure vendicat sibi. Oportet namque ut accepto Dei beneficio tam gratuito et tam magno, ut totum hominem innovaverit, et quasi alterando ipsum mutaverit ex eo quod erat in id quod antè non erat, hoc est de injusto in justum, de non sancto in sanctum, de peccatore in innocentem, totum, et ex toto se homo ad gratias rependendas convertat, et nequaquam gratiæ Dei ingratus permaneat. Gratum autem veraciter existere est ad bona agenda se incessanter exercere. Minus enim gratus esse convincitur quisquis mandatis ejus qui gratiam dedit, adhuc reluctatur. Sed si omnis nostra gratiarum actio, Dei est de datis beneficiis laudatio, de dandis adhuc sive in hac vita sive in futura, quæ mihi erit spes et fiducia? Quibus denique meritis conquiram de malo custodiam, in bono constantiam, finem bonum et vitam æternam. Neque enim dabuntur immerito, sed unde jam mereri ea possim non video. Sed scio quid faciam. Accepto secundum Prophetam spiritu gratiæ et precum (*Zach.* XII. 10.): gratiæ, ut bona inchoem: precum, ut assiduis Deo precibus inchoata commendem, exinde jam ordiar facere mihi amicos precibus indefessis, qui me recipiant in æterna tabernacula. Quid enim sive alienis sive propriis meritis adipiscar, dummodo adipiscar regnum cœlorum?

GUILL. ESTIUS *in lib.* 2. *Sentent. dist.* 28. §. 2. Gratiam efficacem constituunt in gratuita ac benigna Dei operatione, quâ propriè in libero hominis arbitrio operatur ipsam conversionem, seu alium quemcunque actum veræ pietatis; scilicet, ipsum voluntatis motum efficienter attingendo, hoc est, voluntatem ipsam applicando et determinando ad volendum et eligendum. Quæ operatio physica vocatur, id est, proprie dicta, qualis nimirùm agnoscitur in Deo ad alios quoscunque effectus ab ipso procedentes. Quoniam verò fieri nequit, ut Deus voluntatem determinet, et non ipsa voluntas determinetur, agatque id ad quod tanquam secunda causa applicatur à Deo, sequitur fieri non posse, ut gratia ista non habeat suum effectum. Unde hac ratione juxta quartam hanc sententiam efficax dicitur gratia Dei, nimirùm efficacitate physicâ, et propriissimè dicta.

Ad Paginam 3. *lin.* 28.

(L) 2. REG. XXII. 19. Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum.

PSAL. XX. 4. Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

XXII. 6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

JEREM. XXXI. 18. Converte me et convertar. *Similia habes in Ps. etc.*

PHILIPP. I. 6. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.

ORAT. ECCLES. Actiones nostras adspirando prævені et adjuvando prosequere.

ALIA ORAT. ECCLES. Vota nostra quæ præveniendo adspiras, etiam adjuvando prosequere.

S. CYRILLUS ALEXANDR. *lib.* 2. *cap.* 4. *super cap.* VI. *v.* 5. *Joan. pag.* 276. *tom.* 4. *Non occidet Dominus fame animam justam :* seipsum enim apponet tanquam panem de cœlo, et eorum à quibus timetur animas nutriet. Cuncta verò ipsis præparat, quæ ad vitam sufficiunt, quemadmodum in Psalmis dicitur : *Parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio tua.* (*Ps.* LXIV. 10.) Et ipse Christus ait alicubi : *amen, amen dico vobis, qui venit ad me, non esuriet.* (*Joan.* VI. 35.) Dat enim ut jam diximus, cœlestes nimirum escas, et multiformem illam Spiritûs gratiam affatim distribuit. Accedentibus porrò ad se cibos præparat, nec exspectat dum petant.

JOAN. HIEROSOL. *Comment. in Matth. cap.* I. *pag.* 113. Nisi enim Deus priùs habuit, aut Judæum, aut Gentilem, impossibile est ut adducat eum ad fidem suam : ut putà Cornelium adduxit ad fidem suam per ministerium Petri : sed antè habuit animam ejus, operans in ea orationes assiduas, et eleemosynas multas, sicut Actus Apostolorum testantur. (*Act.* X.) Centurionem vocavit ad fidem suam, sed priùs cùm adhuc esset sub diabolo habuit animam ejus, operans in ea dilectionem gentis Dei, et ædificans Synagogas.

Homil. 7. *in Marcum, pag.* 462. Ipse venit ad lectulum, *et accedens* ultrò accessit, ut ultrò sanaret. *Et accedens*, vide quid dicat : Debueras quidem mihi venienti occurrere, debueras venire ad ostium. et suscipere me, ut sanitas tua non tantùm misericordiæ meæ esset, sed et voluntatis tuæ. Sed quoniam magnitudine febrium opprimeris, levare te non potes ; ipse venio. *Et accedens elevavit eam.* (*Marc.* I. 31.) Quia surgere ipsa non poterat, *levatur* à Domino.

PHILON. Carpath. Episc. *in Cant. cant. vide infrà* §. 3. *hujusce Capitis. Append. Concil.. Florent.* GEORG. SCHOL. *Orat.* 3. *pag.* 659. *tom.* 13. *Concil. edit. Labb.* Non omnibus hominibus dat omnia Deus ? Sed hunc quidem hoc ornat munere, alium verò alio decorat ; et huic quidem largitus est unum, illi autem plura etiam addit ; et sicuti dona ipsa inter se differunt, ita unumquodque plus minusve perfectionis ac pietatis habere dignoscitur. Causa verò, cur illa differant, aut plura sint, est quidem gratia donantis secundum prædefinitionem et præcognitionem quamdam ineffabilem ; est verò etiam accipientium cujusque ad hæc dispositio : ut neque bonorum quidquam juxta Pauli sententiam, tanquam à nobis provenisse putantes mentiamur ; et nostrarum actionum his quidem pœnæ, illis verò præmia reddantur. Quo porrò modo bonorum largitor eos tractet, qui in accepta dona ingrati sunt, alterius fuerit negotii considerare. Illis autem qui dono benè utuntur, idque unum à seipsis conferre volunt, non modò benefactor, sed et custos fit rei datæ : atque ad scopum uniuscujusque ducem se præbet, difficultatesque tollit, efficitque ut progressus in eo faciant, et secunda donat gratia cùm id etiam libitum fuerit ; et felicitatem postremo adjicit præmium non tam eorum quæ ipsi gesserunt, quàm quibus ipse, ut per eos gererentur, auctor fuit : ut sit velle quidem à nobis, indè autem perficere ; et currere quidem nostrum, assequi verò quod optamus, solius divinæ clementiæ : imò vero aberrare quidem ab honesto, sit nostri tantum consilii ; prope verò bonum accedere, et illi quodam modo adhærescere, à divina proveniat gratia.

S. AUG. *Enarr. in Psal.* VII. *n.* 10. Ibi enim infirmus ut liberetur, hìc jam sanus ne corrumpatur, orat. Juxta illud ibi dicitur, *salvum me fac propter misericordiam tuam* (*Ps.* VI. 5.) : juxta istud hìc dicitur, *judica me Domine secundùm justitiam meam.* (*Ps.* VII. 9.) Ibi enim ut à morbo evadat remedium ; hìc autem ne in morbum recidat, tuitionem petit. Juxta illud dicitur, *salvum me fac Domine secundùm misericordiam tuam :* juxta hoc dicitur *justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.* (*Ibid.* 11.) Et illa enim et ista salvos facit : sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsa salute conservat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator qui adhuc justificari desiderat, *credens in eum qui justificat impium* (*Rom.* IV. 5.) : hìc autem justum auxilium est, quia jam justo tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, qui dixit, *Infirmus sum, Salvum me fac Domine propter misericordiam*

tuam : et dicat hîc justus, qui dixit, *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Ps.* VII. 5.) *justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.* Si enim medicinam exhibet, quâ sanemur infirmi, quantò magis eam quâ custodiamur sani? Quoniam *si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quantò magis nunc justificati, salvi erimus ab ira per ipsum.* (*Rom.* V. 9.)

Enarr. in Psal. XVII. *n.* 20. * *Eruit me, quoniam voluit me.* (*Ps.* XVII. 20.) Antequam illum ego vellem, eruit me ab inimicis meis potentissimis, qui mihi invidebant jam volenti cum; et ab his qui oderunt me, quia volo eum.

N. 21. *Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam.* (*Ibid.* 21.) Et retribuet mihi Dominus secundùm justitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit misericordiam, antequam haberem bonam voluntatem. *Et secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.* (*Id. Ibid.*) Et secundùm puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit mihi ut benè facerem, educendo me in latitudinem fidei.

In Psal. XVIII. *Enarr.* 2. *n.* 2. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius.* (*Rom.* III. 23.) Quia gratis, ideo gratia. Non est enim gratia, si non gratuita. Quia nihil boni antè feceramus, undè talia dona mererernur: magis quia non gratis inferretur supplicium, ideò gratis præstitum est beneficium. Nihil præcesserat in meritis nostris, nisi undè damnari deberemus. Ille autem non propter nostram justitiam, sed propter suam misericordiam *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* (*Tit.* III, 5.) Hæc est, inquam, gloria Dei; hanc cœli enarraverunt. Hæc est, inquam, gloria Dei, non tua. Nihil enim boni fecisti, et tamen tantum bonum accepisti. Si ergo pertines ad gloriam quam cœli enarraverunt, dic Domino Deo tuo, *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Prævenit enim te: utique prævenit, quia nihil in te boni invenit.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 27. *n.* 5. Denique iste adhuc petit. Os quidem aperuit, et attraxit spiritum; sed adhuc ad Patrem pulsat, et quærit, bibit, sed quantò suaviùs sensit, tantò ardentiùs adhuc sitit. Audi verba sitientis: *Respice*, inquit (*v.* 132.), *in me, et miserere meî secundùm judicium diligentium nomen tuum:* id est secundùm judicium quod in eos fecisti, qui diligunt nomen tuum; quoniam ut diligerent te, priùs dilexisti eos. Sic enim Joannes Apostolus ait, *nos diligimus*, inquit, *Deum.* (1. *Joan.* IV. 19.) Et velut causa quæreretur, quæ nos diligere fecit; adjunxit, *Quoniam ipse prior dilexit nos.*

In Joan. Evang. cap. 15. *Tractat.* 82. *n.* 1. Dicit Apostolus, *si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum.* (*Rom.* IV. 2.) Hæc est ad Deum gloria quâ glorificatur non homo, sed Deus, si non ex operibus, sed ex fide justificabitur, ut ex Deo illi sit quod etiam bene operatur: quoniam *palmes non potest ferre fructum à semetipso.* (*Joan.* XV. 4.) Si enim in hoc clarificatus est Deus Pater ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli: non hoc gloriæ nostræ tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus. Ejus est enim hæc gratia, et ideò in hoc non nostra, sed ejus est gloria. Undè et alibi cùm dixisset, *sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (*Matth.* V. 16.): ne à semetipsis putarent esse bona opera sua, mox addidit, *Et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* In hoc enim glorificatur Pater ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli. A quo efficiamur, nisi ab illo cujus misericordia prævenit nos? * *Ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* (*Ephes.* II. 10.)

N. 2. Undè autem diligeremus, nisi priùs diligeremur? Apertissimè hoc in Epistola sua idem iste Evangelista dixit, *nos diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* (1. *Joan.* IV. 19.)

N. 3. Quid est ergo, *Manete in dilectione mea* (*Joan* XV. 9.), nisi, Manete in gratia mea? Et quid est, *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* (*Ibid.* 10.), nisi, ex hoc scietis, quòd in dilectione mea quâ vos diligo, manebitis, si præcepta mea servabilis? Non ergo ut nos diligat, priùs ejus præcepta servamus: sed nisi nos diligat, præcepta ejus servare non possumus. Hæc est gratia quæ humilibus patet, superbos latet.

In Joann. Evangel. cap. 17. *Tractat.* 108. *n.* 2. Sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, fiuntque sanctiores; neque hoc sine adjutorio gratiæ Dei, sed illo eorum sanctificante provectum, qui sanctificavit incœptum. Undè et Apostolus dicit, *Qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu.* (*Philipp.* I. 6.)

Serm. 93. *in natal. Domin.* 10. *aliàs de diversis* 58. *n.* 2. Quis idoneus est velle et posse, nisi inspirando adjuvet ut possimus, qui vocando præstitit ut velimus? Quia ubique misericordia ejus prævenit nos, ut vocaremur qui nolebamus, et ut impetremus posse quod volumus.

Serm. 142. *aliàs* 54. *de iisdem verbis Evang. Joan.* 14. *cap.* 5. *n.* 5. Amatus es priùs, ut dignus fieres qui amareris.

Serm. 376. *aliàs de Tempore* 160. *Dominicâ in octavis Paschæ, cap.* 1. *n.* 1. Credentes obaudiamus, obaudientes speremus promissa, si facimus jussa: quia ut faciamus jussa, ipse adjuvat, à quo speramus promissa.

S. PROSPER. Lib. Epigram. *De promissione Dei.* Hoc promittit Deus, quod ipse facit. Non enim ipse promittit, et alius facit: quod jam non est promittere, sed prædicere. Idcò, non ex operibus, sed ex vocante: ne ipsorum sit, non Dei: et merces non imputetur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: atque ita gratia jam non sit gratia.

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc secura fides sperat, quod credit, amatque
Auctorem, qui quod spondet, id efficiet.
Nam, si quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed solùm humanum prævidet arbitrium:
Non hæc dona ejus, sed sunt prædicta vocanda,
Ceu quisquam ex proprio sit bonus absque Deo.
Quod quia non recipit pietas, veroque repugnat,
Gratia nos reparet, gratia justificet:
Quæ sic in cunctis implet sua dona vocatis,
Ut quorum dux est, fiat et ipsa comes.

S. FULGENT. *Epist. ad Probam, cap.* 24. Nec tamen Deum fuisses aliquatenùs dilectura, nisi fuisses gratuitâ sponsi dilectione prævenita. Dixi autem te prævenlam, non solùm dilectione, quâ ille te dilexit, sed etiam dilectione, quam tibi gratis, ut à te diligeretur, infudit. Totum ergo quidquid in te sanctæ dilectionis erga sponsum tuum habes, in te quidem habes, sed ex te non habes. Pauperem te accepit ditissimus sponsus, quidquid in te boni habes, non ex te, sed ex ipso habes: et quidquid nondum habes, tunc habebis, si sponsus dederit, qui omnia bona quæ habes, gratuitâ largitate jam dedit. Ipsi ergo de acceptis humiliter gratias age; ipsum de accipiendis humiliter posce. Sic enim divitem sponsum habes, ut nec egeat his quæ dedit, et abundet ad largiendum multò meliora quàm dedit.

CASSIAN. *de Protect. Dei collat.* 13. *cap.* 8. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël* (*Jerem.* III. 20.) ait Dominus, satis congruè, quoniam Jerusalem adulteræ comparaverat à suo conjuge discedente; amorem quoque ac perseverantiam benignitatis suæ viro qui à femina deseritur, comparavit. Pietas enim ac dilectio Dei, quæ circa humanum genus semper impenditur, eò quòd nullis ita vincatur injuriis, ut à cura nostræ salutis abscedat et quodammodo superata iniquitatibus nostris à principali suo proposito revocetur, magis propriè exprimi aliâ comparatione non potuit, quàm exemplo viri ardentissimo amore feminam diligentis, qui quantò magis negligi se ab ea senserit, tantò vehementioris circa eam zeli ardore flammatur. Adest igitur inseparabiliter nobis semper divina protectio, tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat jugi providentiâ. Quam expertus Propheta Domino apertissimè confitetur, dicens: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me...* (*Ps.* LVIII. 11.) Et non solùm sancta desideria benignus inspirat, sed etiam occasiones præstruit vitæ, et opportunitatem boni effectûs, ac salutaris viæ directionem demonstrat errantibus.

S. LEO. *Serm.* 25. *in Nativitate Domini* 6. *cap.* 4. Inexpugnabilem cum Deo pacem gratiæ ipsius serviendo firmamus: ut regi nostro non solùm

obedientiâ subjiciamur, sed etiam judicio copulemur. Quoniam si in eadem sententia sumus, si quod vult volumus, et quod improbat improbamus; ipse jam pro nobis omnia bella conficiet, ipse qui dedit velle, donabit et posse: ut simus cooperatores operum ejus, et propheticum illum cum fidei exsultatione dicamus: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo* (*Ps.* XXVI. 1.)?

Serm. 35. *in Epiph. solem.* 6. *cap.* 1. Cum cernimus homines mundanæ sapientiæ deditos... de profundo erroris sui educi, et ad agnitionem veri luminis advocari, divinæ procul dubio gratiæ splendor operatur; et quidquid in cordibus tenebrosis novæ lucis apparet, de ejusdem stellæ radiis micat: ut mentes quas suo fulgore contigerit, et miraculo moveat, et ad Deum adorandum præcunde perducat.

Serm. 65. *de Pass. Dom.* 16. *cap.* 6. *vide suprà hujusce Oper. Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 9. *litt.* (A)

Epist. 49. *Martino et Fausto Presbyt. cap.* 1. Bonorum operum et spiritalium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est: qui quorum incitat mentes, adjuvat actiones.

S. GREGOR. *Lib.* 1. *in* 1. *Reg. cap.* 2. *n.* 3. Quis enim aut temporalia despicere, aut amare cœlestia sine divina gratia possit? Necesse quippè est, ut hunc gratia divina præveniat: quatenùs Spiritûs sancti igne succensus, quantò ardentiùs summa diligit, tantò fortiùs ima contemnat.

N. 5. Ut intimâ luce fruamur, non est nostri conaminis, sed divinæ dignationis. Sæpe namque diuturno silentio, instantibus supplicationibus, crebris gemitibus, illam nobis internæ lucis gloriam aperiri flagitamus, et in ejus amœnitate recipi non meremur. Sæpe nil tale pro ejus desiderio agimus, sed subitò nos divina gratia prævenit, ab imo nostræ infirmitatis erigit, in superna rapit, insperantibusque nobis gloriam suæ lucis ostendit. Diebus ergo statutis ascendimus: quia in contemplationem cœlestium sublimari non possumus nostro conamine, sed divinâ dispositione.

Lib. 3. *in* 1. *Reg. cap.* 1. *n.* 10. Vocare etenim Dei, electorum suorum mentes adspiratione suæ gratiæ excitare est.

Cap. 5. *n.* 20. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Isai.* LX. 8. Quæ sunt autem tonitrua nubium, nisi illa ferventia et superna electorum desideria: quibus dum per divinam gratiam eorum mens succenditur, omne, quod maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea penitùs expellunt? Benè ergo dicitur, *Intonuit Dominus super Philistæos, et exterruit eos.* (1. *Reg.* VII. 10.) Nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit, quia etiam terrena omnia facit contemnere, eos etiam, qui ea eis appetere suggerunt, nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsaverant, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt... Nam priùs donum bonæ voluntatis à Domino accipimus, ut consilia malorum Spirituum postmodum confutare valeamus. Benè etiam Dominus super Philistæos intonare, et exterrere eos dicitur, filii autem Israel illos cædere perhibentur: quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. Ordo igitur cœlestis militiæ est, ut antè tonans fragore magno audiatur Deus, et post miles ad cædenda hostium agmina progrediatur: ut videlicet in se priùs dona gratiæ videat, deinde ad certaminis campum validiùs erumpat, et securus victoriæ proventum speret, qui eis, quibus coronetur, viribus ante congressionis tempora fultus est.

N. 22. Lapis in sacro eloquio Dominum, et redemptorem nostrum significat... Quia omne, quod à nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinæ gratiæ adscribitur: aptè ab eo lapis ille, qui in medio sistitur, lapis adjutorii vocatur. Ipse est namque lapis adjutorii, qui si nobis subvenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. De quo jam in medium positum dicitur: *usque huc auxiliatus est nobis Dominus* (*Ibid.* 12.): quia ejus præsidia electos suos usque ad æternæ retributionis tempora persequuntur.

Moral. lib. 9. *in cap.* 10. *beati Job, cap.* 53. *n.* 79. *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* (*Job.* X. 12.) Sed incassum nobis bona conditor tribuit, si non omne quod tribuit, ipse custodit. Sequitur: *Et visitatio tua custo-*

divit spiritum meum. Hæc autem quæ de exteriori homine diximus, etiam interiori quemadmodum possit congruere, libet ut breviter replicando monstremus.

N. 80. (*Ibid.* 9.) *Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me.* Sicut lutum quippe homo noster interior existit ; quia sancti Spiritûs gratia terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum sui conditoris erigatur. Humana namque cogitatio, quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim sancti Spiritûs, quasi irrigata terra viridescit. Sed sæpe dum perceptis superni doni virtutibus sine interruptione utimur, ad privatam fiduciam, usu continuæ prosperitatis elevamur. Undè fit plerumque, ut iisdem qui sublevaverat, parumper spiritus deserat, quatenùs ipsum sibi hominem ostendat. Quod sanctus vir protinùs exprimit, cùm subjungit : *Et in pulverem reduces me.* (*Id. Ibid.*) Quia enim per subtractionem Spiritûs, mens aliquantulùm in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur : ut infirmitatem suam derelictus sentiat, et sine infusione supernæ gratiæ quantùm homo aruit, cognoscat. Qui aptè quoque reduci ad pulverem dicitur : quia dimissus sibi, cujuslibet tentationis aurâ raptatur. Sed dum relicti concutimur, ea quæ afflati cognovimus, subtiliùs jam dona cogitamus. Undè subjungit : *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ?* (*Ibid.* 10.) Mens etenim nostra cùm per sancti Spiritûs gratiam ab usu vetustæ conversationis abstrahitur, sicut lac mulgetur ; quia in quadam novæ inchoationis teneritudine et subtilitate formatur ; et sicut caseus coagulatur ; quia in constipatione pinguescentis cogitationis adstringitur, ut nequaquam jam per desideria diffluat, sed in uno amore se colligens, ad solidam reformationem surgat. Plerumque verò contra hæc eadem rudimenta spiritalia ex usu veteri caro submurmurat, et mens bella tolerat ex homine, quem foris portat. Undè subjungit : *Pelle et carnibus vestisti me.* (*Ibid.* 11.) Pelle quippè et carnibus interior homo vestitur : quid in eo quòd ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur. Sed tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, qui per infusionem gratiæ etiam peccantem prævenit : sed sublevatam mentem et ad bella exteriùs laxat, et interiùs roborat. Undè adhuc aptè subjungitur : *ossibus et nervis compegisti me.* (*Id. Ibid.*) Carnibus et pelle vestimur, sed ossibus nervisque compingimur, quia etsi tentatione foràs irruente concutimur, intùs tamen nos conditoris manus roborat, ne frangamur. Carnis itaque nos motibus humiliat ad dona : sed per ossa virtutum roborat contra tentamenta. Ait ergo : *Carne et pelle vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Ac si apertè dicat : Foràs me ad probationem deseris, sed tamen intùs ne peream, virtutibus adstringendo custodis. Qui idcircò nobis benè vivendi rectitudinem tribuit, quia benignè præterita quæ deliquimus parcit. Undè et adhuc aptè subjungitur : *vitam et misericordiam tribuisti mihi.* (*Ibid.* 12.)

N. 81. Vita quippè tribuitur, cùm malignis mentibus benignitas adspiratur. Sed vita sine misericordia accipi nequaquam valet : quia ad obtinenda Dominus justitiæ bona non adjuvat, si priùs misericorditer anteactas nequitias non relaxat. Vel certè vitam nobis et misericordiam tribuit : quia eâ, quâ nos misericordiâ ad benè vivendum prævenit, etiam subsequente custodit. Nisi enim misericordiam subrogat, servari non valet vita, quam præbet. Ipso quippè quotidie humanæ vitæ usu veterascimus, et exterioris hominis impulsu, cogitatione lubrica ab interioribus eximus. Et nisi nos superna visitatio vel ad amorem compungendo vivificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditùs tota destruitur, quæ longo virtutis studio innovata videbatur. Undè subjungit : *Et visitatio tua custodivit spiritum meum.* (*Id. Ibid.*) Humanum quippè spiritum visitatio superna custodit, cùm hunc virtutibus ditatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit. Nam si dona præstat, sed hunc continuè restaurando non sublevat, citiùs bonum perditur, quod non à largiente custoditur.

Lib. 16. *in cap.* 23. *beati Job. cap.* 25. *n.* 30. *Salvabitur innocens, salvabitur autem munditiâ manuum suarum.* (*Job.* XXII. 30.) Quæ scilicet sententia si de cœlestis regni retributione promitur, veritate fulcitur : quia cùm de Deo spiritum sit : *Qui reddit unicuique secundùm opera ejus* (*Rom.* II. 6.), illum in extremo examine justitia æterni judicis salvat, quem hic ejus

pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò ad hoc salvari quisque hic munditiâ manuum suarum creditur, ut suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur : quia si superna gratia nocentem non prævenit, nunquam profectò inveniet quem remuneret innocentem. Undè veridicâ Moysis voce dicitur : *Nullusque apud te per se innocens est.* (*Exod.* XXXIV. 7.) Superna ergo pietas priùs agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat nobiscum : quod tamen per impensam gratiam in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat, prævenit, Paulus ait : *Gratiâ autem Dei sum id quod sum.* (*Cor.* XV. 10.) Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait : *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit : *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret, *mecum*, si cum prævenientе gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, *non ego.* Ut verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjunxit : *sed gratia Dei mecum.* Munditiâ itaque manuum suarum innocens salvabitur, quia qui hic prævenitur dono ut innocens fiat, cùm ad judicium ducitur, ex merito remuneratur.

Lib. 17. *in cap.* 26. *Beat. Job. cap.* 14. *n.* 20. *Et super quem non surget lumen illius* (*Job.* XXV. 3.) ? Lumen quippe Dei, est gratia prævenіens. Quæ si in nostro corde nequaquam gratuitò consurgeret, profectò mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret.

Lib. 21. *in cap.* 31. *Beat. Job. cap.* 17. *n.* 27. Pietatis viscera utrum à semetipso habuerit, an conditoris sui gratiâ sit consecutus, innotescat. Sequitur : *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* (*Job.* XXXI. 18.)

Cap. 18. *n.* 28. Miseratio etenim etsi ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret ; liquet tamen quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo, quia suæ virtuti nil tribuit, qui profectò testatur, quia hoc ex conditionis munere accepit. Bonum igitur, quod à conditione habuisse se intimat, liquet procul dubio, quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse ut pius esset, à quo accepit ut esset : quia sicut suo opere in utero conditus non fuit, ita nec suâ virtute ab utero pius fuit.

Lib. 22. *in cap.* 31. *Beat. Job. cap.* 9. *n.* 20. Manum quippè ad os porrigere, est voci suæ opere concordare. Manum ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit, et testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operis. Quia in re quis despicitur ; nisi is qui ipsa operandi munera largitur ? Undè benè per egregium Prædicatorem dicitur : *Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.) ? Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum, de corruptibili stirpe se editos, et non virtute propriâ, sed prævenіente supernâ gratiâ ad meliora se vota vel opera commutatos : et quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum : quidquid verò in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui et prævenіendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Undè benè per Joannem dicitur : *Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini.* (*Apoc.* IV. 10.) Coronas namque suas ante thronum Domini mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. Beatus ergo Job, quia sic bona quæ operatus est narrat, ut tamen hæc suæ operationi non tribuat, sed ad auctoris laudem recurrat, manum suam ore suo osculatum fuisse se denegat, ac si patenter dicat : Ego mea opera tanquam mea non profero : quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Undè et protinùs subdit : *Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* (*Job.* XXXI. 28.)

Cap. 10. *n.* 21. Liquet enim, quia illum negat cujus despectâ gratiâ, sibi vires boni operis arrogat. Quod rectè quoque et iniquitas maxima

vocatur ; quoniam omne peccatum, quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit ; quia à superno judice veniam requirit. Præsumptio autem virtutis propriæ tanto gravius in desesperatione est, quanto longiùs ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit auctoris, fitque ut eo gravius peccator pereat, quo et ipsum hoc, quia est peccator, ignorat.

In Ezech. lib. 1. *Homil.* 10. *n.* 44. Sciendum, quia nullus hæc pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere prævalet, nisi is cujus animum Spiritus sanctus assumpserit. Nam quando homo ex sua virtute sufficiat terrena despicere, cœlestia amare, pacem cum Deo quærere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, et gemitibus punire ? Nullus hæc agere, nisi quem divina gratia roboraverit, valet. Undè et subditur : *Manus enim Domini erat mecum, confortans me.* (*Ezech.* III. 14.)

N. 45. Ad bona quippè assurgere perfectè non possumus, nisi nos Spiritus et præveniendo elevet, et subsequendo confortet.... Sed quia ad ista proficere suâ virtute non valet homo, rectè nunc dicitur : *Manus Domini erat mecum, confortans me.* Manus enim Domini in sacro eloquio aliquando etiam unigenitus Filius appellatur : quia *omnia per ipsum facta sunt.* (*Joan* I. 3.) Et de cujus ascensione per Moysen Pater omnipotens loquitur, dicens : *Tollam in cœlum manum meam.* (*Deut.* XXXII. 40.) Hæc manus quæ electorum suorum corda confortat, discipulis dicebat ; *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) In omne ergo quod cogitamus, in omne quod agimus, semper orandum est, ut et ipso adspirante cogitemus, et ipso adjuvante faciamus.

Dialog. lib. 1. *cap.* 4. Opus, Petre, ex dono est, non donum ex opere ; alioquin gratia jam non est gratia. Omne quippè opus dona præveniunt, quamvis ex subsequenti opere ipsa etiam dona succrescunt.

Lib. sacram. in Præfat. Fer. 6. *Hebdom.* 5. *Quad.* Verè dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Cujus nos misericordia prævenit : ut benè agamus : subsequitur, ne frustrà agamus, accendit intentionem, quâ ad bona opera peragenda inardescamus : tribuit efficaciam, quâ hæc ad perfectum perducere valeamus.

CASSIOD. *Exposit. in Psalm.* XXIII. 8. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ...* Cùm *misericordia* Domini semper præcedat : hìc dicit, *subsequetur me.* Subsequitur utique ad custodiam, sed præcedit ad gratiam conferendam. Nam si solùm sequeretur, nemo donata perciperet : si tantùm præcederet, nullus poterat collata servare. Graviores sunt enim insidiæ, quas à tergo diabolus parat, et nisi Domini *misericordia subsequatur*, facillimè fragilitas humana decipitur. Tunc enim quando se aliquis vitium transiisse credit, incautà magis ignoratione decipitur. Undè nimis necessarium est, ut semper nos et gratia Domini præcedat et misericordia subsequatur.

Exposit. in Psalm. L. Liberum arbitrium sic in humanis viribus ponunt (*Pelagiani*) ; ut absque Dei gratia homines pulent per seipsos bonum aliquod posse concipere, vel agere. Quod si ita esset, cur Propheta diceret : *Deus meus misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII. 11.) ? Cùm te audis misericordiâ Domini præventum : nihil tuum præcessisse datur intelligi. In alio quoque Psalmo dicit : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Idem dicit : * *à Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus cupiet nimis.* (*Psal.* XXXVI. 23.) Alio quoque loco Psalmista testatur : *Dominus erigit elisos : Dominus solvit compeditos : Dominus illuminat cæcos.* (*Ps.* CXLV. 8.) Cùm audialis prævenire, ædificare, dirigere, et erigere Dominum, absolvere, et illuminare nullis præcedentibus meritis ; quid ibi proprium cœpisse cognoscitis, nisi illud tantùm, undè pro vestra superbia justè damnemini ? Sed dicitis forsitan Prophetam Isaiam sic arbitrium liberum comprobare : * *si volueritis et obaudieritis, bona terræ comeditis* (*Isai.* I. 19.) : et iterum Ezechiel, *Facite vobis cor novum, et spiritum novum* (*Ezech.* XVIII. 31.) : et iterum, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (*Ps.* XCIV. 8.) Sed hæc et his similia pessimà intentione sentitis : ut credatis homines à semetipsis bonæ voluntatis initium sumere, et post adjutorium Divinitatis accipere,

ut (quod dici nefas est) nos simus causa ejus beneficii, non ipse sui. Jam quomodo verum erit, quod Joannes ait : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (*Joan.* I. 16.) : vel quemadmodum ipsa gratia dici poterit gratuita, si eam anticipet alicujus boni præmissa celeritas? Audite Apostolum qui dogma vestrum falsissimum verâ prædicatione convincit, dicens : *Quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* (*Rom.* XI. 35. *et* 36.) *Item Apostolus*, à quo est et velle et perficere pro bona voluntate. (*Philip.* II. 13.) *Et Jacobus Apostolus :* Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum. (*Jacob.* I. 17.) Sequitur vos alia multò pejor absurditas. Si à nobis esset bonæ voluntatis initium, nos magis ponere*mus* fundamentum, ubi ædificaret Dominus : quod certè nulla potest mentis sanitas approbare. Quapropter desinite asserere, quæ non potestis implere. Illi obedienter audiunt, quos ipse facit audire ; illi proficuè cupiunt, qui munus Divinitatis accipiunt. Nam post vitiatam humani generis naturam, liberi arbitrii salutiferam partem et Dominus tribuit, et operationem ipsius suâ pietate concedit.

In Psal. LXVIII. 22. *Dominus Deus* eos convertit, qui fidem suam humano generi miseratus indulget. Ipsa enim est gratia quæ gratis datur : quia nos ipsius bona præveniunt, dum et ipsum quoque bonum velle conceditur.

In Psal. CXVIII. 10. *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me à mandatis tuis.* Hoc quoque munus est Domini quod cum se *toto corde* asserit *exquisisse :* non enim quæreret, nisi inquisitus fuisset, sicut in Ezechiele legitur : * *Quod perierat requiram, et quod erraverat revocabo.* (*Ezech.* XXXIV. 16.) In omni siquidem bono Domini gratiâ prævenimur ; et ut velimus rogare, ipse se dignatur infundere. Sequitur, *ne repellas me à mandatis tuis*, tanquam indignum beneficiis tuis ; ut quem te fecisti toto corde petere, tu etiam digneris audire.

S. ISID. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de gratia*, *c.* 5. Posse fieri non est dubium, ut hi, quos quidam virtutum excellentiâ antecedunt, Dei repentinâ præventi gratiâ, quosdam compendio sanctitatis præveniant : et dum sint conversione postremi, subitò efficiuntur virtutis culmine primi.

S. ANSELM. *Epist. lib.* 3. *Epist.* 49. Gratias igitur ago Deo pro gratia sua quam ostendit in vobis ; et oro, ut sicut eâdem gratiâ vos prævenire dignatus est ; ita indesinenter subsequatur, quatenùs nunquam vos de hoc ad quod vos provexit, permittat deficere, sed semper ad meliora donet proficere ; quod pro certo ipse faciet, si non negligentes fueritis bona, ad quæ jam pervenistis, servare. Cùm enim Dei sit suâ gratiâ semper nos prævenire : nostrum est quod accipimus, ejus auxilio studiosè custodire. Nam quamvis nec habere, nec servare possimus aliquid, nisi per illum ; perdere tamen et deficere non est, nisi ex nostra negligentia, quæ sæpissimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cùm nobis persuadet ea non magni pendere.

Meditat. 7. Scio, Domine Deus, dominator vitæ meæ, quòd *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre et fonte luminum* (*Jacob.* I. 17.) ; scio me nihil posse acceptum offerre coram te et gratum ; nisi de fonte bonitatis tuæ illud præhauserim ; et hoc utique te illuminante, te docente. Scio hanc arrham misericordiæ tuæ me prævenire. Scio, dulcissime Pater, quòd bona tua sicut fraude nulla tibi arripere aut auferre possum : sic nec ullis meritis obtinere me omnia posse quibus ad te revertar, et complaceam. Quid enim meritis meis deberi potest, nisi mortis æternæ supplicium... Solus es reformator creaturæ quam solus formasti.

Orat. 20. *ad Christ.* Illuminatio mea, tu vides conscientiam meam ; quia, Domine, ante te omne desiderium meum, et tu donas, si quid benè vult anima mea. Si bonum est, Domine, quod inspiras ; imò quia bonum est ut te velim amare, da quod me facis velle. Da ut quantum jubes, tantùm te merear amare. Laudes et gratias tibi ago pro desiderio quod inspirasti : Laudes et preces offero, ne sit mihi donum tuum infructuosum, quod tuâ sponte dedisti. Perfice quod incepisti, et dona quod me benignè præveniendo immeritum desiderare fecisti. Converte benignissime, meum teporem in ferventissimum tui amorem.

Orat. 24. Tibi enim patet si quid in anima servi tui seminasti, quod

tibi sit offerendum ; nec latere te potest, si quid et ego et inimicus homo seminavimus ibi, quod igne sit comburendum. Ne despicias, benignissime Deus, quod tu seminasti ; sed fove, et auge, et perfice, et conserva. Quia sicut nihil boni potui incipere sine te, ita nec possum consummare vel custodire absque te. Ne me judices, misericors Deus, propter id quod tibi displicet in me : sed aufer quod non posuisti, et salva animam meam quam creasti. Non enim ego corrigere me possum sine te : quia cùm boni sumus, tu ipse facis nos, et non ipsi nos.

THEODULF. Episc. Aurel. *Carm. lib.* 6. *Carm.* 1. *De gratia Dei.*

Tanta Dei bonitas fragiles nos instruit, ornat,
Ut sua de propriis nostra gerat merita.
Et sine qua bona nulla fiunt, quæque efficit ejus
Gratia, sint nostris adnumeranda bonis.
Dat benè velle pius, peragi quoque donat et ipsum,
Prævenit hìc, sequitur nos opus ejus ibi.
Hinc fit ut initium, perfectio detur et illinc,
Sic capite et caudà est hostia grata Deo.
Proque bonis propriis clemens sua præmia donat,
Concordet noster si benè nisus ei.

Eamdem sententiam (*inquit* SIRMONDUS *societ. Jesu Theolog. Doctiss. in nota ad hoc Theodulfi carmen*), incertus, sed antiquus Auctor non insulsè his rhythmis Deum alloquens expressit.

De tuo servimus tibi nos tui vernaculi,
De tuo sumus robusti, et de tuo fervidi,
Portamus pondus diei et æstùs non minimi.
Omnia tu nobis donas hìc pater familiàs.
Tu ad laborandum vocas, ire velle incitas,
Et simul posse inspiras, vires ibi reparas,
Et cùm ista nobis agas, ita post remuneras,
Ex nobis quasi voluntas atque possibilitas
Fuisset ad universas referendum molestias.
Et silebimus hanc tandem Dei indigni gratiam ?

HRABAN. MAUR. *lib. advers. Jud. cap.* 15. *apud* EDM. MARTENNE, *Thesauri Anecdot. novi Tom.* 5. Propheta verò ex persona Ecclesiæ Domino supplicans ait : *Exaudi me in tua justitia* (*Ps.* CXLIII. 1.), et non in mea, quam utique ex me, hoc est, per liberum arbitrium habere nequaquam possum nisi prævenientem gratiam accepero ut habeam.

SMARAGD. Abb. *Diademat. Monachor. cap.* 45. *De Gratia Dei. Tom.* 16. *BB. PP. Luc.* (*S. Greg. hom.* 9. *in Ezech.*) Ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat, qui jubet. Sciendum est quia mala nostra, solummodò nostra sunt. Bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra. Quia ipse adspirando, nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus. Præveniente gratiâ, et bonâ voluntate subsequente, hoc quod omnipotens Dei donum est fit meritum nostrum. Quod benè Paulus brevi sententiâ explicat dicens : *Plus illis omnibus laboravi.* (*Cor.* XV. 10.) Qui ne videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Interdùm peccantibus nobis suam Deus gratiam non retrahit, ut ad spem divinæ propitiationis humana mens consurgat. Ab illo enim nobis omnia bona, gratiâ præveniente donatur. Profectus hominis donum Dei est, nec à se potest quisquam, sed à Deo corrigi, testante Prophetâ, qui ait : *scio Domine quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* (*Jer.* X. 23.) Spiritualis gratia non omnibus distribuitur, sed tantummodò electis donatur. Munera gratiarum, alii ista, alii verò donantur illa, nec datur habere ita uni, ut non egeat altero. Posse fieri non est dubium ut ii quos quidam virtutum excellentiâ antecedunt, Dei repentinâ prævenientegratiâ, quosdam compendio sanctitatis præveniant, ut dum sunt conversione postremi, subitò efficiantur virtutis culmine primi. Dum quisque aliquod bonum accipit, non appetat amplius quam quod meruit, ne dum alterius membri officium arripere tentat, id quod meruit perdat.

S. BERN. Abbat. *Epist.* 146. *n.* 2. *Confiteor, tibi Pater, Domine cœli et*

terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum est ante te. (*Matth.* XI. 25. *et* 26.) Tuo placito sunt id quod sunt, non suo merito. Nec enim invenis merita, sed prævenis. Omnes peccavimus, et egemus præveniri. Tu ergo, Frater, agnosce te præventum, et prævenţum in benedictionibus dulcedinis, non à me qui nihil sum, sed ab illo qui me, ut de tua te salute monerem, adspirando prævenit. Nam ut multum mihi tribuas, plantator sum, rigator sum: absque illo tamen qui incrementum dat, quid sum? Ipsi te in omni humilitate subjicias, ipsi totâ devotione inhæreas.

De divers. serm. 76. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* (*Psal.* XX. 4.) Triplex nobis necessaria est benedictio, prævenions, adjuvans, et consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversionem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia; aut consummari in bono possumus, donec glorià repleamur. Verùm in his tribus non immeritò dulciùs sapit ea, quæ non modò immeritos, sed et malè meritos prævenit, ut dum adhuc filii summus iræ, et operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, et ne petentibus quidem, immo et impetentibus; non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largiatur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Meritò proindè benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ consummat, plenitudinis est.

In Cant. serm. 67. *n.* 10. Cæterùm sponsa rectiùs locuta est, et non prætendens meritum, sed præmittens beneficium, et se prævenţam dilecti gratiâ confitens. Rectè omninò: *Nam quis prior dedit illi, et retribuetur ei.* (*Rom.* XI. 35.) Denique audi Joannem, quid in Epistola sua super hoc senserit: *In hoc est charitas*, inquit, *non quasi nos dilexerimus Deum, sed ipse prior dilexit nos.* (1. *Joan.* IV. 10.) Prophela tamen gratiæ prævenţionem etsi tacuit, non negavit subsecutionem: planè non tacuit. Sed accipe et alio loco certiorem de re ista ipsius confessionem: *Et misericordia tua*, inquit (Domino loquebatur), *subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* (*Ps.* XXII. 6.) Audi et de prævenţione identidem ipsius non minùs certam manifestamve scientiam: *Deus meus*, inquit, *misericordia ejus præveniet me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Item ad Dominum: *Citò*, ait, *anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.* (*Ps.* LXXVIII.) Pulchrè sponsa posteriùs (ni fallor) hæc eadem verba non eodem ordine ponit, sed sequitur et ipsa Prophetæ ordinem, loquens hoc modo: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* (*Cant.* VI. 2.) Cur ita? Nempe ut tunc magis gratiâ plenam se probet, cùm totum gratiæ dederit, et primas scilicet illi partes adscribens, et ultimas. Alioquin quomodo gratiâ plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia? Non est quò gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Ergo jam plena confessio gratiæ, ipsius gratiæ plenitudinem signat in anima confitentis. Nam si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam cedere illi necesse est. Deest gratiæ, quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat. Horreo quidquid de meo est, ut sim meus: nisi quod illud magis forsitan meum est, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi justificatum gratis et sic liberatum à servitute peccati. Denique *ubi spiritus, ibi libertas.* (2. *Cor.* III. 17.)

N. 12. Quæ verè sponsa est, agnoscit ista, et utramque gratiam confitetur: primò quidem eam quæ prima est, quâ et prævenţa est: postea verò et subsequentem. Ait itaque nunc, *Dilectus meus mihi, et ego illi;* (*Cant.* II. 16.) principium dilecto tribuens. In consequentibus, *Ego*, inquit, *dilecto meo, et dilectus meus mihi;* consummationem illi æquè concedens.

In Cant. serm. 84. *n.* 2. Omnis inter vos anima quærens Deum, ne magnum bonum in magnum sibi detorqueat malum, noverit se prævenţam in illo, et ante quæsitam quàm quærentem. Sic enim de magnis bonis mala oriri non minima solent, cùm facti eximii de bonis Domini, ultimur donis tanquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profectò qui maximi

videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. Ego autem parco vobis. Usus sum modestioribus vocibus, maximo, minimoque : sed quod sentio non expressi. Discrimen involvi, ipse nudabo : optimum, pessimumque dixisse debueram. Nam verè et absque dubio, eo quisque pessimus, quo optimus est, si hoc ipsum quo est optimus, adscribat sibi. Nempe pessimum hoc. Quòd si dicat quis : Absit, agnosco, *gratiâ Dei sum id quod sum* (1. *Cor.* XV. 10.), studeat autem captare gloriam pro gratia quam accepit; nonne fur est et latro? Audiat qui ejusmodi est : *Ex ore tuo te judico, serve nequam.* (*Luc.* XIX. 22.) Quid nequius servo usurpante sibi gloriam Domini sui?

N. 3. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* (*Cant.* III. 1.) Quærit anima mea Verbum, sed quæ à Verbo priùs quæsita sit. Alioquin semel à facie Verbi egressa vel ejecta, non *reverteretur oculus* ejus, *ut videat bona* (*Job.* VII. 7.), si non requiratur à Verbo. Quasi verò aliud anima nostra sit, quàm *spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII. 39.) si sibi fuerit derelicta : audi profugam et deviam quid doleat, et quid petat : *Erravi*, ait, *sicut ovis quæ periit : quære servum tuum.* (*Ps.* CXVIII. 176.) O homo redire vis? sed si in voluntate res est, quid opem flagitas? Quid aliundè mendicas, in quo abundas tu tibi? Palàm est, quia vult, et non potest : *sed spiritus est vadens et non rediens*, etsi is sit longiùs agens, qui nec vult. Quanquam non omninò illam animam expositam dixerim vel relictam, quæ reverti cupit, et requiri petit. Undè enim voluntas hæc illi? Indè (ni fallor) quòd à Verbo visitata jam sit et quæsita. Nec otiosa quæsitio, quæ operata est voluntatem, sine qua reditus esse non poterat. Sed non sufficit semel quæri : tantus est animæ languor, tantaque in reditu difficultas. Quid enim si vult? Jacet voluntas, ubi facultas non suppetit. Nam *velle adjacet mihi*, inquit, *perficere autem bonum non invenio.* (*Rom.* VII. 18.) Quid ergo ille, quem de Psalmo induximus, quærit? Non planè aliud quàm quæri : quòd non quæreret, nisi quæsitus fuisset; et rursùm non quæreret, si quæsitus satis fuisset. Quod et postulat, *Quære*, inquiens, *servum tuum* (*Psal.* CXVIII. 176.), ut qui dedit velle, det et perficere pro bona voluntate.

PETR. CELLENS. *Lib. de Panib. cap.* 26. Sicut nonnunquam gratia ex operibus, alicujus mentem præveniendo ungit in exsultatione futuri præmii, sic, ex sua bonitate, Deus quandocunque hominem immeritum, tam ad præmium, clementer excitat. Sed quale vel ad quid est meritum nostrum? Sine dubio, meritum nostrum per se tam malum est, ut à Deo meritò deseramur : tam pessimum, ut non immeritò condemnetur. Ex dono autem Dei, fit bonum per prævenientem gratiam : fit melius per cooperantem, ut ex Deo fit panis unctus ex homine, panis durus in mensa deferatur : ut Deo attribuas unctionem illuminationis, tibi peccatori duritiam excæcationis. De cœlo suo profundit Deus tibi lucem, et tu de abysso tuo propinas tibi immensam confusionem. A Deo tibi bonum, à te tibi malum est : à Deo tibi unguentum sanitatis, à te tibi veneficium mortis.

De Confess. sacr. p. 1176. *tom.* 24. *Bibl. PP. Lugd.* Sciendum itaque, quòd gratia lacrymarum, quædam Dei visitatio est, quæ quandoque datur, ad excitationem torporis, quandoque ad consolationem laboris, quandoque ad gratiam retributionis. Prima enim quasi stimulus desidem pungens : secunda quasi baculus desidem sustinens : tertia quasi lectulus quietum suscipiens. Sicut enim Deus nunc verbo, nunc exemplo, nunc etiam flagello torpidè aut tepidè viventes ad salutem provocat : sic eosdem per inspirationem occultam compunctione, aut terrore ad statum vitæ melioris invitat, ut sit hæc divinæ gratiæ oblatio reprobis ad judicium; his autem, qui electi sunt, ad profectum. Nec solùm lacrymæ, sed etiam virtutes, ut sapientia, ut continentia, eloquentia, et multa hujusmodi, quæ de thesauro cœlestis misericordiæ producuntur, multis per abusionem, aut elationem convertuntur in malum. Dona siquidem Dei, tam bonis, quàm malis sunt quandoque communia. Nam et Saül inter Prophetas (1. *Reg.* X. 11.), et inter Apostolos numeratus est Judas (*Matth.* X. 4.); propter quod et Salvator in Evangelio dicit : " *Multi mihi dicent in illa die : Noane in nomine tuo Domine dæmonia ejecimus? et in nomine tuo signa multa fecimus? et tunc confitebor illis, Quia non novi vos : discedite à*

me *operarii iniquitatis.* (*Matth.* VII. 22. *et* 23.) Pœnitentia Caïn, Esaû (*Genes.* IV. XXVII.), seu confessio Judæ plangentis se tradidisse sanguinem justum (*Matth.* XXVII.), eis cesserunt in judicium et tormentum. Sæpè filii Israël in eremo correpti à Moïse fleverunt coram Domino (*Num.* XI.), quibus illa pœnitentia nihil profuit, ad pristinas concupiscentias denùò resolutis. Sed et in terram promissionis ingressi, cùm loqueretur eis Angelus in loco qui propter hoc postea vocatus est locus flentium (*Judic.* II.), levaverunt vocem, et fleverunt, et tamen paulò post facere malum coram Domino addiderunt. In electis autem compunctio est ad consolationem, quibus omnia cooperantur in bonum. Hæc enim in melius promoventur, dum ex ipsa dulcedine, quâ fruuntur, ad exercitia spiritualia fortiùs se accingunt. Qui dum dura et aspera gaudent sustinere pro Christo, proficiunt in illud compunctionis excellentius genus, quod infirmos sanat, debiles roborat, consolationem et quietem indulget. Quam experiebatur Propheta cùm diceret : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* (*Psal.* LXXVI. 4.) Et, *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* (*Psal.* XXX. 20.) Nemo igitur secundùm primum visitationis genus sanctitatem in se mentiatur, cùm illam reprobis sciamus frequenter accidere : sed nec de secundo genere visitationis præsumat. Illa enim non sanctificat, sed ad sanctificandum præparat, et evenit quandoque tentatis, ne corruant ; plerumque tentandis, ut leviùs ferant. Si quis autem secundo visitationis generi assuescat, facilè proficiet ad tertium genus, quod jam non solùm excitat, aut confortat, sed uberiore gratiâ victorem remunerat.

Venerab. GUIB. Abbat. *lib. de laud. B. M. cap.* 5. *pag.* 293. Certè fides præveniente gratiâ ex libero maximè arbitrio constat.

PHILIPP. Abb. BONÆ SPEI *Epist.* 1. Est quippè illi (*rationali naturæ*) naturaliter insitum et innatum, ut haberet immaterialem substantiam, personalem distantiam, rationalem intelligentiam, tam liberam arbitrii potestatem, ut ad bonum vel ad malum posset inflectere propriam voluntatem : ad bonum quidem non coactam, sed adjutam gratiâ præcedente ; ad malum verò non impulsam, sed elapsam gratiâ deserente.

AUCTOR *Serm. in Assumpt. B. M. inter opera* D. BERNARD. *tom.* 2. *n.* 3. Ascendunt in cœlum sancti de convalle plorationis. Ascendunt, inquam, non virtute suâ, sed auxilio et gratiâ Dei, sicut ait Spiritus sanctus per Prophetam David : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* (*Psal.* LXXXIII. 6.) Quæris ubi ? * *In convalle plorationis* (*Ibid.* 7.), hoc est in humilitate vitæ præsentis. Et eamdem ipsam gratiam replicat, dicens : *Etenim benedictionem dabit legislator.* (*Ibid.* 8.) Quo autem pertingat ascensus, vel ad quem fructum perducat ascendentes ipsa gratia, protinùs subjungit : *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* (*Ibid.*) Hæc est merces, et hic est finis et fructus nostri laboris, visio scilicet Dei. Quis non hunc tantum fructum rebus omnibus visibilibus et invisibilibus incomparabiliter præferat ? Quis est, cujus vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat ? Hæc est enim illa gratia, quam nobis commendat beatus Joannes Evangelista, dicens : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* (*Joan.* I. 16.)

N. 4. Ex quibus scilicet verbis innuitur, quòd triplicem gratiam divinitùs accepimus : unam quâ convertimur : aliam quâ in tentationibus adjuvamur : tertiam quâ probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur : secunda provehit, quâ justificamur : tertia consummat, quâ glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est : secunda meritum : tertia præmium. De prima dictum est, « et de plenitudine ejus omnes » accepimus. » De duabus reliquis dictum est, « et gratiam pro gratia, » id est, munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ.

ADAMUS Præmonstrat. *Serm. lib.* 1. *in die Nat. Dom. serm.* 20. *n.* 8. Istis de quibus locuti sumus, in præsentis vitæ via, profectibus intendentes, matrem gratiam nos comitantem, nos denique ducentem habemus. Quia nullatenùs proficere possumus, nisi ipsa nos et præveniret adspirans, et subsequeretur adjuvans, et comitaretur consolans. Sed cùm sit ipsa nobiscum in via, quid nobis faciet in fine ? Etsi piè speramus, nequaquam plenè certi, neque omninò securi sumus. Nonne operantem in se habent

gratiam, qui ipsâ ministrante, justitiam percipiunt atque sapientiam? Et tamen Salomonis vox hæc est : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt, et tamen nescit homo, an odio, an amore dignus sit.* (*Eccle.* IX. 1.) Arridet nobis mater nostra gratia interna : et piè speramus quòd ipsa nobis, quæ modò sanctitatem confert in via, custodiens et perficiens opera misericordiæ, conformiter et felicitatem nobis conferet in patria, et quæ « cœpit in nobis opus bonum perficiet usque in diem » Jesu Christi » (*Philip.* I. 6.) : sed tamen vitam nostram absconditam intuentes, et circumdatos atque involutos nos tenebris intelligentes, plenè, ut dixi jam, certi non sumus.

Serm. lib. 1. *serm.* 38. *in Dom. infra Octavam Nativit.* 2. *n.* 14. Sic enim in suis Deus omnipotens electis agere solet : ut non solùm spiritualia eis bona conferat, sed et frequenti gratiæ suæ visitatione collata conservet. Nonne ita secum agi sensit, qui ait : « vitam et misericordiam tribuisti » mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum? » (*Job.* X. 12.) Et quidem in talibus, in vita scilicet et misericordia, vita est spiritus viri justi. Sed nisi datam vitam et misericordiam visitatio custodiat, neutra valet, quia neutra manet. Et hoc est, quod hîc habetur : *et benedixit illi Simeon.* (*Luc.* II. 34.) Simeon interna visitatio est, qui obediens dicitur; obediens nimirùm interna visitatio dicitur : pro eo quòd quibus se infundit, obedientes facit : juxta id quod *Spiritus* asseritur *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII. 26.), quia quos replet, consequenter et postulantes facit. Nam quid boni homo non modò facere, sed et velle potest, si incentivum deest? quid item est quòd ejus mens concipere non præsumit per affectum, sed et corpus aggredi formidat per effectum, qui internæ gratiæ visitationem, et incitantem habet ad velle, et auxiliantem ad perficere? Quòd si dubitas de quovis istorum, quære apud Paulum, et invenies utrumque apud eum. Nam ipse est qui se asserit *non sufficientem cogitare aliquid ex se quasi ex se* (2. *Cor.* III. 5.) ; *et omnia posse in eo qui se confortat.* (*Philip.* IV. 13.) Vides ergo Paulum in se vermiculum repentem, in Deo autem athletam fortem : dum dicit se, non dicam facere non posse, sed nec cogitare aliquid ex se quasi ex se : et posse se, non solùm quædam, sed et omnia in eo, qui eum confortat. Jure itaque internæ gratiæ dicitur visitatio, Simeon : quæ operatur in homine, ad quem, et in quem operari dignatur, *et velle et perficere pro bona sua voluntate* (*Philip.* II. 13.) : ita ut ipsâ præsente, confidenter dicat : « operatus sum, et non sum » turbatus, ut custodiam mandata. (*Psal.* CXVIII. 60.) Et illud : * *paratum cor meum Deus, cantabo et Psalmum dicam.* (*Psal.* CVII. 2.) Hic est qui rationem lucentem, et conscientiam humilem, in magna certè spei beatitudine, in qua et hic exsultat cum tremore, et illa cum stupore, in stabili ac firmo sanctitatis proposito confirmat.

Fr. David. *de angusta formal. Novit. cap.* 42. *tom.* 25. *Biblioth. PP. Lugd.* Sed gratia quosdam prævenit, ut cum multa facilitate, imò cum multa suavitate faciant bonum et declinent à malo : aut ita accendit voluntatem, ut cum magno fervore, quæque facienda promptè aggrediantur, quamvis dura et difficilia. Quosdam verò ita sibi quodammodo relinquit, ut quidquid boni agere debent, necesse habeant se stimulis et calcaribus pungere, quasi pigrum animal, et gravior sit eis difficultas superandi torporem cordis, quàm laborem actionis sustinendi. Isti, etsi non habent desiderium fervens ad currendum post Dominum, habent tamen desiderium desiderii, orantes se trahi cum sponsa, quasi qui agilitatem currendi non habent : juxta illud, *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII. 20.) : et omni tempore voluntatem bonam habent, sed pigram, et tepidam, non fervetem. Primum felicius est, secundum laboriosius. Utrum autem majoris meriti sit, puto neminem perfectè æstimare posse nisi eum, qui spirituum ponderator est secundùm Dominum.

B. Aelred. *Spec. charit. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 102. *tom.* 23. *Biblioth. PP. Lugd.* Prima ergo excitat torpentes; secunda reficit laborantes; tertia suscipit ascendentes. Prima hæc compunctio ad sanctitatem provocat; secunda sanctitatem conservat; tertia remunerat. Prima terret contemnentem vel illicita timentem; secunda fovet et promovet amittentem : tertia amplectitur venientem. Prima est quasi stimulus, devium corrigens; secunda quasi baculus, debilem sustentans; tertia lectulus, quietum

suscipiens. Sicut igitur divina clementia plerumquo verbo, plerumque exemplo, nonnunquam correptione, aliquando etiam flagello, tepidè vel perditè viventes provocat ad salutem; ita etiam occultà compunctione quam vel timor excitat, vel generat affectus, ad melioris vitæ statum invitat. Hujus autem visitationis causa bipartita est, fit enim electis ad profectum, reprobis ad judicium.

Cap. 11. In primo igitur statu anima suscitatur; in secundo purgatur; in tertio sabbati tranquillitate perfruitur. In primo statu operatur misericordia, in secundo pietas, in tertio justitia. Misericordia enim quærit perditum, pietas reformat inventum, justitia munerat cùm perfectat. Misericordia erigit jacentem, pietas adjuvat pugnantem, justitia coronat victorem.

PETR. LOMBARD. Paris. Episc. *Sentent. distinct.* 26. *lib.* 2. *Quòd voluntas bona quæ præveniturgratiâ, quædam Dei dona prævenit.* Ipsa tamen eadem voluntas quædam gratiæ dona prævenit. Undè August. in Euch. (*Cap.* 32.) Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit, in eis est et ipsa juvat. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, *Et misericordia ejus prævenict me* (*Ps.* LVIII. 11.) *et misericordia Dei subsequetur me.* (*Ps.* XXII. 6.) Nolentem quippè prævenit ut velit: volentem subsequitur ne frustrà velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris (*Matth.* v. 44.) nolentibus piè vivere, nisi ut Deus in eis operetur et velle? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, à quo factum est ut velimus? Indè Apostolus ait, *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* (*Rom.* IX. 16.) Ex his apparet, quòd bona hominis voluntas quædam dona Dei prævenit, quia eam comitatur gratia adjuvans; et quibusdam prævenitur, quia eam prævenit gratia operans, scilicet fides cum charitate.

Illa autem cogitatio sive voluntas quæ fidem et charitatem aliasque justificationes præcedit, non sufficit ad salutem, nec rectè cà vivitur. Hac voluntate concupiscitur illa bona voluntas quæ est magnum bonum, istà verò, non. Alia est ergo illa voluntas sive cogitatio, alia ista. Et sicut illa istam præcedit, ita illam prævenit intellectus.

Illius enim gratiæ percipiendæ, quæ voluntatem hominis sanat, ut sanata legem impleat, nulla merita præcedunt. (*Aug. lib. de spir. et litt. cap.* 9.) Ipsa est enim quà justificatus impius fit justus, qui priùs erat impius: meritis autem impii, non gratia, sed pœna debetur: nec ista esset gratia, si non daretur gratuita. Datur autem gratuita: quia nihil antè boni feceramus, undè hoc mereremur. Non negamus tamen multa ante hanc gratiam, et præter hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit Augustin. in responsionibus contra Pelagianos (*Lib.* 3.): ubi dicit homines per liberum arbitrium agros colere, domos ædificare, et alia plura bona facere sine gratia cooperante.

MAPHÆI VEGII Laudens. Presbyt. *de Persever. Relig. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 706. *tom.* 26. *Bibli. PP. Lugd.* Augustinus in libro quem edidit *de quinque responsionibus contra Pelagianos*, volens demonstrare quomodo voluntas humana à divina gratia prævenitur, affert subtilem aptamque equi similitudinem, qui ad opus hominum necessarius de armento voluptatum mundi vagus apprehenditur, et à sessore (qui gratiæ figuratur, curamque ejus domandi suscepit) dirigitur, atque ut ille cum aliquoties sub sessore positus largioribus cibariis incumbens effreno cursu extollitur, tunc sessoris flagello cæditur, ut secundùm ejus ambulet voluntatem: ita similiter liberum hominis arbitrium, dum donorum gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, et tanquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, ejus flagello corripitur: cùm in variis tribulationibus et afflictionibus paululùm subjugatur: ut humiliatus homo in sua humilitate ad gratiæ recurrat auxilium.

JOAN. GERSON. *Serm. de verbis Dom.* Venite ad me omnes, etc. Superna pietas quæ primam gratiam dedit, id est, bonum velle, dabit et perficere pro bona voluntate, id est, gratiam pro gratia, secundam pro prima: addat et perseverantiam, id est gratiam tertiam pro secunda, *et ita misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* (*Ps.* XII. 6.) *Ad extremum verò gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Ps.* LXXXIII. 12.), gratiam boni finis, gloriam æternæ beatitudinis. Ubi notandum quòd una

quælibet bona operatio nostra et regratiatoria est præteritorum et meritoria futurorum Dei donorum, futurorum inquam, tam in præsenti, quàm in futura vita. Quod satis exprimere videtur Psalmus LXIX... in cujus fine scriptum est: *Adjutor meus et liberator meus es tu* (*Ps.* LXIX. 6.): adjutor videlicet ad gratiam, liberator à corruptione ad gloriam capessendam. Sicut ergò peccatum aliquod pœna est peccati præcedentis et causa subsequentis, ita è regione virtus est donum virtutis præcedentis et causa subsequentis: et nihilominùs utriusque, tam virtutis videlicet, quàm peccati retributio manet in æternum.

Serm. de Spirit. sanct. At verò mirabile nimis est, et nescio si magis intimo gustu et experimento cognoscibile, quàm explicabile verbo, quà ratione fieri potest, ut Spiritus sanctus præveniat animam quam repleturus est non præventus ex operibus vel meritis, quoniam non ex operibus, sed ex vocante dictum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* (*Malach.* I. 2. *et* 3.) Ipsam nihilominùs animam coarctant Scripturæ sacræ ut se disponat, ut faciat quod in se est, prædictis et similibus modis, orando, lacrymando, gemendo velut aliquid operetur ad Spiritûs sancti susceptionem. Nam et Dei coadjutores esse tradit Apostolus. Et certè si nihil prorsùs coagit arbitrium, undè meritum? Fatendum est planè coagit per consensum spontaneum obedientem præmonitioni Spiritûs sancti: sed ut ita coagat et obediat, hoc jam non ex se est sine gratia, sed quia gratiâ præventum est, et per eam salubriter tractum. Neque tamen ideò minùs ad meritum deputatur animæ consensus hujusmodi, sicut acriter arguit Prosper contra Cassianum, dum est iste consensus vivificatus et formatus à gratia, quàm si per impossibile consensum hunc ex puris naturalibus elicuisset sine gratia; immò placentior tantò est Deo consensus talis, quantò Deus in eo magis invenit munus suum quod acceptet, sicut beneficians non ideò minùs, sed plus amat beneficiatum. Anima proindè redditur humilior et Deo gratior, ex ea consideratione quòd « quidquid habet » meriti præventrix gratia donat. » (*S. Prosper. de Ingrat.*)

Quo contra stultissima est præsumptio putantium se prævenire Deum, ipsumque velut obsequi serviliter ad hominis actionem. Error iste fuit Pelagianorum et omnium qui sapientes sunt in oculis suis qui terrena sapiunt, nec ista percipere quæ Dei sunt possunt, nisi docuerit et repleverit eos misericorditer spiritus Domini repulso spiritu tumido mundi. Demùm quæso salutem nostram non nobis, sed Deo, quia si *fecit nos et non ipsi nos* in esse naturæ, dicente Psal. (*Ps.* XCIX. 3.), non minus confitendum est de esse gratiæ, quod est recreatio quædam. Docet hoc oratio Psalmistæ, *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, etc.* (*Ps.* CIII. 30.) Scandalizantur aliundè homines quales prædiximus carnales filii hujus sæculi, quia non sapiunt quòd hujusmodi præventio non tollat libertatem atque necessitatem, aut quòd non in Deo sit invenire vicissitudinis obumbrationem, aut personarum acceptionem vel inefficaciam operationis, dum à prævention resilit quis et peccat. Indicunt præterea illud Augustini, quòd Deus sic res administrat, ut eas proprios motus agere sinat. Liberum arbitrium cur ab hac lege, inquiunt, dicetur exemptum? Nec exemptum est fatemur, quin sinat ipsum agere Deus proprios motus suæ libertatis; immò tantò liberiùs et efficaciùs sinit, quantò ipsum ampliori prævenit gratiâ, vivificat, corroborat, informat, et languidum erigit et sanat. Puto, exempli gratiâ, quòd dum ægrotus homo sanatur à Deo, non idcircò Deus eum proprios motus agere non sinit, sed ad eosdem aptiorem reddit.

In Descript. terminorum ad Theolog. utilium. Gratia prævenions, est gratia generaliter dicta pro quanto præmonet liberum arbitrium, stimulans quodammodo, et trahens ipsum mediatè vel immediatè ad Deum super omnia diligendum, et ad declinandum à vitio, non tollens libertatem, sed eam potius actuans, et ad proprios motus agendos juvans. Tractus Dei idem est quod gratia prævenions; prævention Dei idem: inspiratio divina idem: instinctus bonus idem: Spiritus bonus prout idem est sicut vehemens quidam impulsus, idem est.

Gratia concomitans et gratia in speciali appellatur pro quanto coagit libero arbitrio ad opus bonum.

Gratia subsequens, est gratia pro quanto manet in libero arbitrio post opus ejus bonum inclinando quotidiè ad profectum.

GUILLELM. ESTIUS. *in lib.* 2. *distinct.* 26. §. 9. Aliâ divisione gratia dividitur in prævenientem et subsequentem, juxta Scripturas (*Psal.* LVIII. 11.) *Misericordia ejus præveniet me*, et (*Psal.* XXII. 6.) *Misericordia tua subsequetur me.* Quæ divisio juxta easdem Scripturas et usum loquendi SS. Patrum aptissimè de gratia increata intelligitur, id est de Deo. Prævenit enim Deus hominem per gratiam et misericordiam suam, vel ordine temporis, dum homini adhuc adverso et impio, vel etiam nondum nato præparet quædam beneficia, quibus aliquando futurum sit ut convertatur; vel solo ordine causalitatis, dum causa est homini ut benè velit, operando in eo bonam voluntatem.... Quanquam posterior modus potiùs ac multò frequentiùs significari solet nomine gratiæ prævenientis: ut nimirùm gratia præveniens ea propriè dicatur, quæ initium boni in homine operatur, vel absolutè quoad totam ejus justificationem, vel in quocunque bono opere; hoc est, ea gratia quæ tribuit homini bonum velle, quòd priùs non habebat, idque vel absolutè vel quoad hoc opus. Undè Patres Concilii Tridentini *Sess.* 6. *cap.* 5. doctrinæ: *Cùm respondemus:* Converte nos Domine ad te et convertemur (*Thren.* V. 21.), *Dei nos gratiâ præveniri confitemur...* Similiter subsequens gratia dicitur, quæ tribuit homini facere sive exsequi bonum, quod jam volebat... Est autem notandum generaliori quadam ratione omnem gratiam priorem respectu posterioris dici posse prævenientem; et similiter omnem posteriorem respectu prioris subsequentem.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 111. *art.* 3. Sed contrà est, quod gratia Dei ex ejus misericordia provenit: sed utrumque in *Ps.* LVIII. 11. legitur: *Misericordia ejus præveniet me:* Et iterum *Psal.* XXII. 6. *Misericordia ejus subsequetur me.* Ergo gratia convenienter dividitur in prævenientem et subsequentem.

In corp. Respondeo dicendum quòd sicut gratia dividitur in operantem et cooperantem secundùm diversos effectus, ita etiam in prævenientem, et subsequentem, qualitercunque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis; quorum primus est ut anima sanetur; secundus ut bonum velit; tertius est, ut bonum quod vult efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus est, ut ad gloriam perveniat. Et ideò gratia secundùm quòd causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectûs; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectûs: et sicut unus effectus est posterior uno effectu, et prior alio: ita gratia potest dici præveniens et subsequens secundùm eumdem effectum respectu diversorum: et hoc est quod Aug. dicit in lib. de natura et gratia cap. 32. «Prævenit ut sanemur; subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur; subsequitur ut glorificemur.»

Ad Paginam 3. *lin.* 30.

(M) ISAÏ. XXVI. 12. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.

1. COR. XII. 6. Qui operatur omnia in omnibus.

PHILIPP. II. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.

ORATIO ECCLESIÆ. Da ut quæ te inspirante facienda cognovimus, te operante impleamus.

S. AUG. *in Psal.* XXXII. *Enarr.* 2. *n.* 4. *Justus ex fide vivit.* (*Rom.* I. 17) Fides tua, justitia tua: quia utique si credis, caves; si autem caves conaris: et conatum tuum novit Deus, et voluntatem tuam inspicit, et luctam cum carne considerat, et hortatur ut pugnes; et adjuvat ut vincas, et certantem exspectat, et deficientem sublevat, et vincentem coronat.

Enar. in Psal. CII. *n.* 29. *Benedicite Dominum omnia opera ejus.* (*Ps.* CII. 22.) Quia cùm cœperis in bona vita benedicere Dominum, opera ejus eum benedicunt, non merita tua. Ipse enim per te et in te bonum operatur, dicente Apostolo, *Cum timore et tremore vestram* ipsorum *salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis.* (*Philipp.* II. 12. *et* 13.) Ergone te extolleres, quia facis verbum ejus, quia facis voluntatem ejus, voluit te humiliari, respiciendo gratiam ejus, undè hos consecutus es.

Venerab. HICDEB. *Tract. Theolog. cap.* 19. Sed potest quæri utrum aliquid collatum sit eis (*Angelis*) post creationem, per quod diligerent; quod ita est, scilicet gratia cooperans, sine qua non potest proficere rationalis creatura. Cadere enim potest, sed non proficere sine gratia cooperante.

Undè nihil potest (*fortè* est) quod non sit imputandum illis qui ceciderunt. Sine gratia enim cooperante proficere non poterant; sed illa non est illis data, nec culpa eorum fuit, quòd non est data, quia in eis nulla culpa adhuc præcesserat. Ad quod potest dici, quòd quibus data est illa gratia, non fuit data ex merito, quia adhuc nullum meritum erat; sed quòd aliis non est data, culpa eorum fuit, non quòd præcesserit tempore, sed in causâ; quia sicut in eis gratia est causa meriti, et tempore non præcessit meritum ipsum, ita in istis culpa fuit causa, quare ex judicio Dei justo gratia non daretur: et tamen tempore, hoc non præcessit illud, quia cùm Deo omnia sint præsentia, nec egel alicujus testimonio, quàm citò aliquis peccat, justè potest eum judicare, non post, sed simul. Quòd si placet differre, misericordia est. Illorum culpa in hoc potest considerari, quia licet, sine gratia cooperante, quam nondum acceperant, non posseut proficere, tamen per id quod eis collatum fuerat ex gratia creatrice, poterant non cadere. Nihil enim erat in eis quod ad hoc posset eos compellere, et si non declinarent propriâ voluntate, quod datum est aliis, daretur et istis.

Serm. 20. *in Quadrages.* 1. *de Pœnitent.* Primum (potionis genus) est infusio gratiæ operantis; secundum cooperatio gratiæ subsequentis; tertium perseverantia finalis. Primum apponens, dicat: *Signatum est super te lumen vultûs Domini, et ideò dedit lætitiam in corde tuo.* (*Ps.* IV. 7.) Secundum apponens, dicat: *Cantabiles* tibi *sunt justificationes Dei, in loco peregrinationis tuæ.* (*Psalm.* CXVIII. 54.) Apparens tertium, dicat: Habe charitatem, et fac quod vis.

RICH. A S. VICT. *Part.* 1. *lib.* 2. *de erudit. hom. in ter. cap.* 31. Affectus in nobis sanè secundùm Deum vivunt, dum in bono fortes sunt, et ad virtutum opera convalescunt, dum gratiam cooperantem habent, et in studiis spiritualibus se exercere valent. Tunc procul dubio moriuntur, cùm in eis gratia cooperatrix subtrahitur. Subtrahitur autem cùm de suis bonis et divinis donis mens improba superbit, et sua sibi merita adscribit. Subtractâ gratiâ, affectus boni deficiunt, et ad omne bonum languescunt, et sic de viventibus mortui fiunt. Quid enim aliud est virtutum defectus quàm quasi quidam illarum interitus? Qui igitur infirmitatem suam gratiamque divinam tunc primum attendunt cùm jam in bono deficiunt, isti post mortem, et quasi per mortem divinæ dominationis, et moderationis magisterium, vel beneficium discunt, et agnoscunt. Quid igitur est supernæ majestatis Dominum, principatum in regno hominum viventes agnoscere, nisi unumquemque, eo etiam tempore dum adhuc in bonis operibus vivit, infirmitatem suam attendere, et nihil sibi, nihil suis meritis adscribere, et inter quælibet virtutum exercitia humilitatis custodiam non deserere, sed veraciter, et absque simulatione quidquid mali, sibi ipsi, quidquid boni, divinæ gratiæ adscribere? Et solet quidem pietas superna viros etiam virtutum in quibusdam humiliare, et gratiam subtrahere, donec discant inter quælibet morum insignia nihil altum sapere, nihil de propria virtute præsumere.

PETRUS LOMBARDUS Episc. Paris. *Sentent. l.b.* 2. *de gratia operante et cooperante, Distinct.* 26. Hæc est gratia operans et cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatem, ut velit bonum: Gratia cooperans adjuvat ne frustrà velit. Undè August. in libro de gratia et libero arbitrio (*Cap.* 17.), *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; et tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ecce his verbis satis aperitur quæ sit operans gratia, et quæ cooperans. Operans enim gratia est quæ prævenit voluntatem bonam: eâ enim liberatur et præparatur hominis voluntas, ut sit bona, bonumque efficaciter velit. Cooperans verò gratia voluntatem jam bonam sequitur adjuvando. Undè August. contra Julianum hæreticum, qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tantùm esse dicebat, atque hominem per liberum arbitrium posse bonum velle et operari sine gratia asserebat, ait, *Apertam de commendatione gratiæ Apostolus sententiam protulit, cùm ait,* Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. (*Rom.* IX. 16.) *Hæc si attenderes Juliane, non*

extenderes contra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideò miseretur Deus alicujus, quia voluit et cucurrit, sed ideò voluit et cucurrit quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas hominis à Deo (*Prov.* XVI. *sec.* LXX.) : et, à Deo, et à Domino gressus hominis diriguntur. (*Ps.* XXXIV. 23.) *Ideoque congruè ait :* Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei : *Non quia hoc sine voluntate nostra agatur, sed quia voluntas nostra nihil boni agit, nisi divinitùs adjuvetur. Undè alibi Apostolus ait*, Non autem ego, sed gratia Dei mecum. (1. *Cor.* XV. 10.) *Non ideò dicit, quia nihil boni agebat : sed quia nihil boni ageret, si illa non adjuvaret.* His testimoniis apertè insinuatur, quia voluntas hominis gratiâ Dei prævenitur atque præparatur ut fiat bona, non ut fiat voluntas : quia et ante gratiam voluntas erat, sed non erat bona et recta voluntas.

Pag. 164. *Utrum una eademque sit gratia quæ dicitur operans et cooperans.* Hic considerandum est, cùm prædictum sit per gratiam operantem et prævenientem, voluntatem hominis liberari ac præparari ut bonum velit : et per gratiam cooperantem et subsequentem adjuvari ne frustrà velit : utrum una et eadem sit gratia, id est, unum munus gratis datum, quod operetur et cooperetur : an diversa, alterum operans et alterum cooperans? Quibusdam non irrationabiliter videtur, quòd una et eadem sit gratia, idem donum, eadem virtus, quæ operatur et cooperatur : sed propter diversos ejus effectus, et dicitur operans et cooperans. Operans enim dicitur, in quantum liberat et præparat voluntatem hominis ut bonum velit ; cooperans, in quantum eamdem adjuvat ne frustrà velit, scilicet ut opus faciat bonum. Ipsa enim gratia non est otiosa, sed meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 111. *art.* 2. Sed contrà est quod Aug. dicit in lib. de Grat. et lib. arbit. cap. 17. « Cooperando Deus in nobis perficit quod » operando incepit, quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volen» tibus cooperatur perficiens. Sed operationes Dei, quibus movet nos ad » bonum, ad gratiam pertinent : » Ergo convenienter gratia dividitur per operantem et cooperantem.

in corp. Respondeo dicendum quòd sicut suprà dictum est (quæst. 109. et 110. art. 2.) gratia dupliciter potest intelligi : uno modo divinum auxilium quo nos movet ad benè volendum et agendum : alio modo, habituale donum nobis divinitùs inditum : utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem et cooperantem : operatio enim alicujus effectùs non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur : et secundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solùm attribuitur Deo, sed etiam animæ : et secundùm hoc dicitur gratia cooperans. Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis ; et quantùm ad istum actum, voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens ; et præsertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat : Et ideò secundùm quòd Deus movet ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cùm à voluntate imperetur, ut suprà dictum est (quæst. 17. art. 9.) consequens est quòd ad hunc actum operatio attribuatur voluntati : Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, et interiùs confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, et exteriùs facultatem operandi præbendo, respectu hujusmodi actùs dicitur gratia cooperans : Unde post præmissa verba subdit Aug. *Ut autem velimus, operatur ; cùm autem volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur.* Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, quâ movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem et cooperantem : si verò accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut et cujuslibet alterius formæ : Quorum primus est esse, secundus est operatio : sicut caloris operatio est facere calidum, et exterior calefactio : sic igitur habitualis gratia inquantùm animam sanat, vel justificat, sive gratam Deo facit, dicitur gratia operans : Inquantùm verò est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.

GUILL. ESTIUS *in lib.* 2. *Dist.* 26. §. 7. Celebris est gratiæ divisio in operantem et cooperantem ; sive, ut Prosper loquitur in Epistola ad Augus-

tinum, in præoperantem et cooperantem. Quo quidem modo rectè gratia dividitur, sive increatam intelligas gratiam, sive creatam. Deus enim qui est gratia increata, et operando facit, ut velimus; et cooperando facit, ut quod jam volumus, exsequamur.

Porrò creata gratia aut habitualis intelligitur, aut actualis: et habitualis quidem gratia dici potest modò operans, modò cooperans, eadem ratione quâ gratiam increatam his vocibus distingui diximus. Operatur enim et cooperatur Deus libero nostro arbitrio, per habituale et infusum gratiæ donum, in iis duntaxat quibus donum illud jam collatum est, id est, in justificatis. Actualis autem gratia, quæ est motus vel actio nostra, non perinde propriè in operantem et cooperantem dividi potest: eo quòd hæc divisio non actionibus nostris, sed actionum principiis conveniat. Quare rectiùs illa dividetur in priorem et posteriorem; ut prior sit quâ per operantem Dei gratiam volumus quod bonum est; Posterior quâ per ejusdem cooperantem gratiam bonum quod volebamus perficimus; et ut breviter dicam, prior gratia sit velle, posterior facere... Illud hic notandum, gratiam quam ex Augustino diximus cooperantem, interdum etiam simplici vocabulo operantem vocari, ut ab Apostolo (Phil. II. 13.) *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere;* Et alibi, *Qui operatur omnia in omnibus.* (1. *Cor.* XII. 6.) Et apud Isa. (XXVI. 12.) *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Et in Oratione Ecclesiæ, *Da ut quæ te inspirante facienda cognovimus, te operante impleamus.* Sed et vicissim gratia quæ ad sensum hujus divisionis operans dicitur, cooperans vocari potest; videlicet propter cooperationem liberi arbitrii; cujus actus est ipsum velle, cujus respectu vocatur gratia operans. Si enim gratiæ cooperatur liberum arbitrium producendo in se volendi actum, consequens est etiam libero arbitrio in eodem actu cooperari gratiam; quia cooperans ad cooperantem relativè dicitur.

§. 8. Si bona est divisio gratiæ in operantem et cooperantem, necesse est membra ejus distingui; falsumque erit gratiam operantem posse etiam dici cooperantem et contrà. Ac potiùs gratia operans ut à cooperante distinguatur, illa dicenda erit quæ operatur in nobis et in voluntate nostra nihil agente. Nam si aliquid ibi etiam agit voluntas nostra, quæ ratio erit ut illa gratia propriè vocetur operans, non autem cooperans?

Et sanè hanc operantis gratiæ interpretationem prorsùs adstruere videntur Augustini verba paulò antè citata, quibus ait: « Ut velimus, Deus » sine nobis operatur; cùm autem volumus et sic volumus ut faciamus, » nobiscum cooperatur. (Lib. de Gratia et lib. arbit. cap. 17.) » Quò pertinet etiam locus ejusdem libri cap. 5. ubi tractat illud. (1. Cor. XV. 10.) *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Cùm enim dixisset nec gratiam Dei solam, nec Paulum solum, sed gratiam Dei cum illo laborasse, adjecit: *ut autem de cælo vocaretur, et tam magnâ et efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Tale etiam est quod dicit epistola 105. ad Sixtum, fidem fieri in homine non ab homine. Et simile quid habetur lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Eòdem adducitur Canon 20. Arausicani Concilii sumptus ex Augustini lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9. qui sic habet: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo...* Ex hac doctrina malè intellecta, simul et sententiis Augustini memoratis, quidam existimarunt in effectu gratiæ operantis voluntatem nostram nihil agere, nec seipsam omninò movere, sed moveri tantùm. Sed hic sensus falsus est et erroneus... Quocirca repudiato hoc falso intellectu dicendum est, prædictos Doctores non aliud voluisse, quàm quòd Deus primum actum seu motum bonum voluntatis per suam gratiam operatur in nobis, sine prævio nobis alio motu voluntatis, quo ad primum illum motum conemur aut adspiremus, aut quo voluntas eum sibi imperet: quippè cùm interdum homini etiam valdè repugnanti inspiretur bonus affectus voluntatis, ut in Paulo contigit. Cujus quidem conversio, quantùm attinet ad mutationem illam ex malo in bonum factam per operantem Dei gratiam, forma est et exemplar conversionis omnium peccatorum. Omnes enim per operantem et efficacem Dei gratiam ex aversis convertuntur, et ex nolentibus volentes redduntur: id quod postea latiùs erit ostendendum. Juxta hunc igitur sensum facile est intelligere quomodo consistat distinctio gratiæ operantis et cooperantis.

Ad Paginam 3. *lin.* 32.

(N) JOAN. GERSON. *Serm. in die S. Antonii.* Est dimissio quædam peccati ne contrahatur vel agatur, quomodo loquitur D. Dionysius de purgatione Angelorum, quam prætereà dicit unus Doctor Anglicanus, quem profundum schola nominat, quòd plures fiunt à Deo nobis gratiæ privativæ seu negativæ, propter quas ei tenemur ad gratiarum actiones, quàm positivæ, quoniam non est peccatum, non est periculum in quod ruere non posset homo, si non esset gratia Dei præservans, prævenions et prohibens.

GUILL. ESTIUS *in lib.* 2. *distinct.* 26. §. 10. Partitionis gratiæ quamdam speciem habet, quod Patres interdum graliam vocant ducem et comitem voluntatis; quia nimirùm ipsa voluntatem et ducat et comitetur. Ufdè Prosper in Epigrammate 45. gratiæ officium hoc disticho concludit.

Quæ sic in cunctis implet sua dona vocatis,
Ut quorum dux est, fiat et ipsa comes.

Quam utramque etiam Ecclesia nobis significat in oratione secreta pro iter agentibus, dum precatur Deum, ut viam illorum et præcedente gratiâ suâ dirigat, et subsequente comitari dignetur.... Qua in divisione notandum Patres non aliud significasse, quàm quòd gratia et operandi causa sit voluntati, et nihilominus voluntati operanti simul cooperetur: ut priori quidem ratione dux seu ducens gratia vocetur, posteriori autem comes seu comitans gratia.

§. 12. Sunt et aliæ quædam divisiones gratiæ superioribus non dissimiles, quas cùm ex Scripturis, tum ex Patribus et Orationibus Ecclesiæ facile est colligere, et ex supradictis intelligere. Potest enim dividi gratia in adspirantem sive inspirantem et prosequentem. Quam divisionem indicat nobis Oratio Ecclesiæ, qua petit ut Deus *actiones nostras adspirando præveniat et adjuvando prosequatur.* Et altera quà sic orat in die Paschæ: *vota nostra quæ præveniendo adspiras, etiam adjuvando prosequere.* Cujusmodi verba leguntur etiam apud Gregorium homil. 9. super Ezechielem. Ex quibus intelligitur adspirantem gratiam eamdem esse cum prævenionte, et prosequentem eamdem cum subsequente et adjuvante. Quocircà gratia adspirans, sive quod in proposito idem est, inspirans, non est constituenda in sola interna suggestione boni quoad intellectum, etiamsi voluntas nullo modo mutetur aut afficiatur per consensum, complacentiam, aut desiderium boni; sed eam significat sive adspirationem sive inspirationem quæ voluntatem efficaciter afficiat operando in ea saltem desiderium aliquod et initium boni. Hoc modo de gratia inspirante loquitur Arausicanum Concilium, dum can. 5. docet, per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti corrigi voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, et ab impietate ad pietatem. Et can. 6. per inspirationem Spiritûs sancti fieri in nobis ut credamus, velimus, desideremus, etc. Et can. 7. neminem posse bonum aliquod ad salutem pertinens cogitare, ut expedit, aut eligere, neque Evangelicæ prædicationi posse consentire absque inspiratione Spiritûs sancti. Et can. ult. Deum nobis et fidem et amorem suî inspirare. Quæ omnia satis ostendunt, gratiam inspirantem intelligendam esse respectu voluntatis efficaciter motæ. Unde idem Concilium can. 4. vocat operationem Spiritûs sancti, quam in sequentibus nominat inspirationem: ut hinc etiam intelligatur inspirantem sive adspirantem gratiam eamdem esse cum gratia operante.

Rursùm dividi potest gratia in inchoantem et perficientem, sive finientem atque consummantem. Quæ divisio significatur illâ parte Orationis Ecclesiæ: *Ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.* Sed hæc quoque divisio incidit cum præcedentibus. Nam gratia inchoans eadem est cum operante et prævenionte; perficiens autem ferè eadem cum cooperante et subsequente: hoc solùm discrimine, quòd ista sonat operis consummationem usque ad finem, illæ verò tantùm prosecutionem.

Prætereà passim observare est et alias differentias gratiæ, sed quæ facilè reducantur ad membra superiorum divisionum. Siquidem ad gratiam operantem et prævenientem pertinet gratia converteus: Jerem. XXXI. Threnorum V. et alibi; gratia vocans, loquendo de vocatione efficaci, ut Paulus Rom. VIII. et alibi sæpe; gratia trahens, quam commen-

§. 2. Cujus meritis nobis Gratia concedatur.

I. Cujus meritis Gratia Dei conceditur hominibus ?

R. Id certissimâ fide tenendum est, nullam post Adæ peccatum dari hominibus gratiam, quæ ad salutem prosit, nisi per merita Christi. Nam ex quo Adam peccavit, non potuêre homines habere accessum ad Deum, grati fieri Deo, in cœlum introduci, nisi per Christum. (A) Qui Deo placuerunt ante Christi adventum, non nisi per Christum placuerunt; et quas post lapsum hominis ad Christum usque concessit Deus gratias hominibus, eas intuitu Christi venturi, et humano generi promissi, concessit. (B)

I. Quas Deus concessit gratias Angelis post eorum creationem, et hominibus ante peccatum, nunquid et eas concessit Deus per Christum ?

R. Circa hanc quæstionem non una est Theologorum sententia : Alii affirmant, alii negant. Nec quidquam Ecclesia ea de re definivit.

I. Quas Deus concessit Angelis gratias post eorum creationem, et homini ante lapsum, habueruntne illæ vim eamdem et efficaciam, quam eæ quas nunc Deus homini peccatori per Christum concedit ?

R. Non eamdem vim et efficaciam, sed longè majorem habent quas nunc homini peccatori concedit Deus gratias ad agendum bonum opus. Sunt enim jam vires hominis valdè debilitatæ per peccatum ; adeoque longè validiori et potentiori auxilio indiget quàm ante virium imminutionem. Homo debilis, languidus, et omni ex parte tentatus, longè validiori et fortiori auxilio indiget, quàm vir sanus et vividus.

Nulla erat in homine innocente concupiscentia, nulla infirmitas, nullus error. Homo peccator infirmus est, ignarus, ad malum propensus, omni ex parte tentatus. Exsurgunt ipsi undique impedimenta ad salutem. Actum esset de illo nisi gratia Dei subveniret illi potentiùs quàm homini innocenti. (C)

dat Christus Joan. 6. gratia compellens, quam agnoscit Ecclesia Deum orans, ut *nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates.* Ad cooperantem et subsequentem pertinet gratia dirigens et gubernans, confortans et confirmans, conservans et custodiens, protegens, muniens et defendens. Porrò aliæ quædam differentiæ, ut sunt gratia liberans, reconcilians, purificans, sanctificans, vivificans, justificans, salvans, glorificans, partim spectant ad gratiam remissionis peccatorum, partim ad gratiam habitualem, partim ad gratiam cœlestis gloriæ. Denique quot sunt in nobis salutaria bona, tot gratiæ Dei dona recenseri possunt, cùm omne nostrum bonum sit Dei donum.

Ad Paginam 124. *lin.* 7.

(A) Joan. xiv. 6. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Act. iv. 12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

Joan. Cypariss. *Dec.* 7. *de Divin. Particip. cap.* 5. Basilius in tertio confutationum Eunomii : « Sicut dicitur Pater dividere operationes iis » qui digni sunt ut eas suscipiant ; et Filius dividere ministrationes iis qui

» digni sunt munere ministrandi : sic Spiritus sanctus dicitur dividere » charismata iis qui digni sunt ut charismata accipiant » Rursùm idem in homilia Psalmi 32. « Aptè, (inquit), ad terram refertur illud, *Ipse dixit, et facta sunt* (*Ps.* XXXII. 9.), in formatione quidem nostra ex terra » convenit illud, Factum est ; in creatura verò ad imaginem Dei creata » convenit, Creatum est. Quia verò sæpenumero dicitur in renovando, » et reddendo melius, ut illud ; *Si qua in Christo nova creatura* (2. *Cor.* » V. 17.) ; et illud ; *Ut duos crearet in unum hominem* (*Ephes.* II. 15.) : for- » tassis illud, Et facta sunt, de prima creatione essentiæ hominis dicitur; » illud autem, Et creata sunt, de secunda regeneratione in Christo ; » quantò autem præstat mandatum Dei verbo simplici, tantò præstat » regeneratio generationi. » Et iterùm idem in Epistol. ad Gregorium fratrem. « Quærentes autem, utrum ex solo Spiritu sancto largitio bo- » norum originem ducat, atque ita adveniant dignis, rursùs à sancta » Scriptura deducimur ad principem et auctorem largitionis bonorum, » quæ Spiritus sanctus operatur nobis, omnia enim per ipsum facta esse, » et in ipso consistere, à sancta Scriptura didicimus. (*Coloss.* I. 26.) Quare » cùm ad illam cogitationem evehimur, rursùs Scripturæ sanctæ ductu » elevati, docemur omnia per illam virtutem sive potestatem produci, » ut quæ non erant, sint : non autem produci ex illa sine initio. »

S. AMBR. *de Joseph. Patriarch. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 63. Hoc invenit in nobis Christus argentum, quod ipse donaverit. Habemus naturæ argentum, habemus et gratiæ. Natura opus est creatoris : gratia munus est redemptoris. Et si non possumus videre dona Christi ; ille tamen donat, et operatur occultè, et donat omnibus : sed servare paucorum est, et non amittere. Non omnibus tamen donat omnia. Triticum multis datur, scyphus uni.

De Pœnitent. lib. 2. *cap.* 6. *n.* 44. Derelictus est Judæorum populus ; quia nec egit pœnitentiam, et gratiam refutavit. Per Joannem pœnitentia, per Christum gratia. Istam quasi dominus donat, illam quasi servus annuntiat. Utrumque igitur Ecclesia custodit, ut et consequatur gratiam, et non abjiciat pœnitentiam ; gratia enim munus largientis est, pœnitentia delinquentis remedium.

De Spiritu sancto lib. 2. *n.* 8. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte.

S. HIERON. *in Epist. ad Tit. cap.* 3. * *Illuxit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus.* (*Tit.* II. 11.) Non est enim aliqua differentia liberi et servi, Græci et barbari, circumcisi, et habentis præputium, mulieris et viri : sed cuncti in Christo unum sumus, universi ad Dei regnum vocamur, omnes post offensam Patri nostro reconciliandi sumus ; non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris : vel quòd Dei Patris vivens et subsistens gratia ipse sit Christus : vel quòd Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia : et non nostro merito salvati simus, secundùm illud quod in alio loco dicitur : * *Pro nihilo salvabis eos.* (*Psal.* LV. 8.) Quæ gratia omnibus hominibus ideò illuxit, ut erudiret nos abnegantes impietatem et sæcularia desideria, pudicè, et justè, et piè vivere in hoc sæculo.

S. AUG. *in Psal.* CXVIII. *Serm.* 25. *n.* 5. Omnes igitur prævaricantes gratia salvatoris invenit, alios magis, alios minùs. Quantò enim legis major in quocunque cognitio, tantò minor peccati excusatio ; quantò minor peccati excusatio, tantò manifestior prævaricatio. Restabat ergo, ut omnibus non sua, sed Dei, id est, à Deo donata justitia subveniret... *Propterea dilexi testimonia tua* (*Psal.* CXVIII. 119.), quæ sunt in lege tua, de gratia tua ; ut non sit in me justitia mea, sed tua. Lex enim ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam.

De Patient. cap. 21. *n.* 18. Antiqui justi ante Incarnationem Verbi, in hac fide Christi, et in hac vera justitia, quod est nobis Christus, justificati sunt ; hoc credentes futurum, quod nos credimus factum ; et ipsi gratiâ salvi facti per fidem, non ex seipsis, sed Dei dono, non ex operibus, ne fortè extollerentur. (*Ephes.* II. 8. *et* 9.) Bona quippè opera eorum non prævenerunt misericordiam Dei, sed subsecuta sunt. Ipsi quippè audierunt, ipsi scripserunt longè antequàm Christus venisset in carne : * *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.* (*Exod.* XXXIII. 19.) E quibus Dei verbis, tantò post Apostolus Paulus

diceret, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Ipsorum etiam vox est longè antequàm Christus venisset in carne: *Deus meus, misericordia ejus prævenit me.* (*Ps.* LVIII. 11.)

Cap. 22. *n.* 19. Quid est, inquam, homo (*Psal.* VIII. 5.), aberrans à Creatore creatura, nisi Creator ejus memor sit ejus, et eligat eum gratis, et diligat gratis? Quia ipse non potest eligere vel diligere, nisi priùs electus dilectusque curetur, qui cæcitate eligenda non cernit, et languore diligenda fastidit.

S. FULG. *de Incarn. et Grat. Jes. Christ. cap.* 19. Ab ista servitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratiâ liberatur, ut scilicet liberatus à peccato, servus fiat Deo. Hoc autem quemadmodum fiat ipse liberator noster ostendit: *Si vos*, inquiens, *filius liberaverit, verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Ideò vas electionis beneficium nobis gratiæ liberatricis insinuans, non solum liberos, sed etiam liberatos nos esse testatur, his verbis: *Nunc autem liberati à peccato, servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* (*Rom.* VI. 22.) Hæc verò libertas quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuitâ Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium, et per fructum sanctificationis, in vita æterna plenum sui sortitur effectum: sed sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis divini formatio; sic in spirituali nativitate, quâ veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere incipimus, ut novum qui (*Ephes.* IV. 24.) *in justitia et sanctitate veritatis creatus est* (induamus.) Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster renovetur ac reformetur ex Deo. Ideò nos beatus Paulus præcipit *non conformari huic seculo, sed reformari in novitate sensûs vestri.* (*Rom.* XII. 2.) Cujus reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenùs deberemus, Dominus per Prophetam seipsum formatorem lucis ostendit, dicens: *Ego Dominus formans lucem et creans tenebras.* (*Isaï.* XLV. 7.) Quod et beatus Apostolus suâ prædicatione confirmat, dicens: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* (2. *Cor.* IV. 6.)

Lib. de Trinit. cap. 9. Factus itaque homo rectus, et ad imaginem Dei sui secundùm rationem et intellectum fictus atque formatus, legem accepit, quam non transgrediendo beatus esset, quoniam habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse si vellet: non quidem sine gratia Dei, quâ ipsa regebatur voluntas, ut vellet: et tamen in potestate ejus erat ipsam gratiam deserere cùm voluisset. Quia voluit, et peccavit, ob hoc etiam meritò damnaretur in æternum, atque omnis stirps ejus in perpetuum cum Angelis prævaricatoribus puniretur, nisi gratia superveniret per Jesum Christum Dominum nostrum... Suscepit hominem unigenitus Dei, et *Verbum caro factum est* (*Joan.* I. 14.), qui inter Deum et homines mediatoris fungeretur officio: ut quia per liberum arbitrium reverti ad Deum minimè poteramus, per Deum hominem factum reverti possimus.

Cap. 10. Non igitur glorietur homo de meritis suis: *sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) Quid enim habet, quod non accepit? quòd si accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? (*Id.* IV. 7.) Sic enim ipse Dominus ait: *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Liberatio nostra in ejus arbitrio, in ejus sita est voluntate: * *Quoniam ira in furore ejus, et vita in voluntate ejus*, ait Psalmographus. (*Ps.* XXXIX. 6.) Unde quòd damnatur reus, suis deputet meritis: quòd liberatur, gratiæ redemptoris. Nec hoc dicimus, quòd liberum arbitrium perdiderit humanum genus. Habet enim, antequam liberetur gratiâ Salvatoris, ad malum non ab bonum proclive. Quapropter ipsum liberum arbitrium gratiâ Dei liberatur, ut bonum velit et possit. Ita enim quidam ex Patribus ait, *quòd gratia Dei prævenit nolentem, ut velit: subsequatur volentem, ne frustra velit.* (*S. Aug. Enchirid. c.* 32.) Ac sic homo antequam sit fidelis, habet liberum arbitrium ad malum: habet fidelis liberium arbitrium et ad bonum, gratiâ Dei scilicet liberatum. Non utique immeritò: ut pro malo opere pœnam, et pro bono vitam consequatur æternam.

Cap. 11. Gratiam igitur quam primus homo habebat ante peccatum, et gratiam, quâ nunc redimuntur homines à massa damnata peccati, qui-

dam discernens sic ait : « Prima est enim, ut habeat homo justitiam si » velit ; secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit, et tantum velit, » tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contrariâ concupiscen- » tem voluntate spiritus vincat. » (*S. Aug. de corr. et grat. cap.* 11.) Nec illa quidem parva erat quæ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii : quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non permaneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem : parum sit denique, non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit. Quid igitur in hac gratia prius est nisi fides ?

S. LEO. *Serm.* 63. *de Pass. Dom. cap.* 7. *Hæc commutatio*, Dilectissimi, *dextræ* est *Excelsi* (*Ps.* LXXVI. 11.), *qui operatur omnia in omnibus* (1. *Cor.* XII. 6.) : ut singulis fidelibus per bonæ conversationis qualitatem, ipsum piorum operum intelligamus auctorem ; gratias agentes misericordiæ Dei, qui innumeris charismatum donis, ita universum Ecclesiæ corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cujuslibet meritum Christiani.

CASSIOD. *Exposit. in Psalm.* XIII. Reverâ solus est Christus, sine quo bonum aliquod vel incipere, vel implere imbecillitas humana non prævalet. Quapropter jure negatum est ullum facere bonum, nisi usque ad ipsum fuerit ejus miseratione perventum.

V. BEDA *in Epist. ad Galat. cap.* 2. *Non abjicio gratiam Dei, si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* (*Galat.* II. 21.) Quis ita sit surdus adversùs Apostolicas voces ? quis ita desipiat ; immò insaniat, nesciens quid loquatur, ut audeat dicere legem esse gratiam, cùm clamet qui sciebat quid loqueretur, *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis* (*Galat.* V. 4.) ? Si autem lex non est gratia, quia ut ipsa lex fiat, non potest lex adjuvare, sed gratia : Nunquid natura erit gratia ? Nam et hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam : in qua sic creati sumus ; ut habemus mentem rationalem quâ intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piscibus maris, et volatilibus cœli, et omnibus pecoribus quæ repunt super terram. Sed non est hæc gratia quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi. (*Ephes.* II. 8.) Hanc enim naturam etiam cum impiis et infidelibus certum est nobis esse communem. Gratia verò per fidem Jesu Christi eorum tantummodò est quorum est ipsa fides. *Non enim omnium est fides.* (2. *Thess.* III. 2.) Denique sicut eis, qui volentes in lege justificari à gratia exciderunt, verissimè dicit : *si ex lege justitia : ergo Christus gratis mortuus est* (*Galat.* II. 21.), sic et his qui gratiam quam commendat, et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur : Si ex natura justitia, *ergo Christus gratis mortuus est.* Jam hîc enim erat lex, et non justificabat. Jam hîc erat et natura, et non justificabat. Ideò Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur qui dixit, *Non veni legem solvere, sed implere* (*Matth.* V. 17.) ; et natura per Adam perdita, per illum repararetur qui dixit, se venisse *quærere et salvare quod perierat.* (*Luc.* XIX. 10.)

Homil. 2. *pag.* 323. *apud* EDM. MARTENNE *Thes. Anecdot. novi tom.* 5. *Quia lex per Moysen data est, Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* I. 17.) Lex quidem data est per Moysen, in qua quid agendum, quid vitandum sit cœlesti jure decernitur, sed quod illa præcepit, non nisi gratiâ Christi completur. Illa quidem monstrare peccatum, justitiam docere, et transgressores sui reos ostendere valebat. Porrò gratia Christi diffusa per spiritum charitatis in cordibus fidelium, facit ut quod lex præcipit impleatur : Undè illud quod scriptum est, *Non concupisces* (*Deut.* V. 21.), per Moysen lex est, quia jubetur ; sed per Christum fit gratia, quando quod jubetur impletur... Gratia et veritas per Jesum Christum facta est, quia dato Spiritûs sui dono, et legem spiritualiter intelligi, et servari posse donavit.

HRABAN. MAUR. *lib. adver. Jud. cap.* 62. *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* (*Ps.* LXIV. 12.) In hoc anno jubilæo, hoc est in hoc tempore ab adventu Salvatoris usque in finem mundi, quicunque vult scire ad æternam libertatem, per Christi gratiam atque ejus redemptionem et subse-

quente libero arbitrio ita potest..... Illud verò quod ait : *Sin autem et ipse potuerit, redimet se* (*Levit.* XXV. 49.) ad liberum hominis pertinet arbitrium, præveniente tamen Dei gratiâ, atque subsequente.

PASCHAS. RATBERT. *in Matth. Evang. lib.* 9. Et ipsis collata est gratia Christi, quia *ex operibus legis*, teste Apostolo, *nemo justificabitur...* (*Galat.* II. 16.) Ideò et ipsi grati esse debuerant, magis quàm ingrati, eo quòd et ipsis gratia dabatur quæ et gentibus, ut omnes non de suis meritis, sed de bonitate Dei præsumerent.

VENERAB. HILDEB. *serm.* 65. *in Nativit. S. Joan. B.* Diligenti consilio idonea Missio fuit (*S. Joannis.*) post quam homines essent convicti quòd nihil salutis ex se possent habere, neque per naturalem legem, neque per legem scriptam. Permisit enim duo tempora transire, scilicet ante legem, et sub lege. Et in tempore gratiæ ante scriptam legem lex naturalis, et ducatus rationis, quo nequaquam potuit genus humanum salvari, quia pro fragilitate hominum cœpit excæcari, et ad idololatriam converti. Lex verò scripta posteà data, ipsa potiùs cœpit nocere, quàm juvare. Nam prohibendo peccata : *Non occides; non mœchaberis, etc.* (*Exod.* XX. 13. *et* 14.) magis animos hominum ad ea peccata inflammabat. *Ubi verò venit plenitudo temporis*, seu adimpletio temporis, quod Deus proviserat, *misit Filium suum* (*Galat.* IV. 4. *et* 5.), ut quod neutra lex facere poterat, gratia Christi suppleret, id est, humanum genus liberaret.

JOAN. GERSON. *lib. de Consolat. Theol. prosa* 4. *lib.* 1. ad beatitudinem purâ liberalitate et gratiâ Deus ab æterno quosdam prædestinat et eligit... ad consecutionem hujusmodi finalis beatitudinis, ordinavit media convenientia variis modis sine numero : inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideò dicitur vita æterna, quia pignus ejus est vel arrha. Hanc autem gratiam nulli dedit neque daturus est, nisi per medium mediatoris Dei et hominum, quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam, sed non ad efficaciam nisi incorporatis sibi per fidem habitualem, quæ per dilectionem perseveranter, operetur quæ fides minùs explicita fuit in Prophetis tempore legis scriptæ, quàm in Apostolis tempore gratiæ.

Ad Paginam **124.** *lin.* 22.

(B) S. AUG. *Confes. lib.* 10. *cap.* 43. *n.* 68. Mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus, inter mortales peccatores et immortalem justum apparuit; mortalis cum hominibus, justus cum Deo. Ut quoniam stipendium justitiæ vita et pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ salvi fierent.

S. PROSPER. *Carmine de Ingratis lib.* 2. *pag.* 86.

Quotquot enim summo justos numeratis ab ævo,
Hac ope non dubium est salvatos, quam modò toto
Latiùs omnipotens exercet gratia mundo.

Id fusiùs luculentis Patrum testimoniis probavimus. Part. 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 1. *et seq. et hocce* §. *litt.* (A)

Ad Paginam **124.** *lin.* 35.

(C) S. AUG. *in Ps.* LXX. *Serm.* 2. *n.* 5. immò, *usque ad altissima, quæ fecisti magnalia* (*Ps.* LXX. 19.) : In altis cœli sunt, in altis Angeli sunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates : tibi debent quòd sunt, tibi debent quòd vivunt, tibi debent quòd justè vivunt, tibi debent quod beatè vivunt... Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus, antequam fieret? quid est Angelus, si deserat qui creavit.

S. THOM. 1. *part. quæst* 62. *artic.* 2. Conclusio. *Non potuit Angelus in Deum converti nisi divinæ gratiæ auxilio.*

Respondeo dicendum, quòd Angeli indiguerunt gratiâ ad hoc quòd converterentur in Deum, prout est objectum beatitudinis. Sicut enim superiùs dictum est (quæst. 60. art. 2.) naturalis motus voluntatis est principium omnium eorum quæ volumus : Naturalis autem inclinatio voluntatis est ad id quod est conveniens secundùm naturam : Et ideò, si aliquid sit supra naturam, voluntas in id ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adjuta... Ostensum est autem suprà,

cùm (quæst. 12.) de Dei cognitione ageretur, quòd videre Deum per essentiam in quo ultima beatitudo rationalis creaturæ consistit, est supra naturam cujuslibet intellectùs creati : undè nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota à supernaturali agente : Et hoc dicimus auxilium gratiæ. Et ideò dicendum est quòd Angelus in illam beatitudinem voluntate converti non potuit, nisi per auxilium gratiæ.

Artic. 3. Sed contra est, quod August. dicit 12. de civitate Dei (cap. 9.) « Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, nisi ille qui eos cum sua voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam, et largiens gratiam. »

Conclusio. *Probabilius est Angelos in gratia fuisse creatos quàm sine gratia.*

Respondeo dicendum quòd quamvis super hoc sint diversæ opiniones ; quibusdam dicentibus quòd creati sunt Angeli in naturalibus tantùm ; aliis verò quòd sunt creati in gratia ; hoc tamen probabilius videtur tenendum, et magis dictis Sanctorum consonum est, quòd fuerunt creati in gratia gratum faciente.

S. Greg. Nazianz. *Orat.* 38. *n.* 18. Hunc (*Adamum*) arbitrii libertate donatum (ut bonum non minus illius esset, qui elegisset, quàm ejus qui semina præbuisset) in paradiso, (quicunque tandem erat paradisus ille) (*Deus*) collocavit, plantarum immortalium cultorem, hoc est fortasse divinarum cogitationum, tam simpliciorum, quàm perfectiorum, nudum, quantùm ad simplicitatem, et vitam arte et fuco carentem, atque omnis integumenti et munimenti expertem. Talem enim eum esse conveniebat, qui primùm esset creatus. Ac legem quasi materiam, libero arbitrio tradit. *Hæc ipsissima verba rursùs leguntur Orat.* 42. *n.* 16.

S. Aug. *de corrept. et grat. cap.* 11. *n.* 29. Quid ergo ? Adam non habuit Dei gratiam ? Immò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ de bonitate sui conditoris acceperat... Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, *libera nos à malo...* (*Matth.* vi. 36.) Quoniam in eis *caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem* (*Galat.* v. 17.), atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nullâ tali rixâ de seipso adversùs seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur.

V. 30. Proindè et si non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent isti.

V. 31. Istam gratiam non habuit homo primus, quâ nunquam vellet esse malus : sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset... Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam : sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim quâ fit ut qui habeat homo justitiam si velit : secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contrariâ concupiscentem voluntate spiritus vincat... Hæc autem tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.

De corrept. et grat. cap. 12. *n.* 38. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur ; et ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei : cùm voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii ; quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen talì quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippè dimisit atque permisit facere quod vellet : infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissimè nollent.

Venerab. Hildeb. *Tract. Theolog. cap.* 28. *De gratia habita ante pecca-*

tum. Nunc restat inquirere quam gratiam homo ante casum habuerit; utrum per eam potuerit stare, vel non? Ad quod videndum est quòd sine apposita gratia proficere non potuerit, sicut de Angelis diximus; sed non declinare ab eo quod acceperat per gratiam sibi in creatione collatam, poterat. Aliud enim est facere bonum, aliud declinare à malo. Per illud adjutorium gratiæ, quod acceperat in creatione, poterat declinare à malo; sed sine super apposita, non poterat facere bonum. Augustinus in lib. de correptione et gratia (*Cap.* 11. *n.* 32. *et seq.*): « Si hoc adjuto-» rium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, » quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset » manere, si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent: adjutorium quippè » defuisset, sine quo manere non possent. » *In eodem*: « Dederat Deus ho-» mini bonam voluntatem. In illa quippè eum fecerat rectum: dederat » ei adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet: et per » quod posset. Ut autem vellet, reliquit in ejus arbitrio. » *In eodem*: » acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset. Nam si ha-» buisset, perseverasset. » Istis auctoritatibus patet, quòd homo poterat per id quod acceperat in creatione, non cedere tentanti. « Nisi enim talis » factus esset, quòd posset non cadere, et tentati resistere, (sicut Augus-» tinus ait,) non suâ culpâ cecidisset. » Opponitur: Quòd sine gratia cooperante poterat perficere, hoc modo per illud adjutorium creatricis gratiæ poterat non consentire suadenti; sed hoc esset meritum, et omne meritum profectus est, ergo per eam proficere poterat. Ad quod dicimus, quòd illum non consentire malo non est meritum, sed hoc quòd à malo declinando, diligitur bonum. Non enim est meritum in hoc quòd declinat à malo, sed in hoc quòd declinando à malo fit bonum; nec tamen unum sine altero potest esse. Ita dicimus, quòd si homo, vel Angelus declinasset à malo, haberet utique meritum, et proficeret; sed non in hoc quòd à malo declinaret, sed in hoc quòd declinando à malo bonum diligeret; ad quod egebat gratiâ cooperante. Ad illud verò primum sufficiebat adjutorium creatricis gratiæ. Habebat enim homo ante peccatum ex libero arbitrio, et ex illo adjutorio gratiæ, posse non peccare, id est, vitare malum; sed, ut diximus, egebat gratiâ cooperante ad faciendum bonum. Post lapsum verò non solùm cooperante, sed etiam operante gratiâ eget. Operans gratia facit à peccatis surgere, facit etiam velle bonum. Cooperans gratia, volenti cooperatur ut faciat bonum; sed ante lapsum non egebat, nisi cooperante. Nondum enim ceciderat, et ideò non egebat gratiâ, per quam surgeret, sed eâ solâ per quam proficeret. Post lapsum operans præcedit, quæ movet et excitat cor. De qua dicit Propheta: *Et gratia ejus prævenit me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Hæc inspirando prævenit, illa adjuvando prosequitur. Priùs enim gratia operatur sine nobis; et ibi nihil meretur homo, quia tunc accepit bonum velle; sed post utitur acceptâ voluntate, et cooperatur gratiæ, in quo meritum hominis est. Non enim meritum hominis est in hoc quòd accipit bonam voluntatem, quia ibi nihil facit, sed in hoc quòd acceptâ utitur. Undè Apostolus (1. *Cor.* XV. 10.) *Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* Hoc etiam in simili potest videri. Priùs fit ferramentum, ut per illud homo aliquid faciat, quod non per se incidit, sed ducente manu artificis. Ita voluntas priùs erigitur operante gratiâ, quâ erectâ ad benè operandum juvatur et ducitur per cooperantem gratiam. Undè in Apostolo (*Rom.* VII. 18.): *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*, sed gratia operatur velle et perficere, et cooperatur velle. Hoc ad operantem perficere, hoc ad cooperantem.

RICH. A S. VICT. *Part.* 1. *Tract.* 1. *de Stat. interior. homin. cap.* 20. Sed nunquid, inquis, potuit homo aliquid boni de seipso etiam ante peccatum, et cùm adhuc esset in paradiso? Quid enim habuit quod non accepit? Nihil sanè habuit quod ab alio non acceperit; et nihil omninò potuit nisi ex eo, et secundùm id quod accepit. Sed alia potuit ex natura, et alia potuit ex gratia. Alia namque bona naturæ, et alia sunt dona gratiæ. Veruntamen et hæc, et illa constat esse ex gratia: nam ex gratia utique est et ipsa natura. Prima itaque bona ex gratia præveniente. Secunda autem bona ex gratia subsequente. Rectè ergo et præveniens, et subsequens potest dici gratia, sed illa prima, ista secunda. Sed consuetudo

habet, commune nomen uni specialiter attribuere, et ejus significationem circa unius tantùm designationem restringere, et secundam gratiam ex usu, gratiam vocare. Nam primam gratiam vocamus potiùs naturam, quàm gratiam. Cùm ergo dicimus hominem ante peccatum aliquid boni potuisse per seipsum, nihil aliud dicimus quàm potuisse per naturale bonum. Sic cùm negamus eum aliquid boni posse ex seipso, subintelligimus eum jam nil boni posse ex solo naturali bono. Sed nunquid dicemus eum nil boni potuisse ex natura (hoc est primâ gratiâ) antequam natura esset corrupta? Sed si aliquid boni potuisset ex ipsa conditionis suæ natura accepit, hoc est quod peccando amisit. Amisit itaque potestatem, non autem libertatem. Nam bonum posse, est verè posse, sicut cogi non posse, est verè liberum esse. Si enim ad bonum seu ad malum ab alio cogi posset, jam omninò liber non esset; et si bonum facere, vel malum declinare posset, non solùm liber, sed et potens esset. Sed si etiam eum ante peccatum aliquid boni sine adjuncta gratia potuisse negamus, tamen, non mediocrem faciendi boni possibilitatem peccando amisisse negare non possumus: quod enim per gratiam potuit, verè potuit, et quòd magna per gratiam potuit, magna possibilitas fuit.

Cap. 21. Attende ergo qualem gratiam accepit, et quantum per illam potuit, et tunc intelliges quid potestatis amisit. Sanè absque dubio, et sine omni contradictione sufficientem gratiam habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum, sed ad omne debitum solvendum, et ad omne malum cavendum. Quanta quæso hæc potestas ad bonum, et contra malum fuit quam ex cooperante gratia habuit? Quis glorietur se hanc possibilitatis integritatem recuperasse, vel præsumat se posse in hac vita recuperare? Quis, inquam, glorietur se vel totum fecisse quod oportuit, vel totum non fecisse quod non licuit... Gratiam itaque (sed gratis) recuperare potest, et in recuperata gratia quotidie crescere potest. Verumtamen primæ possibilitatis integritatem recuperare non potest. Et si majorem gratiam juxta aliquid recuperare possit, integram tamen in hac vita habere non poterit. Puer semel truncatus majus corpus habere potest, integrum autem omninò habere non potest. Gratiam sanè integram veraciter tunc haberet, si ad omne debitum solvendum, et omne illicitum cavendum sibi sufficeret. Sed secundùm Salomonis scientiam, *non est justus in terra, et qui non peccet.* (*Eccli.* VII. 21.) Integram itaque gratiam recuperare non potest, nec ad primæ possibilitatis integritatem post corruptionis suæ malum proficere potest, eò quòd caput languidum sit, et infirmitas ejus plenam curationem non recipit.

S. THOM. *Part.* 1. *Quæst.* 95. *art.* 1. Sed contra: Homo et Angelus æqualiter ordinantur ad gratiam: sed Angelus est creatus in gratia: Dicit enim Aug. 12. de Civit. Dei cap. 9. quòd *Deus simul erat in eis condens naturam et largiens gratiam:* Ergo et homo creatus fuit in gratia.

Conclusio. *Cum primus homo sic factus fuerit ut ratio Deo subderetur, rationi verò inferiores vires, animæ verò corpus; conveniens est illum in gratia fuisse creatum.*

Respondeo dicendum quòd quidam dicunt quòd primus homo non fuit creatus in gratia, sed tamen postmodum gratia fuit ei collata antequam peccasset: Plurimæ enim Sanctorum auctoritates attestantur hominem in statu innocentiæ gratiam habuisse: sed quòd fuerit etiam conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa rectitudo primi statûs, in qua Deus hominem fecit, secundùm illud Eccle. VII. 30. *Deus fecit hominem rectum:* Erat enim hæc rectitudo secundùm hoc quòd ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, et animæ corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundæ et tertiæ: Quandiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur, ut dicit Aug. (lib. 1. de peccatorum remissione cap. 16.) Manifestum est autem quòd illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cùm etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionys. dicit 4. cap. de div. nom. Undè manifestum est quod et illa prima subjectio, quâ ratio Deo subdebatur, non erat solum secundùm naturam, sed secundùm supernaturale donum gratiæ: non enim potest esse quòd effectus sit potior quàm causa: undè August. dicit 13. de Civit. Dei cap. 13. quòd «posteaquam

» præcepti facta transgressio est, confestim gratiâ deserente divinâ, de » corporum suorum nuditate confusi sunt : senserunt enim motum ino- » bedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. » Ex quo datur intelligi, si deserente gratiâ, soluta est obedientia carnis ad animam ; quòd per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.

Estius *in lib.* 2. *Sentent. Distinct.* 25. §. 1. Primum est gratiæ nomine in hac disputatione (sicut et in quæstione de Angelis monebamus) intelligi donum quoddam habituale et supernaturale, inhærens animæ ; quo qui præditus est, formaliter constituitur Deo gratus ad vitam æternam, per quod etiam possit exercere opera vitæ æternæ meritoria.

Distinct. 26. §. 7. Alii proindè præter gratiam et rectitudinem in qua factus est homo, dicunt ei ab initio adfuisse aliud quoddam donum habituale, aut habitui simile : quo ab benè operandum et perseverandum adjuvaretur, idque ab Augustino vocari adjutorium. Hi censent adjutorium illud fuisse quasi continuum quemdam Dei in hominem influxum, quo et intellectui ejus fomentum luminis, et voluntati fomentum boni affectûs subministraretur, sine quo justitia ejus paulatim defectura esset, quemadmodum oleo deficiente lucerna paulatim exstinguitur. Tale autem fuisse hoc adjutorium per quod homo posset, si vellet, in accepta justitia permanere. Quòd si ei cùm primùm factus est, defuisset, non jam, inquiunt, suâ culpâ cecidisset : quoniam non talis facta erat hominis natura, ut sine hujusmodi adjutorio posset perseverare si vellet : ut autem eo habito vellet perseverare, dicunt relictum fuisse in ejus arbitrio.

Est præter hos aliorum sententia, qui adjutorium, de quo Augustinus, interpretantur cooperationem Dei cum homine per auxilium speciale. Hujus autem necessitatem etiam in primo homine ponunt ex eo, quia causæ secundæ nihil operari possunt nisi cooperante cum eis causa primâ. Atque hoc significatum volunt ab Augustino, tum alibi, tum maximè in Epist. 106. ubi sic ait : *Natura humana etiamsi in illa integritate in qua condita est, permaneret ; nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret.* Quæ quidem verba transcripta sunt à Romano pontifice in Canonem 19. Concilii Arausicani.

Addunt præterea non opus fuisse primo homini motione aliquâ Dei per auxilium excitans quæ faceret eum uti prioribus donis, scilicet gratiâ et adjutorio prædicto, sicut opus est nobis in statu naturæ lapsæ. Rationem autem discriminis hanc tradunt, quia donum gratiæ in primo homine non solùm subjiciebat mentem Deo, sed etiam carnem spiritui : ac proindè in homine non erat quod eum impediret aut retardaret à bono opere, quodve incitaret eum ad peccandum. In nobis autem donum illud mentem quidem Deo subjicit, at non carnem spiritui : ideoque ad illecebras carnis superandas necessarium nobis est auxilium gratiæ excitantis.

De his duabus postremis opinionibus quas explicandi gratiâ latiùs prosecuti sumus, quid sentiendum sit, intelligi potest ex iis quæ ad quintam distinc. diximus de adjutorio Angelis dato ad perseverandum. Ostendimus enim eo loco veriorem esse eorum sententiam, qui præter gratiam primæ creationis nullum aliud habituale auxilium in Angelis ad perseverandum requirunt ; cùm in genere doni habitualis prima gratia conservata ad hoc illis sufficeret. Quod idem de primo homine putamus omninò dicendum. Nam quoad hanc materiam Augustinus libro de correptione et gratia capite 11. et de dono perseverantiæ capite 7. et alibi, vult similiter esse sentiendum de Angelis et primo homine. Quare præter primam gratiam nihil est necesse ponere continuum illum Dei influxum in hominem velut ipsius gratiæ bonæque voluntatis alimentum, seu fomentum quoddam extrinsecùs adhibitum : cujusmodi ponitur ab eis, qui prioris sunt sententiæ. Non quòd Deus verè non influxerit continuò in homine justitiam ac bonam voluntatem, quandiu is permansit in Dei obedientia : sed quia ipsa prima gratia, sive ea vocetur justitia, sive bona voluntas, non nisi continuo Dei influxu retineri et conservari potuit. Quare hujusmodi continuus influxus non aliud in homine erat, quàm gratia conservata et continuata.

Illud verò adjutorium quod ponit posterior opinio, nequaquam sufficit, eo quidem modo intellectum quo à suis auctoribus explicatur. Dicunt

§. 3. De Necessitate Gratiæ, et de Libertate hominis peccatoris.

I. Possumusne aliquid boni agere sine gratia, quæ per Christum datur ?

R. Nihil omninò quod prosit ad salutem : non servare mandata Dei, non surgere à peccato : non Deum orare, non desiderare ; *imò nec sufficientes sumus cogitare* quidquam boni *ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est* per Christum. (2. *Cor.* III. 5.) (A)

I. Possumusne mandata Dei cum auxilio Dei exsequi et perficere ?

enim, adjutorium illud fuisse cooperationem Dei cum homine per auxilium speciale. Hanc autem cooperationem intelligunt, quâ Deus cooperatur homini si velit ; non autem quâ fiat ut velit. Itaque cooperationem hanc et auxilium speciale Dei suspendunt à conditione voluntatis hominis, et proindè ipsam voluntatem, id est velle hominis, Deo tanquam causæ operanti non subjiciunt, sed magis cooperationem Dei subjiciunt hominis voluntati.

At veritas habet nec Angelum, nec primum atque integrum hominem potuisse benè velle, benè operari, bonum perficere, et in bono perseverare, nisi Deo hæc in illis et cum illis operante. Ac proindè hoc adjutorium operationis seu cooperationis divinæ, præter habitualem gratiam initio datam, fuisse tam Angelis quàm primo homini ad omnia ea quæ jam diximus, necessarium.

In Deum auctorem et causam primam, primumque motorem referenda est omnis actio, motio, forma, qualitas, natura, denique omne ens et omne quod creatum est, non ut in causam moralem, sed ut physicam, eamque propriissimè et intimè operantem atque movent em : ergo primo homini in statu integro non satis erat habere adjutorium seu cooperationem Dei, quâ posset si vellet, verùm etiam opus erat adjutorio, quo vellet, et perseveraret : utpote qui velle et perseverare non posset, nisi Deo hæc in eo operante. Et huc pertinent Scripturæ quæ Deum omnium rerum et omnium bonorum auctorem esse tradunt. (Rom. II. 36.) *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (Jacobi I. 17.) : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursùm est, etc.*

Secundum : Primus homo debebat Deum orare pro perseverantia, ergo ipsum perseverare etiam in primo homine fuisset peculiare Dei donum. Nam qui sentiunt, in primo statu hominis non fuisse opus oratione, graviter falluntur : cùm etiam Christus, cujus excellentissima fuit innocentia et rectitudo secundùm totam naturam humanam, legatur sæpè Deum Patrem orasse. Hanc verò de auxilio necessario primo homini sententiam esse. S. Thomæ, satis est manifestum, non modò ex quàm plurimis locis, ubi docet et diligenter inculcat id quod in primo argumento sumebatur; Deum esse omnium rerum, actionum et motionum causam propriissimè dictam : verùm etiam ex iis, quæ disputat de auxilio quod primo homini sive ad vitandum peccatum, sive ad merendum et perseverandum fuit necessarium. Scribens enim in dist. 24. hujus libri q. 1. artic. 4. in responsione ad primum « Dicendum, *inquit*, quòd Deus operatur in voluntate et natura, sicut prima causa in causis secundis. Et ideò sine ipso » adjuvante, nec lapis in esse conservaretur, nec deorsùm tenderet. » Similiter etiam nec humana natura sine eo vel consistere potest, vel « rectum motum voluntatis habere. » Quibus verbis planè significat, sic homini opus fuisse adjutorio et cooperatione Dei ad habendum rectum voluntatis motum, sicut ei opus erat operatione Dei ad hoc, ut in esse persisteret : et sicut sine Deo adjuvante nec lapis in esse conservatur, nec deorsùm tendit. In his autem operatio Dei non est suspensa à conditione alterius causæ concurrentis ; quin potiùs ipsa prima causa facit causas secundas operari, easque ut alibi S. Thomas loquitur, ad agendum applicat : ergo sic Deus per suam cooperationem adjuvabat hominem in bonis actionibus, ut ea cooperatio non dependeret ab hujusmodi conditione, si homo vellet, sed potiùs hoc ipsum efficeret.

R. Possumus. Licèt enim nihil possimus *à nobis quasi ex nobis* (2. *Cor.* III. 5.), *Omnia tamen possumus in eo qui nos confortat* (*Philip.* IV. 13.) : et Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis ; et adjuvat ut possis. (*S. August. de nat. et grat. cap.* 43. *n.* 50. *Concil. Trid. sess.* 6. *cap.* 11. (B)

I. Sufficiuntne ad bonum opus faciendum quod ad salutem prosit gratiæ exteriores ?

R. Non sufficiunt. Sed omninò necessaria est gratia Christi, quæ interiùs afficiat, et recipiatur, et moveat. (C)

I. Interior Christi gratia estne ad singulos actus necessaria?

R. Est omninò. Nihil boni possumus agere quod prosit ad salutem, nisi adsit gratia Dei interior ad singulos actus. (D)

Nec peccatores solùm, sed nec ipsi justi possunt quidquam, nisi adsit ad singulos actus gratia Dei interior. Alioqui laberentur in peccatum. (E) Ast justis nunquam ista deest gratia, peccatoribus verò non semper denegatur : et si gratiæ motibus obtemperaremus, in peccatum non incurreremus. (F)

I. Estne gratia necessaria ad cognitionem et amorem virtutis, vel veritatis ?

R. Non potest sine interiori gratia Dei haberi salutaris cognitio, vel amor virtutis (G), vel veritatis. (H) Nihil habere possumus ex nobis quod ad salutem prosit ; quidquid salutiferum est, procedit à gratia Dei per Christum. (I)

I. Unde tanta necessitas gratiæ Dei ?

R. Ex supremo Dei in creaturas dominio, quo fit ut creaturæ continuo ad agendum influxu conditoris indigeant, et ex infirmitate quam contraximus per peccatum, et ex nimia potentiæ et mediorum naturalium à fine et effectibus supernaturalibus distantia. (K)

I. Nonne libertatem habemus ad bonum et malum ?

R. Libertatem habemus quidem (L), sed valde debilitatam per peccatum. (D) Sumus omnes ad malum propensi, nec velle possumus bonum supernaturale, nisi libertas nostra adjuvetur et excitetur per gratiam Dei. (N)

I. Quid intelligis, cùm ais nos libertatem habere ?

R. Intelligo nos nunquam necessariò determinari sive ad bonum, sive ad malum, semperque cum gratia et præscientia Dei stare liberum hominis arbitrium. (O)

I. Possumusne resistere gratiæ Dei ?

R. Gratiæ Dei, eheu ! nimiùm resistimus. In eo libertatem nostram quotidiè infeliciùs experimur. Nec ulla gratia est, quantumvis efficax, cui non possimus resistere. Videte *ne quis desit gratiæ Dei*, inquit Apostolus. (*Hebr.* XII. 15.) *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti ;.... neque posse dissentire si velit.... anathema sit.* Verba sunt Concilii Tridentini. (*Sess.* 6. *can.* 4.) (P)

Ad Paginam 135. *lin.* 8.

(A) JOAN. XV. 5. Sine me nihil potestis facere.

2. CORINTH. III. 5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.

Vide auctoritates Scripturæ infrà hocce ;. *litt.* (D)

CODEX CANON. Eccles. Afric. *Can.* 111. *pag.* 1121. (*tom.* 2. *Concil. edit. Labb. Concil. Milevit.* II. *cap.* 3.) (*Conc. Afric. cap.* 78.) Item placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, quâ justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit.

Canon. 112. *pag.* 1124. (*Concil. Milevit.* II. *cap.* 4.) (*Conc. Afric. cap.* 79.) Item quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debemus, etiam facere diligamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, agere valeamus; anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus : *scientia inflat, charitas verò ædificat* (1. *Cor.* VIII. 1.) : valdè impium est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, et ad eam quæ ædificat, non habere ; cùm sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus ; ut ædificante charitate, scientia nos non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est : *Qui docet hominem scientiam* (*Ps.* XCIII. 10.) ; ita etiam scriptum est : *Charitas ex Deo est.* (1. *Joan.* IV. 7.)

Canon. 113. (*Conc. Afric. cap.* 80.) Item placuit, ut quicunque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam ; tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficiliùs potestis facere; sed ait, *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

CONCIL. DIOSPOLIT. 14. Episcop. *pag.* 1529. *tom.* 2. *Concil. edit. Labb. inter errores quos ipse Pelagius damnavit sequentes occurrunt. Septimò.* Et gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.

Octavò. Et gratiam Dei secundùm merita nostra dari.

Nonò. Et filios Dei non posse vocari, nisi omni modo absque omni peccato fuerint effecti.

Decimò. Et non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio ; quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid, vel non facere.

Undecimò. Et victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.

Duodecimò. Et quòd petentibus veniam, non datur secundùm gratiam et misericordiam Dei, sed secundùm merita et laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ.

Hæc omnia Pelagius sic anathematizavit.

Supradictis ejuratis erroribus, sequentes propositiones ei ad credendum proponuntur. Septimò. Ut fateatur gratiam Dei et adjutorium ad singulos actus dari, eamque non dari secundùm merita nostra.

Octavò. Ut reverà sit gratia, id est gratis data per ejus misericordiam, qui dixit : *misereor cujus misertus ero, et misericordiam præstabo cui misertus ero.* (*Rom.* IX. 15.)

Decimò. Ut fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indigeat adjutorio.

Undecimò. Ut fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam : non enim aliter verum est, quod Apostolus ait : *non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.)

Duodecimò. Ut fateatur secundùm gratiam et misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundùm merita eorum ; quemadmodum etiam ipse pœnitentiam, donum Dei dixit Apostolus, ubi ait, *ne fortè det illis*

Deus pœnitentiam. (2. *Timoth.* II. 25.) Hæc omnia simpliciter sine ullis fateatur ambagibus.

AUCTOR *Recognit. sub nomine* S. CLEMENTIS *laudatus*, *lib.* 4. Desiderium audiendi verbi Dei, et voluntatem ejus quærendi, ex Deo habent: et hoc est initium doni Dei quod gentibus datur; ut possint per hoc doctrinam percipere veritatis.

Lib. 8. Indulsit per singulas gentes, Angelos quosdam agere principatum, qui malis gaudent: quibus tamen eà conditione potestas adversùm unumquemque mortalium data est, si priùs se ipse quis peccando eis fecisset obnoxium: donec adveniret ille, qui bonis gaudet: et completur per ipsum numerus justorum: et per omnem mundum crescente multitudine piorum, aliqua ex parte reprimeretur impietas: et innotesceret omnibus, quòd omne, quod bonum est, à Deo sit. Ex arbitrii autem libertate unusquisque hominum, dum incredulus est de futuris, per malos actus incurrit mala.

S. BASIL. *Homil.* 31. *de libero arbitrio.* Quibus inest divina lex: *non atramento* et litteris *inscripta*, *sed spiritu Dei viventis*, *nec tabulis lapideis* impressa, *sed tabulis cordis carnalibus* insita (1. *Cor.* III. 3.): illi mentis oculis illuminati, ac semper non sensibili, sed spirituli spe affecti, exactè sciunt, quàm impossibile sit propriis viribus offendicula versuli hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui verò verbi Dei honore cumulati non sunt, ii frustra inflati, libero se putant arbitrio peccati occasiones abolere posse, quod per solum crucis mysterium aboletur. Liberum enim illud quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, ut velit, vel nolit resistere diabolo, non in eo quòd possit penitùs adversùs affectiones imperium obtinere. *Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem*, aut *ædificaverit domum*, *frustrà laborat ædificans.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Impossibile namque est ambulare *super aspidem et basiliscum*, et calcare *leonem et draconem* (*Psal.* XC. 13.), eum, qui non priùs seipsum, quatenùs homini possibile est, repurgavit, ut possit corroborari ab eo qui Apostolis dixit: *Ecce dedi vobis potestatem calcare supra serpentes et scorpiones*, *et supra omnem virtutem inimici.* (*Luc.* X. 19.) Siquidem enim humana natura extra Spiritûs sancti armaturam diaboli insidiis resistere posset, utique ab Apostolo dictum non esset: * *Deus autem pacis conteret satanam sub pedes vestros brevi.* (*Rom.* XVI. 20.) Et iterum: *Quem Dominus Jesu interficiet spiritu oris sui.* (2. *Thessal.* II. 3.) Quapropter et jussi sumus precari Dominum, ne ingrediamur in tentationem, sed ut liberet nos à malo. Nisi enim potentiori auxilio ab ignitis mali hostis jaculis liberati, adoptionem filiorum Dei promeruerimus, inanis erit conservationis nostræ conatus, utpotè procul à virtute crucis dissilus. Itaque qui divinæ gloriæ particeps esse, et quasi in mundo quodam speculo formam Christi menti suæ infusam videre cupit, opus habet, ut amore insatiabili, et animi affectu inexplebili, ex omni corde et virtute, noctes atque dies, divinæ potentiæ auxilium ambiat, cujus participem fieri impossibile est, nisi eum, ut prædiximus jam, qui priùs fuerit alienus à mundanarum voluptatum mollitie et concupiscentiis adversariæ potestatis, quæ à lumine et bona operatione remota est, et extorris atque omnino peregrina.

S. EPHREM. Confess. *Precat. ad Deum.* Per prophetam tuum dixisti Domine: *Dilata os tuum et implebo illud.* (*Ps.* LXXX. 11.) Ecce igitur apertum jam est unà cùm corde, os servi tui: Divinà tuà illud reple gratiâ, ut in omni tempore benedicam tibi, Christe Deus Salvator meus. Perfunde cor meum amator hominum optime, rore divinæ tuæ gratiæ. Quemadmodum enim terra licèt seminata nequit à seipsa fovere germina, sine tuæ bonitatis visitatione: ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi, beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificaverit justitiæ fructum.

Ibid. in fine. Gloria ei qui dedit, undè ipsi offerre liceat.

Tract. De Agone sive luctamine spirituli, versùs finem. Factus es mihi, ô dominator Domine, Filii Dei vivi, fons vitæ, ex quo dona tua hauriam, et te sine intermissione diligens collaudem. Facta est gratia tua in corde famuli tui lumen et gaudium, et dulcis ori meo super mel et favum. Facta est gratia tua in anima servi tui, quasi thesaurus, ineffabiles mihi divitias tribuens, et paupertatem atque miseriam à me longè expellens.

Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, gloriatio et protectio, et esca spiritalis suavitate et lumine plena. Quomodo possum silere, ò Domine, de illa multitudine dulcedinis charitatis tuæ, et gratiæ: quæ os meum licèt indignissimi hominis et peccatoris aperuit? Aut quo pacto sustinebit lingua mea, ut non te singulis horis atque momentis datorem vitæ glorificet? Aut quomodo rursùs potero inundationes gratiæ tuæ excludere, quæ jugiter fluunt in pectore humilitatis meæ, plenæ dulcedine et omni gratiâ spiritali.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 74. *ad pop. Antioch. de SS. Martyr.* Intelligas divinæ gratiæ accepta ferenda esse, quæ hic cum laude præstantur.

JOAN. HIEROS. *Homil. poster. in Ps.* L. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Ps.* L. 12.): Benè dixit, *Innova:* De novo namque fabricata est domus, quam inveteraverat peccatum; rogo ut innovet gratia.

Comment. in Matth. cap. 4. Propterea infatigabilis est in malo diabolus, sed misericordia Dei repellit eum: et si permittit eum paulisper tentare, propter fidem probandam; tamen repellit eum propter infirmam naturam.

Cap. 10. Luporum crudelitas mitescere nescit; nisi gratia Christi faceret, quod ipsa natura fieri negat. Non ut vestra virtus, aut solertia æstimetur, aut laudetur in vobis; sed ut nominis mei potestas intelligatur, et glorificetur per vos: quia fortior est gratia Dei, quàm rerum natura.

Cap. 12. Homo si diutiùs fuerit in possessione diaboli, usu longi temporis vendicat sibi dominium super eum, ita ut nemo possit eum à dominatione diaboli liberare, nisi sola potentia Dei.

Cap. 23. Quis autem diligit Deum? Qui omne bonum credit apud Deum, et omne bonum credit esse Deum, et extra Deum non credit esse bonum. Qui omnem virtutem, et sapientiam credit esse Deum, et extra Deum non credit esse aliquam sapientiam, neque virtutem. Qui credit Deum omnia facere, et sine Deo nihil fieri posse, ille totâ animâ diligit Deum.

Cap. 25. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, dixit: Domine quinque talenta tradidisti mihi* (*Matth.* XXXV. 20.): Vide, bonus servus, non quasi glorians in opere suo, non primùm lucri talentorum memoriam facit; sed primùm memorat quæ accepit, posteà quæ invenit: ut ostendat non studii sui aut laboris esse, quod acquisivit: sed beneficiorum Domini sui, quibus acquisivit. Tanquam si dicat: Domine, ego quantùm ad meum studium et laborem, nec modicam quidem justitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: *sed plus omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.....* (1. *Cor.* XV. 10.) Omnis enim vir justus, qui facit opera bona solùm propter Deum, cùm venerit in recordationem actuum suorum bonorum; necesse habet venire frequenter, aut Deo movente cogitationes cordis ejus in eo, aut diabolo, prætermisso Deo; nescio tamen cùm venerit considerans intra se et actus suos bonos, et naturam carnis suæ malevolam, sic loquitur in cogitationibus suis: Non ego hæc feci. Nec enim credibile sine Deo naturam carnis injustam facere opus justum; sed virtus gratiæ Christi, quam dedit hominibus per fidem nominis sui... Congratulatur autem justus apud seipsum: primùm, quia nihil eorum sibi imputavit, sed omnia Christo, propter quod superadditur ei gratia Spiritûs sancti, et introducit eum in suum gaudium: ut sic gaudeat in futuræ spe gloriæ suæ, sicut gaudet et Christus: *Venite*, inquit, *benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi* (*Matth.* XXV. 34.): quia dedistis quæ semper habere non poteratis; recipite quæ in perpetuum possideatis. Meritò centuplum super cœlum: qui unum seminastis in terra. Non enim quantum justitia hominum potest mereri, tale creatum est regnum cœlorum; sed quale Dei virtus potuit præparare. Si enim secundùm angustias humanæ justitiæ regnum cœlorum creare voluisset, utique post opera hominum illud creasset: nunc autem quoniam non secundùm suam largitatem constituit mercedem sanctorum: ideò antequam sanctos crearet in seculo, regnum cœlorum præparavit in cœlo. Propterea et quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, et tandiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cœlesti. Quia non secundùm modicitatem hominum regnum Dei exinanitur, sed secundùm magnitudinem regni homines sublevantur.

Homil. de pœnitent. Ad illud unicum animarum medicamentum, Deum

loquor, ociùs evola. Cor enim curare solus potest *qui finxit singillatim corda* nostra, et *intelligit super omnia opera* nostra. (*Ps.* XXXIII. 15.) Ipse ergo nostram subire conscientiam, mentem tangere potest, et animam flectere potest. Si verò ille minùs inclinaverit corda nostra; superfluum erit atque inutile quidquid ab hominibus exigetur. Quemadmodum etiam Deo exhortante et consolante, quamvis mille nos hominum molestaverint, haud in re sanè vel minima offendere poterunt. Nam cùm ille in solido cor posuerit: nemo id vel moveri coëgerit. Hæc igitur scientes ad Deum semper confugiamus, et volentem potentemque nostras molestias solvere.

S. JOAN. DAMASC. *Orthod. fidei. lib.* 4. *De providentia, cap.* 29. Illud autem nosse operæ pretium est, rerum, quæ sub actionem cadunt, electionem quidem in nobis sitam esse: cæterùm probarum actionum finem, Dei auxilio adscribendum esse, justè videlicet iis, qui rectà conscientiâ bonum amplexi sunt, secundùm præscientiam suam opem ferentis: malarum contrà, Dei derelictioni, malum nimirùm hominem secundùm præscientiam suam non immeritò deserentis... Ex iis quæ in nostro arbitrio consistunt, ea quidem, quæ bona sunt primariè vult, gratiaque habet Deus: mala contrà nec primariè nec secundariè, verùm libero arbitrio ea permittit.

De Præscientia et prædestinatione, cap. 30. Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate atque arbitrio sita sunt: at non item ea præfinit. Nec enim vitium admitti vult: nec rursùs virtuti vim affert... Quin illud quoque sciendum, virtutem quidem naturæ nostræ divinitùs inditam esse, Deumque ipsum omnis boni fontem atque auctorem esse, nec citra ipsius opem atque auxilium fieri posse, ut bonum velimus, aut faciamus: cæterùm nobis liberum esse, vel in virtute perstare, Deumque nos ad eam vocantem sequi, vel à virtute abscedere, hoc est in vitio hærere, ad diabolum, qui citra vim ullam ad id nos vocat, ducem sequi.

THEOD. STUD. *lib.* 2. *Epist.* 71. *Naucratio.* Christus ipse, quem martyres confitentur, gaudens et unà certans adest unicuique confitentium. Nisi enim ita res esset, haudquaquam perferrent qui præsentia strenuè perferunt: haudquaquam mulieres virilem animum gererent ad exemplum antiquarum sanctarum: haudquaquam et laïci et senatores ad agones prosilirent: haudquaquam puellæ ipsæ impiorum marium aspectum contemnerent: haudquaquam ostenderentur ubique publicæ custodiæ; nec refertæ essent solitudines et montes et silvæ et speluncæ iis qui propter Dominum ejecti sunt: non denique, ut concludam, universa concuteretur terra. Quare manifestò credunt persecutionem pati Christum, sperandumque simul et audendum: ut supplicia quævis in veritate credens, cum Christo, et adjuvante Christo, quisque sustineat.

Epist. 134. *ad Euphrosin. Præpositam.* Quandoquidem igitur ipsa sic vocata es, gaude et time: illud quidem ob spem: istud verò ob sollicitudinem. Sic præsis, et prosperè agas, pascens, gerensque de sororum contubernio curam. Tenent te ea quæ fama narrat, inquis; sed habes adjutorem Deum, efficaxque maternarum precum auxilium. In illum curam omnem tuam abjice, et ipse expedita efficiet consilia tua. Deesse tibi aliquem dixeris qui te ritè defendat? Sed præsidem habes ipsum quem dilexisti Dominum: deindè et custodem vitæ tuæ Angelum, qui te ex omni malo eripiat. Quare ne demitte animum, sed erige.

S. MARC. Erem. *de baptism. pag.* 94. *Quicunque enim*, ait, *in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (*Galat.* III. 27.) At cùm Christus sit perfectus Deus, baptizatis perfectam sancti Spiritûs gratiam largitur: quæ nullum à nobis incrementum accipit, sed revelatur et seipsam prodit nobis, pro modo observationis mandatorum: quæ nobis præstat accessionem fidei, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* (*Ephes.* IV. 13.) Si quid igitur regenerati offeramus ei, illud jam erat ab eo in nobis reconditum: quemadmodum scriptum est (*Rom.* XI. 34. 35. *et* 36.): *Quis cognovit sensum Domini: aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia....*

Intelligito etiam, antequam prodires ad agendum, Deum opem tibi

laturum fuisse, si voluisses. Cùm itaque senseris in corde tuo auxilium tibi suppetere, intellige diligenter non extrinsecùs transitivo motu gratiam advenisse : sed per baptismum tibi donatam occultè, nunc operari pro modo quo cogitationem odio prosecutus averteris. Hac de causa Christus, cùm omni violentiâ nos eximeret, cogitationum insultationem non cohibuit ab animo: ut quæ ex animo odio haberentur, quamprimùm delerentur; quæ verò gratæ essent, quandiu diligerentur, tandiu permanerent: quò perspicua fieret gratia Dei, et voluntas hominis, quidnam amaret: an labores, propter gratiam : an cogitationes, ob voluptatem.

De lege spirit. n. 108. Una est et immutabilis gratia Spiritûs : operatur autem in unoquoque, quemadmodùm sibi visum fuerit.

N. 109. Quemadmodùm pluvia terræ infusa, accommodam qualitatem plantis suppeditat, dulcem quidem dulcibus, acerbam autem acerbis : sic quoque gratia in corda fidelium assiduè descendens ac influens, convenientes virtutibus actiones largitur: Esurienti propter Christum, cibus fit : sitienti potus delicatissimus : algenti indumentum : laboranti requies: peccanti cordis spes: et lugenti consolatio.

S. Cyprian. *ad Donat. lib. de grat. Dei.* Accipe quod sentitur antequam discitur ; nec per moras temporum longâ agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur... Gratum quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur : ut jam non peccare esse cœperit fidei, quod ante peccatum est fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei omne quod possumus : indè vivimus, indè pollemus, indè sumpto et concepto vigore, hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Sit tantùm timor innocentiæ custos, ut qui in mentes nostras indulgentiæ cœlestis allapsu clementer Dominus infulsit, in animi oblectantis hospitio justâ operatione teneatur : ne accepta securitas indiligentiam parial, et vetus denuò hostis obrepat... tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ spiritalis augetur. Non enim, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere cœlesti mensura ulla vel modus est : profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur ; manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantùm sitiat pectus et pateat, quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.

Testim. lib. 3. *ad Quirinum, n.* 4. In nullo gloriandum quando nostrum nihil sit; in evangelio *kata* Joannem : *Nemo potest quidquam accipere nisi datum fuerit illi de cœlo.* (*Joan.* III. 27.) Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Quid enim habes quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.) ? Item in *Basileion* primo : * Nolite gloriari neque loquamini elata, et non procedat magniloquentia ex ore vestro : quia Deus scientiarum Dominus. (1. *Reg.* II. 3.) Item illic :* Invalidus factus est arcus potentium, et infirmi accincti sunt virtute. (*Ibid.* 4.) De hoc ipso in Machabæis : *Justum est subditum Deo esse, et mortalem non paria Deo sentire.* (2. *Machab.* IX. 12.) Item illic : *Et verba viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus in stercora erit et in vermes. Hodie extolletur, et cras non invenietur : quoniam conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.* (1. *Machab.* II. 62. *et* 63.)

N. 10. In Deum solum fidendum, et in ipso gloriandum esse; apud Jeremiam (IX. 23. *et* 24.): * *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur fortis in fortitudine sua : neque glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur intelligere et nosse quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam super terram : quoniam in his est voluntas mea, dicit Dominus.* De hoc ipso in Psalmo LV. 11. *In Domino speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Item illic : Non nisi soli Deo subjecta est anima mea. Item in Psalmo CXVII. 6. *Non metuam quid faciat mihi homo, Dominus mihi auxiliator est.* Item illic : *Bonum est confidere in Domino, quàm fidere in homine. Bonum est sperare in Domino ; quam sperare in principibus.* (*Ibid.* 8. *et* 9.) De hoc ipso apud Danielem : * *Responderunt autem Sidrac, Misac, et Abdenago et dixerunt regi Nabuchodonosor : Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberabit nos. Et si non, notum sit tibi quia diis tuis non servimus et imaginem auream quam statuisti non adoramus.* (*Dan.* III. 16. 17. *et* 18.)

Item apud Jeremiam: * *Maledictus, homo qui spem habet in homine:* et *benedictus homo qui fidet in Domino, et erit in Deo spes ejus.* (*Jerem.* XVII. 5. *et* 7.) De hoc ipso in Deuteronomio: * *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* (*Deut.* VI. 13.) De hoc ipso ad Romanos: * *et coluerunt et servierunt creaturæ, relicto creatore, propter quod et tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* (*Rom.* I. 25. *et* 26.) De hoc ipso apud Joannem: * *Major est qui in vobis est, quàm qui in hoc mundo.* (1. *Joan.* IV. 4.)

S. HILAR. *in Ps.* CXVIII. *n.* 14. Exhortationem præsentium humiliationum ex misericordia Dei deprecatur; quia humana infirmitas impar sit tolerantiæ passionum dicens, * *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me secundùm eloquium tuum servo tuo.* (*Psal.* CXVIII. 76.)

In Psal. CXXIII. *n.* 9. *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* (*v.* 8.) Hoc adjutorio laqueus conteritur, hoc adjutorio liberamur, in nomine Domini qui fecit cœlum et terram.

In Psal. CXXVI. *n.* 7. Sanctitas, æquitas, continentia humana, Deo templum est.

N. 8. Domus ergo hæc ædificanda per Deum est. Humanis enim operibus exstructa non permanet, nec doctrinis seculi instituta consistit, nec inanis laboris et sollicitudinis nostræ curâ custodietur. Exstruenda aliter est, custodienda aliter est.

N. 10. Hæc igitur civitates, id est, sancti cujusque corporis atque animæ Deo placitus incolatus et cœtus, hunc unum habent perfectæ hujus beatitudinis et ædificationis artificem. Ædificanda ergo per Dominum est hæc civitas, ut in augmentum consummationis suæ crescat. Non enim jam ædificatio cœpta perfectio est: sed per ædificationem perfectionis consummatio comparatur.

N. 11. Cæterùm in ædificandis his domibus corporum, et animarum civitatibus, humanæ artes vacant. Inanes enim sunt omnes Philosophorum vigiliæ, et otiosæ sollicitudines, et frustratum in investigandis naturæ secretis et perscrutandis mundi laboribus studium. Sed lapsuram citò domum operatio talis ædificat.

N. 12. Civitas ergo à Deo est ædificanda quæ maneat; quia humana ædificatio infirma sit et caduca.

In Psal. CXLII. *n.* 7. In eo autem, quòd et memor antiquorum dierum, et in operibus Dei meditatus est, atque meditabitur, quanquam per fidem suam coperit, tamen non proprium suum esse, ne insolens existimetur, sed per auxilium Dei ad quem oravit sibi indultum esse demonstrat, dicens, *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua.* (*v.* 6.)

N. 22. *Voluntatem timentium se faciet.* (*Psal.* CXLIV. 19.) Non turpium voluntates, neque vitiosorum cupiditates Deus faciet; sed *timentium se*, per metum innocentes, per fidem honestas, per reverentiam verecundas: et voluntates non otiosas, neque mutas, neque sperare aliquid à se quodam contemptu silentii dedignantes; sed quas eloquatur oratio, quas preces contestentur. Et ideò subjecit, *Et orationem eorum exaudiet.* Voluntas ergo ea à Deo fit, quæ voce orationis exauditur.

MARII VICTOR. AFRI, *advers. Arium, lib.* 1. *pag.* 258. *Tom.* 4. *Bibl. PP.* Præterea ampliùs istud dicit quòd divisiones gratiarum à spiritu sunt, à Deo quidem gratiæ, divisiones autem à spiritu, in actionem enim alia existentia Spiritus sanctus, in substantia *omoousion*, quoniam Spiritus sanctus sicut et ministerii Domini, ipse etenim dividit ministeria in operatione vitæ operans, et ipse in substantia sua secundùm operationem vitæ. In substantia autem *omoousios*; quòd spiritus et operationes à Deo. Operationes autem multæ, sed in omnibus idem Deus. Differt autem Deus, quòd ipse facit divisiones operationum, ipse tamen in omnibus omnia operans, ipsum enim esse operationis causa cùm sit, operationum divisiones facit.

S. AMBROS. *de Interpellat. David. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 4. Ille quidem omnibus bonus est, quia *Salvator est omnium*, *maximè fidelium* (1. *Timoth.* IV. 10.); et ideò venit Dominus Jesus, ut salvum faceret quod perierat: venit enim ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris, ideò volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt

igitur sanitatem qui medicinam expetunt : illi autem qui refutant medicum nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur : ideòque his bonus est medicus, quos sanavit. His igitur bonus est Deus, quibus peccata donavit : qui autem insanabile peccatum habet mentis suæ ulcere, quomodo potest medicum bonum æstimare, quem refugit ? Pulchrè itaque Apostolus, ut præmisimus, explanavit, quia et omnibus bonus est Deus, *qui vult omnes homines salvos fieri* (1. *Timoth.* II. 4.) : et maximè fidelibus divinæ bonitatis prærogativa servatur, quibus et voluntas Dei opitulatur et gratia.

De bono mortis lib. 1. *cap.* 12. *n.* 54. Undè voluntatis divinæ dubitamus effectus ? Sed Christi velle, fecisse est.

N. 55. Sequimur te, Domine Jesu : sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita.

De fide resurrect. lib. 2. *n.* 40. * *Video enim legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* (*Rom.* VII. 23.) Omnes impugnamur, omnes sentimus : sed non omnes liberamur. Et ideò *infelix ego homo*, nisi remedium quæram.

N. 41. Sed quod remedium ? *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum.* (*Ibid.* 24. *et* 25.) Habemus medicum, sequamur remedium. Remedium nostrum Christi gratia est, et corpus mortis corpus est nostrum... Etsi in corpore sumus, tamen quæ sunt corporis non sequamur, nec deseramus jura naturæ, sed dona gratiæ præoptemus.

In Psal. XXXVI. *Enarrat. n.* 15. Sed quia obnoxia fragilitati omnis humana conditio est, et non nostræ est potestatis iter nostrum ex voluntate dirigere ; ideò tibi dicit : *spera in Domino, et ipse faciet.* (*Ps.* XXXVI. 5.)

In Psal. XXXVII. *Enarr. n.* 55. Et tamen quamvis subsequatur justitiam, non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si non deseratur à Christo ; eoque orat impensiùs dicens : *ne derelinquas me, Domine Deus meus ; ne discesseris à me.* (*Ps.* XXXVII. 22.)

In Psal. XLV. *Enarr. n.* 15. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* (*Psal.* LXXIX. 4.) Augustinus ergo Dei, salus nostra est, atque in ejus vultu nostrum est adjumentum... Quem Dominus respicit, salvat.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 4. *n.* 22. Quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare et tu, et dicito : *Infelix ego homo*, quis amovebit à me iniquitatis viam ? *gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.)

In Exposit. Evang. sec. Luc. lib. 1. *n.* 10. *Visum est*, inquit, *et mihi.* (*Luc.* I. 3.) Potest etiam non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate tantùm humanâ visum est : sed sicut placuit ei *qui in me*, inquit, *loquitur Christus* (2. *Cor.* XIII. 3.) ; qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur : quem enim miseratur, et vocat. Et ideò qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere : *visum est mihi.* Quod cùm dicit, non negat Deo visum : à Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.

Lib. 3. *n.* 77. Ostendens nobis (*David peccato suo*) neminem virtuti propriæ debere confidere. Habemus enim adversarium magnum, qui vinci à nobis sine Dei favore non possit.

Lib. 7. *n.* 208. Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit, quærit Ecclesia, recipit Pater. Quasi pastor revehit, quasi mater inquirit, quasi pater vestit. Prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio. Singula singulis quadrant : redemptor subvenit, Ecclesia suffragatur, auctor reconciliatur. Eadem divini operis misericordia, sed diversa pro meritis nostris gratia.

AMBROSIASTER *Comment. in Epist. ad Corinth.* 2. IV. 7. *Habentes autem thesaurum hunc in vasis fictilibus ; ut excellentia sit virtutis Dei, et non ex nobis...* Fictilia ergo vasa dicens, infirmitatem naturæ humanæ significat, quæ nihil potest, nisi à Deo acciperet virtutem, et ad laudem suam Deus per hæc se prædicet, quæ infirma sunt ; ut gloria illi detur, non homini qui ex luto fictus est.

Comment. in Epist. ad Philippens. II. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis, et velle et operari pro bona voluntate.* Deum bonos conatus adjuvare testatur; omnem enim gratiam semper reportat ad Deum; ut nostrum sit velle (*subaudi* cum gratia), perficere verò Dei. Nam quìs vinceret Principes ac Potestates, rectores tenebrarum harum, spiritalia nequitiæ in cœlestibus, nisi solus Deus, quos causà invidiæ inimicos habemus.

D. HIERON. *Comment. lib.* 4. *in Jerem. cap.* 23. Et quia solent hæretici semper prospera polliceri et cœlorum regna peccatoribus pandere: ut dicant, Parata sunt tibi regna cœlorum, potes imitari majestatem Dei, ut absque peccato sis. Accepisti enim liberi arbitrii potestatem, et legis scientiam, per quam consequaris quod volueris: decipiuntque blanditiis miseros, et maxime * *mulierculas oneratas peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ* (2. *Tim.* III. 6.): semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: et omnes auditores suos adulatione decipiunt. Idcircò Dominus verba sua hæreticorum paleis comparans dicit: *nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram* (*Jerem.* XXIII. 29.)? Meus enim, inquit, sermo nuntiat futura supplicia, ut deterreat homines à peccando: et paleis peccatorum comminatur incendium, ut hæreticorum corda dura et instar silicis indomabilia, sermonis sui malleo conterantur: auferens cor lapideum ut ponat pro eo cor carneum: molle videlicet et quod possit Dei suscipere et sentire præcepta.

Comm. in Ezech. lib. 13. *Cap.* 44. Et peccatores et justi Domini propitiatione salventur, dicente Apostolo Paulo: * *Reconciliati sumus Deo in sanguine filii ejus.* (*Rom.* V. 10.)

Lib. 1. *Dialog. adv. Pelag.* (1. *Joan.* I. 9.) *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate.* Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia, dicente sanctâ Scripturâ: * *justus accusator sui est in principio sermonis.* (*Prov.* XVIII. 17.) Et in alio loco: *Dic tu peccata tua, ut justificeris.* (*Is.* XLIII. 26. *secund.* LXX.) *Conclusit enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur.* (*Galat.* III. 22.) Et hæc hominis summa est justitia, quidquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini qui largitus est... *Et aliquantò post.* Elisabeth et Zacharias quo testimonio, quasi impenetrabili uteris clypeo nos docere possunt, quantò inferiores sunt beatæ Mariæ matris Domini sanctitate, quæ conscientiæ in se habitantis Dei liberè proclamat (*Luc.* I. 48. *et seq.*): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo.* In quo animadverte, quòd beatam se esse dicat, non proprio merito atque virtute, sed Dei inhabitantis clementiâ.

Lib. 2. *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.* (1. *Cor.* III. 7.) Ipsius enim agricultura, ipsius ædificatio sumus. Juxta gratiam Dei, quasi sapiens architectus posuit fundamentum... Et ut sciamus non ex nobis, sed ex Dei cuncta pendere judicio: *veniam,* inquit, *citiùs ad vos, si Dominus voluerit.* (1. *Cor.* IV. 19.) Qui enim dicit, *veniam ad vos*, ostendit se velle, monstrat cupere, promittit adventum. Sed ut cautiùs hæc loquatur, infert, *si Dominus voluerit. Fidelis autem est Dominus, qui servabit vos, et custodiet à malo.* (2. *Thess.* III. 5.) Ergo non liberi arbitrii potestate, sed Dei clementiâ conservamur..... *Et multò post. Dicebat autem*, inquit, *et parabolam illis, quod semper oportet orare et nunquam deficere.* (*Luc.* XVIII. 1.) Frustrà semper oramus, si in nostro arbitrio est facere quod volumus. Dixerunt Apostoli: *Et quis potest salvus esse?* Audiunt à Domino: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum sunt.* (*Matth.* XIX. 25.) (*Marc.* X. 26. 27.) Ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, certè ea esse possibilia ex eo ostenditur, quòd apud Deum possibilia sunt. Sit ergo et apud Deum possibile, homini, si velit, donare impeccantiam, non ipsius merito, sed suâ clementiâ: et apud homines nequaquam possibile liberi arbitrii potestate, quod nutu donantis accipitur... * *Dum essem*, inquit, *in mundo cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi custodini: et nullus ex eis periit, nisi unus filius perditionis.* (*Joan.* XVII. 22.) Non dixit: Dedi eis liberi arbitrii

potestatem, ut ipsi se suo labore salvarent; sed, Ego custodivi eos, servavi..... *Pro nihilo*, inquit, *salvos faciet eos* (*Ps.* LV. 8.), haud dubium quin justos, qui non proprio merito, sed Dei salvantur clementiâ... Ipsa de bonis ad meliora mutatio, non meárum virium, sed dexteræ et potentiæ Dei est. *In æternum misericordia ædificabitur.* (*Ps.* LXXXVIII. 3.) Nullum enim tempus est, quo non ædificetur misericordia in singulis quibusque Sanctorum, et his qui de peccatis transeunt ad virtutes.

Lib. 3. Nos dicimus posse Deum quidquid voluerit: et hominem per se propriâ voluntate, quod tu asseris, sine peccato esse non posse: sin autem potest, frustrà nunc jungis et gratiam, quà potens non indiget. Quod si non potest absque Dei gratia, stultè tu dixisti posse quod non potest. Quidquid enim ex alterius pendet arbitrio, non ejus est quem posse contendis; sed illius, sine quo eum non posse perspicuum est.

S. AUG. *Retractat. lib.* 2. *cap.* 42. Hominis naturam contra Dei gratiam quâ justificatur impius, et quâ Christiani sumus, quantâ potuit argumentatione defendit (*Pelagius.*)

Confess. lib. 2. *cap.* 7. *n.* 15. Diligam te, Domine, et gratias agam, et confitear nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala et nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo, et quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor; et quæ meâ sponte feci mala, et quæ te duce non feci. Quis est hominum qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam; ut minùs amet te, quasi minùs ei necessaria fuerit misericordia tua, quâ donas peccata conversis ad te. Qui enim vocatus à te secutus est vocem tuam, et vitavit ea quæ me de meipso recordantem et fatentem legit, non me deridet ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi præstitum est ut non ægrotaret, vel potiùs ut minùs ægrotaret: et ideò te tantumdem, immò verò ampliùs diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

Lib. 10. *cap.* 29. Tota spes mea nonnisi in magna valdè misericordia tua. Da quod jubes, et jube quod vis.

De Genes. ad litt. cap. 14. *n.* 24. Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut in carne peccati de originali peccato veniente rectè vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis.

Quæst. in Exod. lib. 2. *Quæst.* 9. * *Dominus dicit ad Moysen, Sed nunc vade, et ego aperiam os tuum, et instruam te quæ locuturus es.* (*Exod.* IV. 12.) Satis hic apparet, non tantùm instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei voluntatem et gratiam pertinere. Non enim ait, Tu aperi os tuum, et ego instruam te: sed utrumque ipse promisit, aperiam et instruam. Alibi autem dicit in Psalmo, * *Dilata os tuum, et adimplebo illud.* (*Ps.* LXXX. 11.) Ubi significat in homine voluntatem accipiendi, quod Deus donat volenti: ut ad voluntatis exordium pertineat, *Dilata os tuum*; ad Dei autem gratiam, *Et adimplebo illud.*

Quæst. in Numer. lib. 4. *Quæst.* 53. Nec Sacerdotium quod priùs institutum est, cujus personam gerebat Aaron, nec ipsa Lex cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ: sed Jesus, in quo typus erat Domini Jesu Christi, id est gratia per fidem.

Lib. Annotat. in Job. cap. 37. Multi enim putant lumine suo fulgere animas, cùm sapientes sunt. Undè sunt illi, *qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I. 22.): et * *Spiritus transit, et mundabit eas.* (*Job.* XXXVII. 21.) Hic spiritum dixit, de quo dictum est, * *ab increpatione spiritûs iræ tuæ*, (*Ps.* XVII. 16.) et, * *à spiritu tuo quo fugiam.* (*Ps.* CXXXVIII. 7.) Per correptiones enim tentationum ostenditur hominibus meritum eorum, quia ipsi peccatis suis tenebræ sunt, et egent gloriâ Dei, ut illius lumine illustrari velint, illi dantes honorem, non sibi; atque ita depositâ superbiâ, mundentur à delicto magno: nam spiritus sanctificationis non transit, sed manet. * *Ab aquilone nubes coloris aurei.* (*Job.* XXXVII. 22.) Ab scelératissima impietate, et à Deo longè remota, veniunt tamen mundati atque conversi, et illuminati sapientiâ: undè, nisi per gratiam, quâ non merita attenduntur, sed peccata dimittuntur.

In Psal. XXXIV. *Enarr. Serm.* I. *n.* 5. Maximè suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis, quia Deus nobis non est adjutor: ut requirentes alia adjutoria, inveniamur invalidi, et ab inimicis ipsis capiamur. Hoc ergo suggeritur. Contra istas voces maximè vigilare debemus, quæ in alio Psalmo ostenduntur: *Multi insurgunt adversùm me, multi dicunt animæ meæ, Non est salus illi in Deo ejus.* (*Psal.* III. 2. *et* 3.) Contra istas voces quid hic dicitur? *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* (*Ps.* XXXIV. 3.) Cùm dixeris animæ meæ, *salus tua ego sum*, justè vivet, ut neminem in adjutorium præter te quæram.

In Psal. XXXVIII. *n.* 18. Ipsa est ergo Gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possumus, quidquid potentes sumus, in illo simus: ut *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) *Quando infirmor*, inquit, *tunc potens sum.* (2. *Cor.* XII. 10.)

Enarr. in Psal. LXVII. *n.* 7. Quis est locus iste? Ipse Deus eum sibi facit. Deus enim *habitare facit unius moris in domo* (V. 7.): hic est locus sanctus ejus.

N. 8. Quòd autem gratiâ suâ sibi ædificet hunc locum, non meritis omnibus præcedentibus ex quibus eum ædificat, vide quid sequatur: *Qui educit compeditos in fortitudine.* (*Ibid.*) Solvit enim gravia vincula peccatorum, quibus impediebantur ne ambularent in via præceptorum: educit autem eos in fortitudine, quam ante ejus gratiam non habebant.* *Similiter amaricantes qui habitant in sepulcris* (*Ibid.*): id est, omni modo mortuos, occupatos in operibus mortuis. Hi enim amaricant resistendo justitiæ: nam illi compediti forsitan volunt ambulare, nec possunt; Deumque precantur ut possint, eique dicunt, *De necessitatibus meis educ me.* (*Ps.* XXXIV. 17.) A quo exauditi gratias agunt dicentes, *Dirupisti vincula mea.* (*Ps.* CXV. 16.) Isti autem amaricantes qui habitant in sepulcris, in eo genere sunt, quod alio loco Scriptura significat, dicens, * *à mortuo, velut qui non sit, perit confessio.* (*Eccli.* XVII. 26.) Undè est illud, * *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit.* (*Prov.* XVIII. 2.) Aliud est enim desiderare, aliud oppugnare justitiam; aliud à malo liberari velle, aliud mala sua defendere potiùs quàm fateri; utrosque tamen gratia Christi educit in fortitudine. Quâ fortitudine, nisi ut adversùs peccatum usque ad sanguinem certent? Ex utroque enim genere fiunt idonei, quibus construatur locus sanctus ejus; illis solutis, illis resuscitatis. Quia et mulieris, quam alligaverat satanas per decem et octo annos, jubendo vincula solvit (*Luc.* XIII. 16.), et Lazari mortem clamando superavit. (*Joan.* XI. 43.) Qui fecit hæc in corporibus, potest mirabiliora facere in moribus, et facere uniusmodi habitare in domo: *educens compeditos in fortitudine, similiter amaricantes qui habitant in sepulcris.*

N. 13. Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur, *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Ps.* LXXXIV. 13.): ut bonum opus fiat non timore, sed amore; non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ. Ipsa est enim vera et sana libertas.

Enarr. in Psal. LXX. *Serm.* 1. *n.* 1. In omnibus Scripturis sanctis gratia Dei quæ liberat nos, commendat se nobis... Nobis commendare (Psalmum arbitror) gratiam Dei gratuitam, quæ nos liberat indignos, non propter nos, sed propter se.... Ut tota spes nostra in Deo sit, nihilque de nobis tanquam de nostris viribus præsumamus; ne nostrum facientes quod ab illo est, et quod accepimus amittamus.

N. 2. Dicit Psalmus, quid, nisi quod audistis ab Apostolo? Commendat nobis gratiam Dei; commendat nobis, quia per nosmetipsos nihil sumus: commendat nobis, quia quidquid sumus, illius misericordiâ sumus: quidquid autem ex nobis sumus, mali sumus. Quare ergo, *captivi*? et quare nomine captivitatis commendatur ipsa gratia liberatoris? Aperit, ipse dicit Apostolus, *condelector legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* (*Rom.* VII. 22. *et* 23.) Ecce habes duci captivum. Quid ergo commendat iste Psalmus? Quod sequitur ibi Apostolus, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Ibid.* 24. 25.)

N. 19. Quid tibi ergo profuit littera, quam non imples? Quare autem

non imples? Quia de te præsumis. Quare non imples? Quia negotiator es, opera tua extollis: nescis necessariam esse gratiam adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ecce jussit Deus, age quod jussit. Incipis agere quasi ex viribus tuis, et cadis; et manet super te littera puniens, non salvans. Meritò, *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* I. 17.)

N. 20. *Memorabor justitiæ tuæ solius*, inquit, prorsùs, ibi meam non cogito. *Quid enim habes quod non accepisti? si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.)? Justitia tua sola me liberat, mea sola non sunt nisi peccata. Non glorier ergo de viribus meis... Intrem in potentiam Domini, ut quando infirmus sum, tunc potens sim; ut tu in me sis potens, quoniam *memorabor justitiæ tuæ solius.* (*Ps.* LXX. 16.)

In Psal. LXX. *Enarr. Serm.* 2. *n.* 3. Præcessit iniquitas, ut expulsâ iniquitate succederet charitas; et renovatus in novum hominem spe duntaxat, nondum re, didicisti quòd nihil tui boni præcesserat, et gratiâ Dei conversus es ad Deum: jam fortè ex quo conversus es, habebis aliquid tuum, et de viribus tuis præsumere debes? Quemadmodum solent homines dicere, Jam dimitte, opus erat ut viam ostenderes, sufficit, ambulabo viam. Et ille qui tibi viam ostendit, Ne fortè vis ut deducam te? Tu autem si superbis, Absit, sufficit, ambulabo viam. Dimitteris, et per infirmitatem iterùm aberrabis. Bonum erat tibi ut deduceret te, qui priùs in via collocavit te. Cæterùm nisi et ipse ducat, rursùs errabis: dic illi ergo, *Deduc me Domine in via tua, et ambulabo in veritate tua...* (*Ps.* LXXXV. 11.) Quid dicam? Venit ad te qui tibi ostenderet viam? Venit ad te ipsa via, et constitutus es in ea nullis tuis meritis præcedentibus, quoniam utique errabas. Quid, ex quo ingressus es, jam regis te? Jam ille qui viam docuit te, dimittit te? Non, inquit: *Docuisti me ex juventute mea; et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.* (*Ps.* LXX. 17.) Mirabile est enim quod adhuc facis, ut regas me, qui in via posuisti me: et hæc sunt mirabilia tua... Si recedat Deus, moritur anima. Cùm ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat, et dimittit ut vivat sibi.

Enarr. in Psal. LXXXIII. *n.* 9. *Beatus vir cujus est susceptio ejus abs te, Domine.* (V. 6.)

N. 10. Quid ergo præstat Deus in hac gratia ei quem suscepit perducendum? Sequitur, et dicit, *ascensus in corde ejus.* (*Ibid.*) Facit illi gradus, quibus ascendat. Ubi illi facit gradus? In corde. Quantò ergo plus amaveris, tantò plus ascendes. *Ascensus*, inquit, *in corde ejus disposuit.* Quis? Qui suscepit eum: *Beatus* enim *cujus est susceptio ejus abs te, Domine.* Quia per se non potest, opus est ut gratia tua suscipiat. Et quid facit gratia tua? Disponit ascensus in corde.

Enarr. in Psal. LXXXII. *n.* 10. Sed etiam tales medici, quamvis non de suo curent, quia nec medici corporis curant de suo: tamen quantumlibet per fidele ministerium opitulentur saluti, viventes curare possunt, non mortuos excitare: de quibus dictum est, *Nunquid mortuis facies mirabilia* (V. 11.)? Nimis enim occulta Dei gratia est, quâ hominum mentes quodam modo reviviscunt, ut possint à quibuslibet ejus ministris præcepta sanitatis audire. Quam gratiam commendat in Evangelio dicens, *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum...* (*Joan.* VI. 44.) Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo: ut ostenderet etiam ipsam fidem quâ credit, et ex morte sui cordis anima reviviscit, dari nobis à Deo.

N. 12. *Mortuis non facies mirabilia?* Id est, non eis commovemur ad fidem, nec medici eos exsuscitabunt, ut confiteantur tibi in quibus occulta gratia tua non operatur, quâ trahantur ut credant: quia nemo venit ad me nisi quem tu attraxeris.

Enarr. in Psal. XCIII. *n.* 15. Hæc est ergo disciplina Christiana: Nemo facit aliquid benè, nisi gratiâ ipsius. Quod facit homo malè, ipsius est hominis: quod facit benè, de beneficio Dei facit. Cùm cœperit facere benè, non sibi tribuat: cùm non sibi tribuerit, gratias agat ei à quo acceperit. Cùm autem benè facit, non insultet illi qui illud non facit, aut extollat se super eum. Non enim in illo finita est gratia Dei, ut ad alium non perveniat.

Enarr. in Psal. XCIV. *n.* 10. Plora ante Dominum : securus plora ante Deum, qui te fecit ; non enim opus manuum suarum contemnit in te. Noli putare quia potes à te refici. A te deficere potes, tu teipsum reficere non potes : ille reficit, qui te fecit.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 4. *n.* 2. *Utinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* (*v.* 5.) Præcepisti quidem tu, sed utinam quod præcepisti fiat mihi. Ubi audis *utinam*, vocem optantis agnosce : et agnità voce optantis, depone superbiam præsumentis. Quis enim se dicat optare, quod sic habet in arbitrii potestate, ut nullo indigens adjumento id possit efficere ? Ergo si optat homo quod præcipit Deus, ut det ipse quod præcipit, rogandus est Deus. A quo enim optandum est, nisi ab illo, à quo *Patre luminum omne datum optimum et omne donum perfectum*, sanctâ Scripturâ teste, *descendit* (*Jacob.* I. 17.) ? Propter eos autem qui putant hoc solo nos ad faciendam justitiam divinitùs adjuvari, quòd Dei præcepta nobis in notitiam proferuntur, ut ea cognita, jam sine ulla Dei gratia, solis nostræ voluntatis viribus impleantur, non optat hic dirigi vias suas ad custodiendas justificationes Dei, nisi jam ejus acceptis ipso præcipiente mandatis.

In Psal. CXXXI. *Enarr. n.* 3. Ad quam rem *Memento Domine, David* ? *sicut juravit Domino, vovit Deo Jacob.* (v. 2.) Ergo ad hoc memento, ut impleat quod promisit. Ipse David vovit tanquam in potestate habens, et rogat Deum ut impleat quod vivit. Est devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat viribus suis se reddere quod voverit. Qui te hortatur ut voveas, ipse adjuvat ut reddas.

In Joann. Evang. cap. 7. *Tractat.* 29. *n.* 5. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus : et non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat.

In Joan. Evang. cap. 8. *Tractat.* 41. 9. Deus gratiâ suâ hoc in nobis agit, ut peccatum consumatur, homo liberetur. Sed quando consumitur, inquies ? Si minuitur, quare non consumitur ?

Serm. 145. *aliàs* 3. *de verbis Evang. Joan.* 16. *n.* 3. Lex timorem habet, gratia spem. Quid autem interest inter Legem et gratiam, quandoquidem unus dator et Legis et gratiæ ? Lex terret de scipso præsumentem, gratia adjuvat in Deum sperantem... Adjuvat gratia, quæ Sanctos facit, si sic non facis quia horres contaminationem adulterii, quia diligis præceptorem ut exigas promissorem, non quia times damnatorem : jam gratiæ est, hoc tibi noli assumere, viribus tuis noli tribuere. Delectatione facis, benè : charitate facis, benè ; annuo, consentio. Charitas de te operatur, quando volens facis. Jam gustas dulcedinem, si speras in Dominum.

N. 4. Sed undè tibi ista charitas ? si tamen est : timeo enim ne adhuc timendo non facias, et magnus tibi videaris. Jam si charitate non facis, verè magnus es. Habes charitatem ? Habeo, inquis. Undè ? A meipso. Longè es à dulcedine, si à teipso habes. Teipsum amabis, quia undè habes amabis. Sed convinco quòd non habes. Quòd enim putas à teipso habere rem tantam, indè non credo quòd habeas. Si enim haberes, scires undè haberes. Charitatem à te habes, quasi leve aliquid, quasi breve aliquid... Ergo oculum et nasum à Deo habes, et charitatem à te habes ? Si charitatem, quæ superat omnia, tu tibi dedisti ; vilem tibi Deum fecisti. Quid tibi plus potest dare Deus ? Quidquid dederit, minus est. Omnia charitas vincit, quam tu tibi dedisti. Sed si habes, non tibi dedisti. *Quid enim habes, quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.) ? Quis mihi, quis tibi dedit ? Deus. Agnosce datorem ; ne sentias damnatorem. Credendo de Scripturis Deus tibi dedit charitatem omnia superantem. Deus tibi dedit : *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* V. 5.) ; forte à te ? Absit ; *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

N. 5. Clama sub hoste, quia habes oppugnatorem, habes et adjutorem qui te exspectat pugnantem, sublevat laborantem ; sed si inveniat sperantem : odit enim superbientem.

Serm. 159. *aliàs* 17. *de verb. eisd. Apost. Rom.* 8. *cap.* 8. *n.* 9. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* (*Jacob.* I. 17.) Indè est quòd habemus bonum, indè est quòd nondum habemus. Non habetis ? *Petite, et accipietis. Si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se* ?

(*Matth.* VII. 7. *et* 11.) Examinet se ergo omnis homo, et quidquid in se boni invenerit, quod pertineat ad justificationem nostram, agat gratias illi qui dedit, ab illo petat et quod nondum dedit. Non enim tu in accipiendo proficis, et ille in dando deficit. Quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas : fons vincit sitientem.

Lib. de Hæresib. ad Quodvult Deum, Hæres. 88. Hi (*Pelagiani*) Dei gratiæ, quâ prædestinati sumus *in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I. 5.), et quâ eruimur *de potestate tenebrarum* (*Coloss.* I. 13.) ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo* (*Joan.* VI. 66.), et quâ *diffunditur charitas in cordibus nostris* (*Rom.* V. 5.), ut *fides per dilectionem operetur* (*Galat.* V. 6.), in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata : cùm si hoc verum esset, frustrà Dominus dixisse videretur, *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

Lib. 12. *de Trinit. cap.* 11. *n.* 16. Prægravatus animus quasi pondere suo à beatitudine expellitur, et per illud suæ medietatis experimentum pœnâ suâ discit, quid intersit inter bonum desertum malumque commissum, nec redire potest effusis ac perditis viribus, nisi gratiâ conditoris sui ad pœnitentiam vocantis et peccata donantis. Quis enim infelicem animam *liberabit à corpore mortis hujus*, nisi *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. 25.)

GELAS. Pap. I. *Tractat.* 3. *pag.* 1246. *tom.* 4. *Concil. Edit. Labb.* Sic isti quoque si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides à sui laude factoris et competentem reverentiam non sequentes, ab ejus retracti participationis affectu, propriæ nequivissent incrementa perfectionemque sumere dignitatis, dum suæ institutionis claritate detentis ulteriùs se nihil agere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, per quæ seipsos obtinere fidentes quidquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci, quod in suæ prorsùs conditione mutabilis habere non poterant, homo quoque de seipso manifestis indiciis revincatur, in tantum ritè factus, ut qui per divinam gratiam potest surgere post ruinam, multò ampliùs potuisse doceatur, si eamdem gratiam devotâ mente sequeretur, integer permanere, quantumcunque gratia ista prævaleat magis inde cognosci, dum et incolumis absque eamdem stare nequiverit, et valeat ad eamdem incolumitatem redire post lapsum.

S. PROSPER. *lib. Epigramma. De custodia Dei.* Custodit nos Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur adversi, sed ut ipsis adversitatibus anima non lædatur...

Sed mirabilior tunc est manus omnipotentis,
Illata afflictum cùm mala non superant.
Laudetur custos, virtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.

De adjutorio Dei. Ad cœlestis Hierusalem consortium non ascendunt, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris, quòd ascendunt.

Cœlestem ad gratiam tendens cognosce vocantem,
Cujus proveheris, si benè curris, ope.
Nam si te virtute tua ad cœlestia credis
Scandere, de superis pulsus ad ima cades.

De carnis cupiditate vincenda. Annitendum est, ut cupiditates carnis spiritûs vigore superentur : et interior homo, qui sibi semper sentit resisti, semper se divino exspectet auxilio adjuvari.

Nulla anima est, quæ non mortali carne gravetur,
Nec quæ corporeâ conditione gemat.
Sed confirmare invalidam, et frenare rebellem,
Legitimum et proprium est mentis opus dominæ.
Quæ vis naturæ, ut moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæque suis,
Auxilium à Domino, et vires petat, ut valeat se
Vincere, ne sensus incitet ipsa suos.
Nam nullus famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

S. FULGENT. *Epist. ad Probam cap.* 21. Nemo autem deprecatur et rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet suà tantùm virtute potest servare. Quisquis igitur et beneficium rogat, et adjutorium flagitat, necesse est, ut et evidentiam suæ imbecillitatis et egestatis agnoscat. Et ideò egestas nostra dari sibi quod non habet poscit: et imbecillitas nostra custodiri sibi postulat quod accepit. Egestas audit, *Quid enim habet, quod non accepisti* (1. *Cor.* VI. 7.)? Et, *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo.* (*Joan.* III. 27.) Imbecillitas audit: *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum: et ipse faciet.* (*Ps.* XXXVI. 5.) Audit etiam ab ipsa virtute: *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Audit à Propheta: *Nisi Deus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Dicat ergo egestas illi, qui propter nos pauper factus est, cùm esset dives, ut illius paupertate nos divites essemus: dicat, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* (*Ps.* CXVIII. 73.) Dicat etiam imbecillitas illi, qui pro nobis *crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (2. *Cor.* XIII. 4.), et qui sic infirmatus est propter peccata nostra, ut semper ipse sit *Dei virtus et Dei sapientia* (1. *Cor.* I. 24.); Dicat ergo illi imbecillitas humana: *Custodi me Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.* (*Psal.* XVI. 8. *et* 9.)

Epist. h. cap. 4. Nec est aliquod hujus vitæ tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cujus laqueos nemo potest propriis viribus evadere, nisi quem Deus gratiâ suâ per Jesum Christum Dominum nostrum dignatus fuerit liberare. Ideò vas electionis cùm captivari se in lege peccati sentiret, exclamabat dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* XII. 24. 25.) Propterea etiam Propheta non suâ virtute, sed divino munere, pedes suos è laqueo prædicat evellendos, dicens: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* (*Ps.* XXIX. 15.) Et alio loco, ex persona Sanctorum, quos de hujus seculi laqueo liberatos, ad æternam dignatus est Dominus securitatem lætitiamque transferre, sic dicitur: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* (*Ps.* CXXIII. 7.)

PET. DIAC. *de Incarnat. et Grat. inter opera* S. FULGENTII, *cap.* 6. *pag.* 278. Dicit ad Judæos: *Tunc verè liberi eritis, si vos filius liberaverit.* (*Joan.* VIII. 36.) Putabant enim se verè liberos, qui humanis occupationibus intentione vanissimâ serviebant. Ut ergo falsa libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa, ea cogitare et desiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare et desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle, seu desiderare divina. Quorum primum est et præcipuum fundamentum, et crepido quodammodo sive omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod utique non est ex naturalis arbitrii libertate, quia non hoc caro et sanguis, sed Pater cœlestis revelat cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem non violentâ necessitate, sed infundendo suavitatem per Spiritum sanctum, ut mox credentes dicamus: Quia Dominus est Jesus, quod nemo per naturalem arbitrii libertatem potest dicere nisi in Spiritu sancto. Frustra ergo garriunt qui dicunt, Meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare; cùm etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus, dicens: *Vobis enim datum est à Christo, non solùm ut in eum credatis, verùm etiam ut pro illo patiamini.* (*Philip.* I. 29.)

Cap. 7. Nos autem incomprehensibilia credentes et demonstrantes judicia Dei, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate et gratiâ Dei, alios justo et occulto judicio derelinqui. Alioquin dicant si possunt hi qui hoc divinæ justitiæ et bonitati contrarium æstimant, cur iis qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozaïm et Betzaïda, et nullam harum in Tyro et Sydone facere voluit, ubi *si factæ fuissent*, sicut ipse testatur, forsitan *in cinere et cilicio pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI. 21. *Luc.* X. 13.)? Aut cur in Asia et Bithynia Apostolum voluit verbum salutis annuntiare? (*Act.* XVI. 6. *et* 7.) Quod si ista nequeunt comprehendi, redeant ad se,

et invenientes se homines, desinant quærere, cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo et occulto judicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam; et clament unà nobiscum, imò juxta Apostolum (*Rom.* XI. 33. *et seq.*) : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit ei et retribuetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Manifestè ergo non nobis, sed Apostolo, omninò resistit, qui dicit : Nisi ego priùs voluero, gratia ad me non venit. Quod omninò nihil aliud est dicere nisi priùs dare Deo, ut retribuatur illi.

Cap. 8. Sed nos sequentes eumdem Apostolum, omnem bonarum cogitationum originem, earumque confessionem et voluntatem ex Deo et per Deum et in Deo dicimus, qui pravas hominum voluntates et terrenis actibus implicatas, per infusionem et operationem intrinsecùs sancti Spiritûs absolvit, et corrigit, sicut scriptum est : Præparatur voluntas à Domino. Hinc etiam beatus Basilius Cæsariensis Episcopus in Oratione sacri altaris, quam penè universus frequentat Orient, inter cætera : « Dona, (inquit) Domine virtutum ac tutamentum, malos, quæsumus, » bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, et non » est qui contradicat tibi, cùm enim volueris salvas, et nullus resistit » voluntati tuæ. » Ecce quàm breviter, quàmque districtè Doctor egregius olim huic controversiæ finem posuit, docens per hanc precem, non à seipsis, sed à Deo malos homines bonos fieri, nec suâ virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare. Similiter beatus Innocentius Apostolicæ sedis Antistes Epistolà ad concilium Milevitanum : « omnia, (inquit,) studia et omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei » gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi » ex eo quod ipse donaverit. » Quod diligentiùs manifestiùsque in Epistola sua ad Papam Romanum replicantes, ipsius Papæ sententiam explicant Africana Concilia dicentes : « Illud autem quod in litteris, quas ad uni» versas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens : *Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, undè nascuntur) ad fratrum et coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus :* sic accipimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium » extollunt arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim » transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio quàm quòd » universa in humilitatis nostræ conscientiam retulisti : et tamen in» stinctu Dei factum fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque » dixisti, ideoque utique quia præparatur voluntas à Domino, et ut boni » aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII. 14.), » ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque » voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius prævenire non dubi» temus gratiam, quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero » operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus » bonæ voluntatis ex Deo sit : quia per illum aliquid boni possumus, sine » quo nihil possumus. » *His congruè beatissimus Cœlestinus in Epistola ad Gallos data :* « Cùm enim, (inquit), sanctarum plebium Præsules mandatà sibi legatione funganlur, apud divinam clementiam humani gene» ris agunt causam, et totà secum Ecclesiâ congemiscente postulant et » precantur, ut infidelibus donetur fides; ut idololatræ ab infidelitatis » suæ liberentur erroribus; ut Judæis ablato cordis velamine, lux veri» tatis appareat; ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant; ut » schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant; ut lapsis pœnitentiæ » remedia conferantur; ut denique catechumenis ad regenerationis sa» cramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem » non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere, plurimos dignatur attrahere, quos cruens de potestate tenebrarum, transfert in regnum filii charitatis suæ, et ex vasis iræ facit vasa misericordiæ, quod » à Deo totum divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum » semper actio, laudisque confessio pro illuminatione talium vel correc-

» tione referatur. » Rursùs post pauca. « His ergo, (inquit), Ecclesias-» ticis regulis ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante » Domino Deo confirmati sumus, ut omnium bonorum effectuum, atque » operum, et omnium studiorum, omniumque virtutum quibus ab initio » fidei ad Deum tenditur, Deum profitcamur auctorem : et non dubite-» mus ab ipsius gratia omnis hominis merita præveniri, per quem fit ut » aliquid boni et velle incipiamus et facere : quo utique auxilio et munere » Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso » lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudenti sit » providum. »

S. LEO. *Serm.* 17. *de Jejunio* 10. *mensis, et eleemosynis* 7. *cap.* 1. Natura quippè mutabilis, et de peccati labe mortalis, licèt etiam jam redempta, et sacro Baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis, corrumpereturque carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio : quia sicut illi nunquam deest undè corruat, ita semper præstò est, undè subsistat, dicente Apostolo ; *Fidelis enim Deus, qui vos non patietur tentari supra id, quod potestis, sed faciet proventum, ut possitis sustinere.* (1. *Cor.* x. 13.)

Serm. 18. *de jejun.* 10. *mens.* 8. *cap.* 2. Quomodo autem Deus colitur, nisi ut quod ipsi placet, placeat et nobis ; nec ab ejus imperio noster unquam resultet affectus : quoniam si hoc, quod ille vult volumus, ab illo sumet infirmitas nostra virtutem, à quo ipsam accepimus voluntatem.

Serm. 35. *in Epiphan. solemnit.* 6. *cap.* 4. Qui autem sibi correctionis reparationem experitur esse difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, et vincula malæ consuetudinis ab illo poscat abrumpi, *Qui allevat omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.* (*Ps.* CXLV. 8.) Non erit vacua confitentis oratio, quoniam misericors Deus *voluntatem timentium se faciet* (*Ps.* CXLIV. 19.) : et dabit quod petitur, qui dedit undè peteretur.

Serm. 77. *de Jejun. Pentec.* 2. *cap.* 3. Agnoscat ergo Catholicus Christianus sanctitatem jejunii sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti Spiritûs rigatione processerit : Cùm enim dicat Apostolus, nullas sibi virtutes sine charitate prodesse (1. *Cor.* XIII. 1.) ; idemque dicat, charitatem Dei diffusam esse *in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v. 5.), cavendum est, ne bona quæ facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se meritò laude dispoliat, qui de studiis industriæ suæ in se magis quàm in Domino gloriatur : cùm beatus David doceat in Sanctorum operibus Deum esse laudandum, dicens : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ* (*Ps.* LXVII. 36.) ; et iterùm, *Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt totâ die, et in justitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum es tu.* (*Ps.* LXXXIII. 16. 17. *et* 18.)

Cap. 4. Et ideò, dilectissimi, secundùm eruditionem Spiritûs sancti, per quem Ecclesiæ Dei omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solemne jejunium : et in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione jactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes qui et bonarum est inspirator voluntatum, et bonarum est auctor actionum, dicente Domino : *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* (*Matth.* v. 16.)

CASSIAN. *de institut. Monach. lib.* 6. *cap.* 5. Si nobis cordi est agonem spiritalem cum Apostolo legitimè decertare (2. *Tim.* II. 5.), hunc immundissimum spiritum superare omni mentis intentione, non nostris viribus confidentes) hoc enim industria humana perficere non prævalet, (sed opitulatione Domini festinemus. Tandiu namque hoc vitio animam necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra vires suas agnoscat : nec labore, vel studio proprio victoriam obtinere se posse, nisi Domini fuerit auxilio ac protectione suffulta.

Cap. 6. Et reverà cùm in omnibus virtutum profectibus, et cunctorum expugnatione vitiorum, Domini sit gratia atque victoria : in hoc præcipuè peculiare beneficium Dei ac speciale donum, et Patrum sententiâ et experimento purgationis ipsius manifestissimè declaratur his, qui eam meruerint possidere. Quodammodo enim exire de carne est in corpore

commorantem : et ultra naturam est fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Et idcircò impossibile est hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœlesteque præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere evexerit castitatis. Nullâ enim virtute tam propriè carnales homines spiritalibus Angelis imitatione conversationis æquantur quàm merito et gratiâ castitatis, per quam adhuc in terra degentes habent, secundùm Apostolum (*Philip.* III.), municipatum in cœlis, quod depositâ corruptelâ carnali habituros sanctos promittitur in futurum, hîc jam in carne fragili possidentes.

De protect. Dei Collat. 13. *cap.* 6. Licèt in multis, imò in omnibus possit ostendi, semper auxilio Dei homines indigere, nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adjutorio Dei posse perficere, in nullo modo tamen evidentiùs quàm in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur... Quis indesinentem lectionis instantiam ? quis irremissam operis sedulitatem, nullum præsentis lucri commodum captans, absque Dei gratia explere sufficiat ? Quæ omnia sicut desiderari à nobis jugiter absque divina inspiratione non possunt, ita ne perfici quidem sine hujus auxilio ullatenus queunt. Et ut hæc eadem non solùm probatâ nobis experientiæ disciplinâ, sed etiam certis indiciis et argumentis manifestiora reddamus, nonne in multis quæ utiliter optamus implere, cùm desiderii plenus ardor ac voluntas perfecta non desit, interpellans quæcunque fragilitas cassat vota concepta, nec proposito nostro assistit effectus, nisi virtus perficiendi Domini fuerit miseratione donata ; ita ut cùm sit innumera multitudo illorum qui fideliter virtutum studiis desiderent inhærere, summam tamen eorum qui hæc perficere vel tolerare prævaleant, invenias raritatem : ut prætermittam quod ne tunc quidem cùm omninò nulla nos arcet infirmitas, facultas universa quæ volumus peragendi nostræ subjacet potestati ? Nam neque remotionis silentium, nec districtiones jejuniorum, nec lectionis instantiam, illo etiam tempore quo possumus, pro nostro arbitrio retentamus. sed quibusdam occurrentibus causis, etiam invitissimi frequenter retrahimur à salutaribus institutis, ita ut, vel loci vel temporis copiam in quo hæc exercere possimus, necesse sit nos à Domino deprecari, nec sufficere nobis in quod possumus certum est, nisi etiam opportunitas peragendi ea quæ nobis utique possibilia sunt à Domino tribuatur : de quibus et Apostolus, « Quoniam voluimus, *inquit*, venire ad vos et semel et iterùm, et » impedivit nos Satanas (1. *Thess.* II. 18.) : » ita ut nonnunquam nos etiam utiliter ab istis spiritalibus sentiamus studiis avocari, ut dum nolentibus nobis interrumpitur nostri cursûs intentio, et infirmitati carnis aliquid relaxamus, etiam invili ad salutarem perseverantiam reservemur. De qua dispensatione Dei simile aliquid beatus Apostolus : *Propter quod* (inquit,) *ter Dominum rogavi, ut discederet à me, et dixit mihi ; Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur.* (2. Cor. XII. 8. et 9.) Et iterùm : *Quid enim oremus secundùm quod oportet, nescimus.* (Rom. VIII. 26.)

De velle bonum, et agere malum Collat. 23. *cap.* 10. Cùm ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægravatos, ab illa mentis sublimitate decidere, et invitos, imò verò etiam nescientes in legem peccati mortisque traduci, atque ut cætera prætermittam, illis saltem quæ superiùs comprehendi, bonis quidem ac justis, sed tamen terrenis, à conspectu Dei operibus avocari, habent profectò pro quibus ad Deum jugiter ingemiscant, habent pro quibus in veritate humiliati atque compuncti, non verbis tantummodò, sed affectu semetipsos pronuntient peccatores, et veniam veraciter pro omnibus quæ quotidiè superati fragilitate carnis incurrunt, ac gratiam Domini jugiter postulantes, veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant. Quippè qui videant iisdem ipsis se, pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam usque ad ultimum vitæ suæ finem æstibus involutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis viribus desideratum finem obsistente carnis sarcinâ non posse contingere, neque illi præcipuo summoque bono secundùm cordis sui desiderium posse conjungi, sed ab ejus intuitu captivos ad mundana traduci, adgratiam Dei qui impios justificat convolantes, cum Apostolo

protestantur : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.) Sentiunt enim se bonum istud, quod volunt, non posse perficere, sed illud quod nolunt, quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus et curam corporalium rerum semper incurrere.

S. GREG. *Lib.* 2. *in* 1. *Reg. c.* 2. *v.* 9. *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.*

N. 25. Quasi dicat : Idcircò tenet, quia sine ipso stare non posset. Nam etsi vir virtutis agnoscitur, in fortitudine sua timorem lapsûs habet, statum robur non habet, et toties illicita concupiscendo labitur, quoties interna ejus vestigia à Domino tenente deseruntur. An verò non vir erat cui in juvencularum choro cantabatur : *Saül percussit mille, et David decem millia* (1. *Reg.* XVIII. 7.)? Qui nimirùm cùm inter onera fortitudini suæ relinquitur, in carnis suæ culpam impulsus corruit, atque in se expertus est, quia vir in se non habeat statum roboris, sed lapsum infirmitatis. Undè et relabi metuens, eum, à quo teneri ad statum debeat, exposcit, dicens : *Non me derelinquas usquequaque.* (*Ps.* CXVIII. 8.) Nemo ergo se fallat, quasi in se robur standi inveniat : quia etsi magna sæpè occultorum hostium bella superamus, si dignè eos in suis suasionibus reprobando, velut in fugam versos insequimur, non nos tunc refugi spiritus, sed eum, quem in nobis aspiciunt, expavescunt. Vel certè si nos etiam timent, idcircò profectò timent, quia in divinæ gratiæ robur assumptos vident. Aptè ergo subjungitur : *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit.* (1. *Reg.* II. 10)

N. 26. Cœli namque tunc sumus, cùm in altitudinem divinæ gratiæ præsidentis nobis sublevamur. Et tonitrua contra ejus adversarios habemus, cùm validis sanctorum desideriorum vocibus, omne, quod nobis de eorum suggestione spirat, elidimus.

Lib. 5. *in* 1. *Reg. cap.* 3. *n.* 15. Cùm tentamur, divina gratia juxtà est, quæ sustinentes adjuvet : juxtà et divina justitia quæ deficientes damnet. Undè sacra Scriptura nos exspectare cohortans, ait : * *si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum citò non deseras.* (*Eccle.* X. 4.) Hinc Propheta testificans, ait : *Dominus auxiliator meus, et idcò non sum confusus.* (*Isai.* L. 7.) Hinc Psalmista vicina eadem auxilia respiciens, ait : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* (*Ps.* XV. 8.)

Moral. lib. 29. *in cap.* 38. *B. Job, cap.* 19. *n.* 43. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens* (*v.* 8.)? Quia nisi ab ipso cogitationis primordio, cordis fluctus gratia divina retineret, tentationum procellis mare sæviens, terram proculdubio humanæ mentis obruisset : ut falsis fluctibus perfusa aresceret, id est perniciosis carnis voluptatibus delectata deperiret. Solus ergo Dominus ostiis mare concludit, qui pravis motibus cordis claustra inspiratæ formidinis objicit.

Cap. 22. *n.* 46. Dominus per inspiratæ charitatis fortitudinem nascentia in corde vitia reprimit, insurgentis maris impetum per observata claustra compescit. Benè ergo dicitur (*v.* 10. *et* 11.) : *Posui vectem et ostia, et dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hîc confringes tumentes fluctus tuos :* quia dum electus quisque et tentatur vitiis, et tamen facere malè suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur. Quod etsi intùs tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen benè vivendi littora non excedit. Quod mare quidem in tumorem se erigit, sed dum fixa deliberatione cordis illiditur, fractum redit. Beatus igitur Job ne sibi tribuat, quòd contra procellas cordis fortiter stat, voce divinâ audiat : *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens, etc.* Ac si ei apertè diceretur : Incassum te exteriùs in bonis operibus pensas, si non me interiùs, qui in te tentationis undas compesco, consideras. Ut enim tu fluctus ferre possis in opere : meæ virtutis est, qui fluctus frango tentationis in corde.

Exposit. in septem Psal. Pœnitent. Ps. II. *n.* 11. Qui naturæ rationalis dignitatem contra auctoris nostri præcepta superbiendo perdidimus, per infusam cordibus nostris Spiritûs sancti gratiam, quam in nobis peccatum obscuraverat, intelligentiæ lucem confessionis humiliatione revocamus. Cùm enim ad secretarium cordis accedimus, et quàm districtus

judex futurus sit, qui nunc est patiens et longanimis, consideramus; cùm ad intuenda Sanctorum præmia, et iniquorum damnationem oculos mentis attollimus; cùm de futuris incerti, ne labamur metuimus; et ea quæ malè egimus, flendo punimus; tunc nimirùm salutari à Deo intellectu accepto, de cordis nostri habitaculo ignorantiæ tenebras effugamus. Sed quia minùs est rectè intelligere, nisi studeat quis rectè intellecta morum honestate complere, adjungitur: *Et instruam te* (*Ps.* XXXI. 8.): non te permittam perfunctoriè voluntatis meæ arcana cognoscere; sed et hoc tibi conferam, ut etiam bonum quod intellexeris, peragas: et qualiter id agendum sit, cautâ consideratione discernas. Sunt namque nonnulli, qui rectè quidem offerunt, sed rectè dividere non sciunt, quia bonum quodlibet rectâ intentione incipiunt, sed habere in eodem bono opere discretionis virtutem postponunt. Hi nimirùm quod benè inchoant, malo plerumque fine consummant: quia indè reatum incurrunt criminis, undè fructum habere potuerunt virtutis.

N. 12. Quia verò nihil est bonum quod incipimus, nisi perseveranti illud fine compleamus, rectè subditur: *In viâ hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* (*Ibid.*) Quandiu hîc vivimus, in via sumus, quâ ad patriam tendimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi custodiunt, et operi nostro insidiantes, deceptionis suæ ubique laqueos tendunt. Facilè ergo inter laqueos ambulantes labimur nisi sapientiæ Dei ducatu gubernemur. In hac verò via ille non graditur, qui temporalium rerum vel copiam cupiens, vel inopiam metuens, à rectæ operationis studio revocatur. Sed quoniam is qui spiritu Dei operatur, non desidiâ corrumpitur, non timore repellitur, non labore lassatur, non incongruè subjungitur, *quâ gradieris*; quia nimirum semper de virtute in virtutem graditur, qui à sanctæ operationis studio nullâ antiqui hostis callidîtate superatur. Super eum ergo qui in hac via graditur, Deus oculos suos firmat: quia quicunque à boni propositi intentione non deficit, respectus ab eo divinæ misericordiæ nunquam recedit; quatenùs eum semper in omnibus adjutorem habeat, ad quem indeficientis amoris desiderio incessanter anhelat. Undè et alibi per eumdem Prophetam scriptum est: *Oculi Domini super justos.* (*Ps.* XXXIII. 16.)

Regist. Epist. lib. 5. *Indict.* 13. *Epist.* 58. *ad univer. Episc. per Helladiam.* In his omnibus (*tentationibus*) divinæ protectionis auxilio opus est, voce cordis singuli clamemus ad Dominum, dicentes: *Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam respice.* (*Ps.* XXI. 20.) Manifestum namque est, quia nisi ipse auxiliatus fuerit, et ad se clamantes defenderit, hostis noster vinci non poterit.

ISID. HISPAL. Episc. *Sentent. lib.* 2. *de Grat. cap.* 5. Interdum peccantibus nobis sua Deus dona non retrahit, ut ad spem divinæ propitiationis mens humana consurgat. Nam non potest conversum spernere, quem peccantem suis beneficiis provocat ad se redire... Confessionem hominis non esse humanæ virtutis. Nam si confessionem boni operis non in nobis Deus operatur, cur per Prophetam dicitur: *Confessio et magnificentia opus ejus* (*Ps.* CX. 3.)? Ab illo enim nobis omnia bona, gratiâ præveniente, donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod confessionem fidei accipere mereamur. Profectus hominis, donum Dei est. Nec à se potest quisquam, sed à Domino corrigi. Non enim quidquam boni habet proprium homo, cujus via non est ejus, testante Prophetâ: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos.* (*Jerem.* X. 23.) Sciant liberi arbitrii defensores, nihil posse in bonum suâ prævalere virtute, nisi divinæ gratiæ sustententur juvamine. Undè et per Prophetam Dominus dicit: " *Perditio ex te tua Israël, tantùm in me auxilium tuum.* (*Osee.* XIII. 9.) Quasi diceret: Ut pereas tuo merito, ut salveris meo auxilio.

CASS. *Exposit. in Psal.* XI. *v.* 9. *Æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* X. 8.): illam scilicet æquitatem, quam tamen propitius ipse concedit. Non enim quidquam ex se probi humanitas habet, nisi quod à Domino bonorum omnium susceperit largitore.

Venerab. BEDA *in princip. Genes. lib.* 2. *apud* D. EDM. MARTENNE *Thesauri Anecdot. novi Tom.* 5. *pag.* 169. In tuum caput iniquitas tua redundabit, et tu dominaberis illius, habens in potestate, per gratiam divini adjutorii conceptam, de tuo corde repellere nequitiam.

In Exposit. alleg. in Salom. Prov. lib. 2. *cap.* 16. *Hominis est animum præparare, et Dei gubernare linguam.* (*Prov.* XVI. 1.) Certum est, quia neque animum præparare, neque gubernare linguam, neque aliquid facere boni, absque divina gratia valemus: quia *sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Quomodo ergo *hominis est animum præparare, et Dei gubernare linguam*, nisi quia hoc propriè in tempore persecutionis significat, de quo Dominus ait: « Cùm autem tradent vos, nolite cogi-» tare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora » quid loquamini. » (*Matth.* X. 19.)

In Epist. ad Corinth. 2. *cap.* 3. Ubi adjunxit, *spiritus vivificat*, dedit intelligi, Littera sine spiritu occidit, *spiritus vivificat*, et impleri litteram facit; sic scientia sine charitate inflat, charitas cum scientia ædificat. Dominus autem ipse non solùm ostendit nobis, à quo malo declinemus, et quod bonum faciamus, quod solùm potest legis littera; verùm etiam adjuvat nos, ut declinemus à malo, et faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ. Quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat et occidat. Propter quod dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* (2. *Cor.* III. 6.) Qui ergo legitimè lege utitur, discit in ea bonum et malum, et non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, quà præstante declinet à malo, et faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm *à Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (*Ps.* XXXVI. 23.)? Ac per hoc et desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. De quo ait ille: *Et dixi, Nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi.* (*Ps.* LXXVI. 11.) Liberum ergo arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum, confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati. In bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: *si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis* (*Joan.* VIII. 36.): nec ita, ut cùm quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potiùs, ut ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.), dicat ei et ipse: *adjutor meus esto, ne derelinquas me.* (*Ps.* XXVI. 9.)

In 1. *Epist. Petri cap.* 5. *Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu.* (1. *Petr.* V. 14.) A gratia cœpit Epistolam, in gratia consummavit, mediam gratiâ respersit, ut errorem Pelagianum omni locutionis suæ parte damnaret; Ecclesiam verò Christi non nisi per gratiam ejus salvari posse doceret.

Homil. 2. *apud* EDM. MARTENNE *Thesauri Anecdot. novi Tom.* 5. Quia ergo de plenitudine nostri conditoris non quiddam, sed omne quidquid boni habemus accepimus, curandum summopere est ne quispiam se de bona actione vel cogitatione incautus extollat; ne si ingratus largitori remanserit, perdat bonum quod accepit, ac dignè Apostolicâ increpatione percellatur, quâ dicitur: *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.) Undè ipse Apostolus, quia nihil dignum nosse vel operari posset si non de plenitudine Christi acciperet, alibi testatur manifestè dicens: *Non quia sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) Et alio loco: *Et gratia ejus* (*inquit*), *in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* XV. 10.) Quod ipsum suis auditoribus humiliter cogitandum sedulus inculcat: undè est illud (*Philip.* II. 12. *et* 13.): *Cùm tremore et metu vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Cùm autem dixisset Evangelista nos omnes de plenitudine Christi accepisse, confestim subjunxit, et ait: *Gratiam pro gratia.* (*Joan.* I. 16.) Geminam ergo nos gratiam accepisse testatur, unam videlicet in præsenti, alteram in futuro: in præsenti quidem fidem quæ per dilectionem operatur; in futuro autem vitam æternam. Fides quippè quæ per dilectionem Dei operatur, gratia Dei est; quia ut crederemus, ut diligamus, ut operemur bona quæ novimus, non ullis præcedentibus meritis nostris, sed ipso largiente percipimus qui dicit: *Non vos elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* (*Joan.* XV. 16.) Et ut vitam propter fidem, dilectionem, et opera bona percipiamus æternam, gratia Dei est; quia ne à bono deviemus itinere ipso duce semper opus habemus, cui

dicitur : *Deduc me in via tua, et ambulabo in veritate tua* (*Ps.* LXXXV. 11.) : ac si apertè dicatur : Nisi te duce ingrediens, viam veritatis, quam cœpi, tenere nequaquam sufficio. Ne in bonis operibus deficiamus, illius auxilio debemus semper inniti, qui ait : *quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.) undè benè Psalmista, ut initium fidei et bonæ actionis à Domino nobis dari signaret, ait : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Et ut bona quæ agimus illo opitulante perficienda doceret, iterùm dicit : *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* (*Ps.* XXII. 6.) Ut mercedem vitæ æternæ, quæ bonis redditur operibus, gratis nobis tribui ostenderet, ait : *Qui coronat te in miseratione et misericordia.* (*Psal.* CII. 4.) In misericordia quippè et miseratione nos coronat, quando propter bona opera quæ nobis ipse misericorditer exercenda donavit, supernæ beatitudinis præmia retribuit. Et hoc est quod dicitur accipere nos gratiam pro gratia, quia nimirùm pro gratia bonæ conversationis quam dedit, et ne deficere possit ipse servans adjuvat, dabit gratiam beatæ remunerationis, in qua misericordias ejus in æternum cantemus. Denique Apostolus ipsam vitæ æternæ perceptionem, quæ utique meritis præcedentibus redditur, gratiam vocare non dubitavit : qui cùm præmisisset stipendium peccati esse mortem, noluit è contrario dicere stipendium justitiæ esse vitam æternam ; sed ait : *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* (*Rom.* VI. 23.) Non quia non justè meritis bonis à justo Judice datur, sed quia ipsa merita quibus dantur primò sunt à pio salvatore gratis data.

S. GAUDENT. Brixiens. Epis. *ad Neophyt. super hæc verb.* Quia Pater major me est (*Joan.* XIV. 28.), *Serm.* 19. *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* IX. 13.) : tales enim sapientia Dei ad istum craterà salutiferæ mixtionis invitat, cùm sublimi voce hortatur, ac dicit (*Prov.* IX. 4. *et* 5.) : * *Quisquis est insipiens, diverlat ad me ;* et egentibus sensu ait : *venite, edite de meis panibus, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Ob hoc autem invitatur insipiens à sapientia Dei, ut fiat sapiens : et peccator ut convertatur ac vivat. Ad istud poculum divinæ misericordiæ universi generaliter convocamur : *Omnes* enim *peccaverunt*, ut ait Apostolus, *et egent gratiâ Dei.* (*Rom.* III. 23.) Quòd si omnes peccaverunt, et egent gratiâ Dei (majestatis quippè ejus medelâ), quos tandem dicimus sanos, quibus medici officium necessarium non sit ? Nisi fortè illi, qui ab ipso jam curati, medicinâ ultrà non indigent. Cæterùm nemo Sanctorum medicinâ Christi non indiguit, cùm sanctos eos non nisi fides ejus effecerit, sicut Scriptura testatur in Epistola Pauli beatissimi ad Hebræos. Et idcircò gratias referens idem prædicabat Apostolus : « Fide- » lis, *inquit*, sermo et omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit » in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum ego sum primus. » (1. *Tim.* I. 15.) Ne ergo sibi aliquis de salute propria sine Dei Christi munere blandiatur, quando vas electionis priorem se fatetur esse omnium peccatorum. Quotquot igitur ex peccatoribus congregati, bibere fidem Christi meruimus participes altaris effecti, et donum charismatis consecuti, cum voce exsultationis et confessionis Dei munera prædicemus, dicentes : (*Ps.* XXII. 5.) *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me : Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quàm præclarus est !*

D. PRIMASIUS Episc. *Comment. in Epist. ad Rom. pag.* 157. *Tom.* II. *BB. PP. Lugd.* Quia peccatum sine gratia Dei vinci non potest, ipsa reatûs sollicitudo cogat ad gratiam convolare.

PASCHAS. RATBERT. *Exp. in Matth. Evang. lib.* 7. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* (*Matth.* XIII. 11.) Audiant Pelagiani, qui sine gratia Dei quidquam se habere jactitant, quoniam nihil sine dono Dei percipitur. Undè Apostolus, *Quid habes, quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.) ? Propterea nemo præsumat de se, quia nihil habet ex se, nisi sola delicta. Accedat igitur alacer fide devotus, gratiâ firmus in charitate, ut audiat cum Apostolis in navi, ut intelligat quod datum est illis, quia quod illis et datum est, omnibus est repromissum. Magnum igitur est quod illis datum est, nosse, quia « hæc est vita æterna, » ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. (*Joan.* XVII. 3.) Cognitio quippè hæc magnum est sacramentum, undè

dictum est, *Regnum Dei intra vos est.* (*Luc.* XVII. 21.) Et quia hoc verè crediderant Apostoli, habebant non ex se, sed ex dono Dei jam illud in quo est vita æterna.

Ven. HILDEBERT. *Epist. lib.* 2. *Epist.* 16. Officiosissima est hominibus gratia Dei, et velut in eorum jurata obsequium, quibus hoc solum tribuit ex quo boni sint, seu per quod boni fieri possint. Quippè quidquid eis tribuit, aut virtus est, aut instrumentum ad virtutem. Ex ipsa autem virtute est, ut sint homines boni. Ex instrumento verò facultas proxima est, quâ fiant homines boni. Porrò virtus est fides, modestia, continentia, castitas, mansuetudo, et his similia, quibus manifestum est fieri bonos, fieri etiam beatos. Cæterùm divitiæ, potestates et cætera in hunc modum quædam subsidia sunt quibus juvamur ad bonum virtutis, tanquam calamis et atramento ad artem scribendi. Opibus abundas? Ad officium liberalitatis impensæ sunt. Potens factus es? Subjectorum tibi patrocinia destinantur. De familiaritate Principum glorianti, facultas oblata est, quâ tam multis unus subvenias, quantis obesse decrevit aut potestas sæviens, aut palatinæ licentia clientelæ. Sic omnia mortalibus ad virtutem providentur, et inter tot armamenta justitiæ non esse justum, creaturæ defectus est, non incuria Creatoris. Vult enim bonos fieri homines Deus, quoniam *vult omnes homines salvos fieri* Deus (1. *Tim.* II. 4.); et ad excludendum periculosæ excusationis refugium, præparat gratiam suam cui inuitamur, distribuit instrumenta quæ suffragentur, offert præmia quibus excitentur, intendit arcum suum quo pigritantes terreantur. Nihil est quod vacet, quod homini sit inutile, nisi homo ipse.

Serm. 32. *in Dom. Psal. Serm.* 4. Attendite autem diligenter virtutem et ordinem gratiæ in istius relevatione, quem, cùm esset primus Apostolorum, permisit Deus cadere, ut suâ culpâ disceret qualiter in aliorum culpis misereri deberet; Et à casu relevavit, ut in eo peccatores discerent causam et ordinem suæ à lapsu resurrectionis. Professio enim secuta est fletum, fletus egressum, egressus respectum; quia non exisset foràs, nisi flevisset, nisi Dominus respexisset eum qui verè dicere poterat cum Propheta (*Psal.* CXVII. 13.): *Impulsus*, scilicet à leone, *eversus sum* de equo virtutum, sed *Dominus suscepit me*, me respiciendo. Bonus est iste respectus, quo peccator adjuvatur, non opprimitur; illustratur, non cæcatur; sanatur, non damnatur. Iste respectus auxilium est, et lux, non infensi, sed propitii; non irascentis, sed miserentis... Salubris est iste respectus, quo peccator statuitur contra faciem suam, ut quod post tergum negligens postposuerat, ante faciem sollicitus ferat; quod utique non faceret, nisi Dominus respiceret, id est, gratia præveniret et juvaret. De via enim iniquitatis scriptum est in Proverbiis, *omnes qui ingrediuntur per eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* (*Prov.* II. 19.) Quod non ideò dicitur, quin multi post lapsum resurgant, et ab iniquitate redeant, et vitæ semitas teneant; sed non hoc per se faciunt; per se enim quidem possunt ingredi ad iniquitatem, per se valent cadere, sed non redire, et in via recta ambulare: undè Jeremias: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* (*Jerem.* X. 23.) Hinc et Apostolus ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* (*Rom.* IX. 16.)

REMIG. ANTISSIODOR. *Enarrat. in Psal.* LXX. Magnum Dei donum est et magna scientia hominis, attendere et intelligere quòd quidquid sit, ex gratia Dei sit, et nihil per se sit. Nam qui per se vult esse, tendit ad non esse. Qui autem per gratiam Dei studet existere, manet in vero esse. Gratiâ iste est, per quam cùm non essemus, facti sumus ex impiis pii, ex incestis casti, ex servis liberi, et ex damnatis in regno assumpti. Hanc gratiam ubique commendat Apostolus, et ideò Judæos habuit inimicos, qui de littera præsumebant, et sic à gratia resiliebant.

PETR. Vener. *apud* EDM. MARTENNE *Miscell. Epistol. et diplomat. Epist.* 20. *pag.* 747. Corrigi potest homo quandiu vivit. Mutet voluntatem, et inveniet gratiam; immò ipsam voluntatem per gratiam immutari oportet. Verùm cùm sine gratia boni esse non possumus, non est tamen culpandus Deus, si gratiam noluerit elargiri. Si mali sumus, culpandi sumus; si boni, laudandi minimè; quia à nobis non sumus quòd boni sumus. Laudandus est Deus de bono nostro, non culpandus de malo; nos è con-

trà de malo culpandi, sed de bono minimè laudandi; quia à nobis malum quod sumus, à Deo autem quidquid boni in nobis, vel habere possumus, vel habemus.

S. ANSELM. *Cur Deus Homo, lib.* 1. *cap.* 9. Quod quis non habet à se, sed à Deo; hoc non tam suum, quàm Dei dicere debet. Nullus verò homo non à se habet veritatem quam docet aut justam voluntatem, sed à Deo.

Lib. Exhortation. pag. 193. In omni opere tuo, Dei auxilium posce: omnia divinæ gratiæ, divino dono adscribe: nihil meritis tuis attribuas, in virtute tua nihil præsumas.

Meditat. 7. Gratiæ quidquid à Deo percipimus, non nostris meritis adscribamus.

Meditat. 8. Ostende itaque oculos tuæ misericordiæ, si quomodo convertaris et ignoscas, et infundas gratiam beatitudinis tuæ super me. Nec enim convertere me possum ad te tot et tantis vulneribus et ægritudinibus et morte ipsa depressus, et impotens effectus. Sed tu, misericors Pater, converte me, et convertar ad te. Converte me, Domine, ad te, et contere et contribula cor meum, et sensus vivifici doloris immitte. Non enim est fons bonorum præter te. Non est à quo accipiam amorem et timorem et dolorem et pudorem, quibus coram te misericordiæ dignus inveniar, nisi de prælarga misericordia tua super me indignissimum gratiam effuderis.

Meditat. 9. *de humanit. Christi.* Ut autem et idipsum quod habeo et possum, tibi, Domine, retribuam, tui muneris est... Adhæreat anima mea post te; quia tota virtus ejus pendet ex te.

Meditat. 9. *de Dulced. Divin. Majest.* Creaturæ autem, cui non semper esse fuit, sed quæ de non esse ad esse venit per te et à te cui semper esse fuit, non est eadem essentia, quæ bonitas et quæ potentia: sed quando bona est, et quando bona facere potest; à te bona est, et à te bona facere potest, qui essentialiter es bonus et omnipotens.

S. ANSELM. *Orat.* 4. A te (ò Deus) est omnis bonus, quicunque bonus est.

Orat. 5. *ad Deum.* Tu dives in misericordia, et largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis serviam tibi. Non enim aliundè possumus tibi servire neque placere nisi de tuo munere.

Orat. 28. Nos verò neque hoc ipsum, quod te vel aliquid boni diligimus, à nobis ipsis nisi à te habemus.

Orat. 69. Verè abyssus sunt peccata mea... quæ abyssus irremeabilis est, quia nullus indè redit, nisi per gratiam retrahatur.

AUCTOR *Declarat. cujusd. in* S. ANSELMI *lib. de Concept. Virg. et Orig. peccato, pag.* 107. Cujus autem hominis cogitatio non potest mutari in perpetuum? nisi quia per se ipsam non potest, nisi gratia divina subveniat: quà non subveniente quid sunt homines, nisi quod ait Petrus Apostolus, * *velut muta animalia procreata naturaliter in captivitatem, in interitum.* (2. *Petr.* II. 12.)

BERENGAUD. *Exposit. in Apocalyp. de Visio.* 4. *cap.* 8. Quidquid boni fideles faciunt, operante Deo faciunt, sicut dicit ipse: *Sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

AMBR. ANSBERT. *in Apocalyp. lib.* 4. *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et agno.* (*Apoc.* VII. 10.) Et quam hic salutem Deo tribuunt, nisi quam ab ipso ut salvi fierent acceperunt, ad auctorem ubique referentes, quidquid ad salutis eorum pertinet qualitatem? Ubi proculdubio Pelagii atque Cælestii dogma evacuari cognoscitur, qui in tantum liberum voluntatis arbitrium defendunt, ut sine gratia Dei posse hominem salutem suam operari confirment. Quo contrà Apostolus clamat et dicit: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex operibus, ut nequis glorietur.* (*Ephes.* II. 8. *et* 9. Et rursùm: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.)? Hinc et Jacobus ait: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursùm est descendens à Patre luminum.* (*Jac.* I. 17.) Hinc enim Psalmista ab humana præsumptione quosdam deterrens, loquitur dicens: *Domini est salus.* (*Ps.* III. 9.) Dicatur igitur de electis: *Clamabant voce magnâ dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et agno.*

S. BERN. Abb. *in Fest. Annunt. B. Mariæ Virg. Serm.* 1. *n.* 1. De operibus verò bonis certum omninò est, quòd nemo hoc habeat à seipso. Nam si

stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa, quantum in eis est, tendere, et in eam semper esse partem proclioriora. Sic et nos, qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper quod nihil est, declinamus.

N. 2. Jam verò de æterna vita scimus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, et ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?

In Cant. serm. 85. *n.* 4. Satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor suî, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuinam horum præcipuè resistendum? Nempè huic, qui eò molestior, quò interior, solus dejicere sufficit, cùm sine ipso alii possint facere nihil. Non sine causa Sapiens expugnatori prætulit urbium virum, qui animo dominatur. (*Prov.* XVI. 32.) Multum hoc ad te: opus virtute habes, et non quacunque, sed quà induaris ex alto. Ipsa enim, si perfecta sit, facilè facit animum victorem suî, et sic invictum reddit ad omnia.

N. 5. Ad virtutis perfectionem quisque contendere adorietur, sciet profectò, quàm sit ascensus arduus, et cassus conatus absque Verbi adjutorio. Felix anima, quæ Angelis spectantibus præbuit gaudium pariter et miraculum suî, ut audiret de se loquentes (*Cant.* VIII. 5.): *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Alioquin frustra nititur, si non innititur... Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum, qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox: *omnia possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV. 13.)? Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Denique *omnia possibilia sunt credenti.* (*Marc.* IX. 22.) An non omnipotens cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis injustitia. Ita, inquam, Verbo innixum, et indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem.

N. 6. Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur: *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Ita est: nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine Verbo. Tu ergo qui stas, da gloriam Verbo, et dic: *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.* (*Ps.* XXXIX. 3.) Cujus manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis.

N. 7. Verbum virtus, Verbum sapientia est. Sumat ergo anima de virtute virtutem, ac de sapientia sapientiam, et uni Verbo munus utrumque adscribat. Alioquin si aliundè aut utramque, aut alterutram arrogat sibi; neget etiam simul vel de fonte rivum, vel de vite vinum, vel lumen oriri de lumine. Fidelis sermo: *Si quis*, inquit, *indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei.* (*Jacob.* I. 5.) Hæc ille. Ego verò haud secùs de virtute senserim. Cognata virtus sapientiæ est. Donum Dei virtus est, deputanda in donis optimis, descendens et ipsa desursùm à Patre Verbi.

D. BRUNON. *Exposit. in Epist. ad Rom. cap.* IX. Igitur velle bonum non est volentis, ut adscribatur ei, neque currere est *currentis*, id est, operari non est operantis, *sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Neque velle neque facere bonum potest homo, nisi misericordia Dei per Spiritum sanctum operetur in eo.

ADAM. Præmonstr. *lib.* 4. *de tripl. gen. contempl. Part.* 3. *cap.* 10. In nobis quidem, et ex nobis habemus, ut possimus in peccatum cadere; sed ex nobis non habemus, ut possimus resurgere. Postquam enim semel nomina deserentes justitiæ, ex spontanea voluntate ad tortitudinem prolabimur culpæ, non solùm ex nobis non habemus, ut ad justitiæ, quam reliquimus, rectitudinem redire valeamus: sed ipsa etiam nostra pravitas exigit, ut tuo funditùs destituti auxilio, etiam ad deteriora labi permittamur. Quia *si etiam justus, conversus à justitia, fecerit iniquitatem*, sicut

per Prophetam tuum comminaris, *pones offendiculum coram eo* (*Ezech.* III. 20.); ut, qui sponte à justitiæ culmine corruit, nisi statim per pœnitentiam redire festinet; justo, sed occulto judicio tuo cæcatus inveniat, ut adhuc graviùs impingat.

PHILIPP. Abb. BONÆ SPEI. *de Obedient. Cleric. cap.* 32. *paulò ante finem.* Fugam inire Agar non incongruè perhibetur, cùm à laudis appetitu idem obediens impulsu gratiæ removetur; cùm sciens eum decipi qui mercedem transitoriam sibi sperat de suorum meritis operum salubriter jam desperat... cùm intelligit quidquam boni operis à se sibi non esse, et relictâ gratiâ spiritali, nil nisi defectum et miseriam superesse... Agar fugitivam Angelus Domini dicitur invenire, inventamque affatu consolatorio convenire; cùm activam nostram divinus sermo permittit ultra vires tentari; sed occurrens dignatur doctrinâ multiplici consolari; exhortans et admonens, ut ab eo quod stultè præsumpserat avertatur, et ad obediendum spirituali gratiæ humiliter revertatur. *Revertere*, inquit, *ad dominam tuam* (*Genes.* XVI. 9.); et humiliare sub manu ipsius. Hoc nimirum multis in locis invenitur sermo divinus commonere, hoc divina Scriptura tam in novis quàm veteribus paginis edocere; ut scilicet nullus de suis operibus præsumat gloriari, sed assignet gratiæ quidquid boni prævalet operari.

GUILLEL. PARISIEN. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 1. Naturæ impossibile est quoscunque à statu gratiæ prolapsos restaurare, seu restituere ad eadem. licèt sit omnipotentiæ divinæ possibile. Quòd enim peccatores ad pœnitentiam resurgunt, non est naturæ efficientis, sed grande, stupendumque miraculum.

GUILLELM. ALTISSIOD. *in Sentent. de libero arbit. et ejus essentia, seu diffinit.* 11. *Tract. pag.* 69. Liberum arbitrium æquè se habet ad malum vel ad bonum. Ergo quâ ratione dicitur bonum, debet dici malum. Imò ostenditur quòd magis se habet ad malum. Nam sine aliquo operante vel cooperante se habet ad illud: ad bonum autem non sic. Item pronius est ad malum, et faciliùs inclinatur ad illud. Proni enim sunt sensus hominis ab adolescentia in malum. Item liberum arbitrium principium primum mali: non autem boni. Ex his autem patet quòd magis se habet ad malum quàm ad bonum, et indè ut priùs.

Quæst. 4. 1. Utrum liberum arbitrium potens sit in opera de genere bonorum per se sine gratia superaddita naturalibus. 2. Utrum possit ex se sine gratia in opera meritoria: et utrum potentia credendi sit naturalis. Circa primum duplex est opinio. Quidam enim dicunt quòd liberum arbitrium potest in opera de genere bonorum sine gratia superaddita naturalibus. Alii dicunt quòd non sine gratia excitante: et hoc volunt probare auctoritatibus et rationibus. Auctoritatibus primò: dicit Dominus in Joanne, *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.); et in Isaïa, *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* (*Isai.* XXVI. 12.) Et Apost. *Non quòd sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis.* (2. *Cor.* III. 5.) Et in Threnis, *Misericordiæ Domini est quòd non sumus consumpti.* (*Thren.* III. 22.) Per hanc ultimam auctoritatem probatur quòd nec etiam declinare possumus à malo, nisi ex gratia: igitur multò magis non possumus facere bonum in genere sine gratia. Rationibus idem probare volunt hoc modo. Triplex est bonum opus: scilicet bonum opus naturæ, bonum opus quod est de genere bonorum, et bonum opus meritorium. Sed bonum opus naturæ habet suam radicem, scilicet naturam: bonum meritorium suam, scilicet gratiam. Ergo bonum opus quod est de genere bonorum habet suam radicem non nisi gratiam excitantem ut videtur: et aliud est quo bonum in genere est: aliud quo est bonum in genere. Sed naturæ est id quo est; ergo id quo est bonum est supra naturam; sed hoc est gratia. Igitur liberum arbitrium non potest in bonum in genere nisi per gratiam. Item homo per peccatum spoliatus est gratuitis, et vulneratus in naturalibus: ergo vulnerata fuerunt naturalia bonis et diminuta. Sed ante peccatum liberum arbitrium non se habuit in ampliorem effectum quantùm ad opus de genere bonorum. Ergo post peccatum non potest ex se in opus de genere bonorum sine gratia.

Contrà. Demonstrato aliquo opere de genere bonorum possum verè dicere: Deus operatur vel cooperatur ad hoc ut opus hoc fiat: ergo aliquid inest isti operi à Deo; illud autem gratis inest vel datum est ei: quia

nullus meruit quòd Deus operetur vel cooperetur ad hoc ut esset : ergo cùm nullum opus de genere bonorum possit fieri sine Deo operante vel cooperante, nullum opus de genere bonorum potest fieri sine gratia. Igitur liberum arbitrium non est potens in opera de genere bonorum sine gratia.

Solutio. Gratia strictè et largè sumitur : secundùm enim quod dictum est quòd liberum arbitrium potest in opera de genere bonorum sine gratia ; gratia dicitur ibi habitus superadditus naturalibus : ex quo habitu potest elici actus. Secundùm autem quid gratia largè sumitur pro omni gratis dato à Deo : benè concedimus quòd liberum arbitrium non potest in opera de genere bonorum sine gratia. Et hoc ultimo modo sumit gratiam Beda in quodam libello, quod fecit contra Jovinianum hæreticum, in quo dicit quòd nihil boni facit homo sine gratia.

Tract. 26. *cap.* 1. Tria sunt genera operum bonorum. Est enim opus bonum naturâ solùm, ut comedere et similia : et hoc potest liberum arbitrium sine gratia. Est opus bonum meritorium vitæ æternæ. De hoc denuntiant sancti quòd non potest in hoc sine gratia gratum faciente, quoniam omnia talia procedunt à charitate vel ex fide operante per dilectionem. Est opus medium quod dicitur de genere bonorum, ut dare eleemosynam propter Deum, declinare à malo et facere bonum propter Deum. De hoc dubitatur utrum liberum arbitrium sufficiat sine gratia ad producendum ex se talia opera, et super hoc sunt opiniones. Quidam dicunt quòd liberum arbitrium non sufficit, et distinguunt duplicem gratiam, scilicet gratum facientem quæ est concausa operum meritoriorum ; et gratiam excitantem quæ est concausa operum de genere bonorum in eis qui sunt in peccato mortali. Cùm enim homo dormit in mortali, gratia excitans excitat ipsum ad bonum ut evigilet et surgat. Hoc nituntur probare auctoritatibus et rationibus. Dominus enim dicit in Evangelio, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan* XV. 5.), et Isaias, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* (*Isai.* XXVI. 12.) Hæ auctoritates generaliter loquuntur de omnibus bonis operibus, et ita videtur quòd non sine gratia potest homo facere aliquod opus bonum. Quòd autem non potest homo declinare sine gratia à malo, probatur auctoritate Jeremiæ qui dicit : *Misericordiæ Domini est quod non sumus consumpti.* (*Thren.* III. 22.) Et ita declinare à malo est à misericordia Dei.

Ad Paginam 134. *lin.* 6.

(B) MATTH. XIX. 26. Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt.

MARC. X. 27. Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.

LUC. XVIII. 27. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

ROM. VII. 4. Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritûs, et non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam : nisi Lex diceret : *Non concupisces.* (*Exod.* XX. 17.) 8. Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11. Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum seduxit me, et per illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors ? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio :

consentio legi, quoniam bona est. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: 22. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: 23. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? 25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem, legi peccati.

VIII. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati et mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne: 4. ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.

2. CORINTH. III. 6. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.

XII. 9. Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, ... cùm enim infirmor tunc potens sum.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 22. *ad pop. Antioch. de simultate.* Nihil enim præceptorum Dei difficile est, si rectè consideremus: idque patet ex iis qui feliciter se jam in illis gesserunt. Quot enim ob consuetudinem jurandi, sine sensu sui ad id abripiebantur, et principio difficillimum cavere censebant? Attamen per Dei gratiam, ubi parva à vobis adhibita est cura, majorem partem ejus pravitatis abluistis.

JOAN. HIEROSOL. *Comment. in Matth. cap.* 5. Lex enim est, ut alterius non tollas, etsi tuum non des: Gratia autem, ut alterius non tollas, et tuum des. Qui ergo mutuam pecuniam dat; et legem implet et gratiam. Nam qui de suis libenter dat, multò magis alterius bona non tollit. Dives ergo per patientiam non potest tentari, neque probari; quia nemo illi citò violentiam facit: In largitate autem tentatur, atque probatur. Item pauper per largitatem non potest tentari et probari; quia non habet undè largiatur, et ideò per patientiam tentatur, atque probatur; si benignitas ejus per injuriam non mutatur. Denique si veritatem considerare volumus, et intelligere rationem; quia divitiæ nostræ, non sunt nostræ sed Dei; Deus enim dispensatores nos divitiarum voluit esse suarum, non dominos, et ideò cui voluerit, dat eas, et à quo voluerit, tollit: illud propriè nostrum est, quod in nostra est potestate habere, si volumus. Quomodo autem nostrum dicatur; quod cùm volumus, habere non possumus, nisi nobis fuerit datum? Deindè considera, ut quid tibi magis divitias credidit quàm illi: nunquid ex alia massa luti te fecit, ex alia illum? Et pro te Christum tradidit, pro illo autem aliquem Angelorum? Si per omnia sic illum diligit, quomodo te? Non ideò dedit tibi divitias ut habeas eas, sed ut tenteris in eis.

Cap. 7. Quoniam ergo majora erant mandata quàm virtus humana est, transmittit eos ad eum, cujus gratiæ impossibile nihil est, dicens: *Petite et dabitur* (*Matth.* VII. 7.): Ut quod ex vobis hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Quoniam creaturam sensibilem Deus armatam et munitam creavit. Alios enim munivit veloci pedum cursu, alios armavit unguibus, alios velocibus pennis, alios dentibus, alios cornibus: hominem autem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse. Et in eo quòd infirmiorem eum fecit omnibus, in ipso fortiorem eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere et colere Deum vita æterna est (*Joan.* XVII. 3.); ignorare autem et contemnere, perditio sempiterna; nec ita infirmum eum creavit, ut omninò nihil boni facere posset: ne quem super omnia, et propter quem omnia fecerat, omnibus inveniretur esse deterior: nec ita potentem eum creavit, ut etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quod vult; ut infirmitatis suæ neces-

sitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et verè justissima res est, ut factura necessarium habeat suum factorem. Si enim omnis virtus hominis in Deo est, et tamen contemnit omnium bonorum auctorem; quantò magis negligeret Deum, si potentia ejus esset in ipso.

S. Joan. Damasc. *in Epist. ad Roman. pag.* 25. Eas vires lex non habuit, quibus peccatum subigeret. Id autem gratia patravit: nam et illud dissolvit prorsùs ac delevit, nosque divino spiritu implevit, ut ex facili illo superiores evaderemus. *Occasione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* (*Rom.* VII. 8.) Peccatum autem dominabatur, quia gratia non erat, per quam destrueretur.

S. Hilarii *Comment. in Matth. cap.* 9. *n.* 2. Matthæum Dominus evocavit, in cujus mentem ingressus recumbit. Hic enim idem Evangelii istius scriptor est, et de peccati sui domo exiens, Dominum ipse suscepit, interiore ejus habitatione illuminatus, intra quem Evangelicis cibis peccatoribus et publicanis convivium divite copiâ præparatur. Æmulatio deindè agitat Judæos, Dominum publicanis et peccatoribus communicare. (*Matth.* IX. 11.) Quibus ille operta infidelitatis velamine verba legis expromisit, siquidem ægrotis opem ferre et medicinam egentibus præstare; eis autem, qui se sanos existimarent, necessariam curationem nullam esse. (*Ibid.* 12.) Sed ut intelligerent, neminem suorum sanum esse; admonuit ut discerent quid est, *Misericordiam volo, non sacrificium* (*Osee.* VI. 6.), legem scilicet, sacrificiorum observatione devinctam, opem ferre non posse; sed salutem universis in misericordiæ indulgentia reservari. *Non enim veni justos vocare, sed peccatores in pœnitentiam.* (*Matth.* IX. 13.) Omnibus veneral, quomodo ergo non se justis venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat ut veniret? Sed nemo justus ex lege est. Ostendit ergo inanem justitiæ esse jactantiam: quia sacrificiis infirmibus ad salutem, misericordia erat universis in lege positis necessaria. Nam si justitia fuisset ex lege, venia per gratiam necessaria non fuisset.

Cap. 21. *n.* 14. Res extra culpam infidelitatis est, quia in facti erat difficultate ne fieret. Non igitur ire statim ad opus quod præceptum est noluit; sed quia ire non poterat, non iit. In eo enim necessitatis mora sine crimine voluntatis ostenditur.

S. Ambr. *Epist.* 77. *n.* 2. Nos secundùm Isaac filii per repromissionem, Judæi secundùm carnem filii ancillæ. Nobis mater libera, quæ non parturiebat, et postea ex repromissione effudit, peperitque masculum; illis mater Agar generans in servitutem. Liber est, cui gratia promittitur: servus, cui jugum legis imponitur: priùs ergo nobis repromissio quàm illis lex; et secundum naturam antiquior libertas, quàm servitus. Libertas igitur ex repromissione, ex lege servitus. Sed licèt repromissio ipsa ante legem sit, ut diximus, ex repromissione autem liberlas, in libertate charitas; secundùm legem tamen est charitas, quæ major libertate est.

N. 3. Non ergo servi? Et quomodo scriptum est: *Laudate servi Dominum?* (*Ps.* CXXXIV. 1.) Quomodo ipse Apostolus ait (*Ephes.* VI. 6.): *sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate?* Verùm est et servitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus ait: *Qui liber vocatus est, servus est Christi.* (1. *Cor.* VII. 22.) Hæc est servitus ex animo, non ex necessitate. Itaque nos servi quidem sumus creatoris nostri: sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus, generati ex promissione secundùm fidem. Unde quasi ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus, signati in fronte, sicut liberos decet; ut non confundamur, sed gloriemur, signati spiritu, non carne.

S. Hieron. *ad Ctesiphont. advers. Pelag. Epist.* 43. Injuriam tibi fieri putas et destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, et dicas: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Ps.* XXIV. 15.)? Undè et audes linguâ proferre temerariâ unumquemque arbitrio suo regi? Si suo arbitrio regitur, ubi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Jeremias: *Non est in homine via ejus* (*Jerem.* X. 23.); et, *à Domino gressus hominis diriguntur* (*Prov.* XX. 24.)? Facilia dicis Dei esse mandata, et tamen nullum proferre potes, qui universa compleverit. Respondemihi. Facilia sunt, an difficilia? Si facilia, profer quis ea impleverit, et cur David in Psalmo canat: *Qui fingis laborem in præcepto* (*Ps.* XCIII. 20.); et ite-

rum: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Ps.* XVI. 4.): Et Dominus in Evangelio: *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII. 13.): et, *Diligite inimicos vestros* (*Luc.* VI. 35.): et *orate pro his qui persequuntur vos* (*Matth.* V. 44.)? Sin autem difficilia, cur ausus es dicere, facilia esse Dei mandata, quæ nullus impleverit? Non intelligis tuas inter se repugnare sententias? Aut enim facilia sunt, et infinita est multitudo hominum qui ea impleverint: aut difficilia, et temerè dixisti esse facile, quod difficile est. Soletis et hoc dicere, aut possibilia esse mandata, et rectè à Deo data: aut impossibilia, et non in his esse culpam qui accepêre mandata, sed in eo qui dedit impossibilia. Nunquid præcepit mihi Deus, ut essem quod Deus est... Asseris posse hominem esse sine peccato, si velit: et post gravissimum somnum ad decipiendas rudes animas frustra conaris adjungere, non absque Dei gratia. Si enim semel homo per se potest esse sine peccato, quid necessaria est Dei gratia? Sin autem sine illius gratia nihil potest facere, quid necesse fuit dicere, posse quod non potest? Potest, inquit, esse sine peccato, potest esse perfectus si voluerit. Quis enim Christianorum non vult esse sine peccato, aut quis perfectionem recusat, si sufficit ei velle: et statim sequitur posse, si velle præcesserit? Nullusque Christianorum est, qui nolit esse sine peccato: omnes ergo sine peccato erunt, quia utique omnes cupiunt esse sine peccato. Et in hoc ingratus teneberis, ut quia nullum, aut rarum quemquam sine peccato proferre potes, omnes sine peccato esse posse fatearis. Possibilia, inquit, mandata dedit Deus. Et quis hoc negat? Sed quomodo hæc intelligenda sit sententia, vas electionis apertissimè docet; ait enim: *Quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato condemnavit peccatum in carne.* (*Rom.* VIII. 3.) Et iterum: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* (*Ibid.* III. 20.) Quod ne de lege Moysi tantùm dictum putes, et non de omnibus mandatis, quæ uno legis nomine continentur, idem Apostolus scribit, dicens: *Consentio enim legi Dei juxta interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 22. 23. 24. 25.)

Lib. 2. *Dial. advers. Pelag.* Moyses, inquit, dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem, utique possibilem; et tamen quod erat possibile, nemo impleverat: neque enim culpa imperantis est; sed fragilitas audientis, ut omnis mundus subditus fiat Deo.

Lib. 3. Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore et industriâ, ac diligentiâ, et semper super omnia Dei clementiâ custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere; illius perficere: nostrum offerre quod possumus; illius implere quod non possumus. *Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.)

S. AUG. *Lib. de divers. Quæstion. octogint. trib. Quæst.* 66. *n.* 1. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* (*Rom.* IV. 15.) Et hoc est quod dicit, * *ut fiat supra modum peccator, aut peccatum, per mandatum.* (*Rom.* VII. 13.) Quapropter legem quamvis à peccando prohibeat, non tamen sic dicit dalam, ut liberaret à peccato; sed ut demonstraret peccatum, cui serviens anima debet se ad gratiam liberatoris convertere, ut à peccato liberetur. *Per legem enim cognitio peccati.* (*Rom.* III. 20.) Et alio loco dicit, *sed peccatum, ut apparcat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* (*Rom.* VII. 13.) Ubi ergo non est gratia liberatoris, augel peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima seipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de servitute peccati, atque hoc modo detumescente, atque exstinctâ omni superbiâ, subdatur liberatori suo, sinceriterque homo dicat, *adhæsit anima mea post te* (*Ps.* LVII. 9.): quod est jam non esse sub lege peccati, sed in lege justitiæ.

N. 6. *Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* (*Rom.* VIII. 3.), id est, per desideria carnalia: ideo enim non implebatur lex, quia ipsius justitiæ nondum erat charitas, quæ interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur.

Lib. de Divers. Quæst. ad Simpl. lib. 1. *n.* 14. Hoc autem totum ideò dicitur, ut demonstretur homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Undè Judæos arguebat tanquam de operibus legis superbè glorianles, cùm traherentur concupiscentiâ ad quidquid illicitum est, cùm lex de qua gloriabantur, dicat, *non concupisces.* (*Exod.* XX. 17.) Humiliter ergo dicendum est homini victo, damnato captivo, et nec saltem acceptâ lege victori, sed potiùs prævaricatori, humiliter exclamandum est, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.) Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cùm voluerit, sed ut se simplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.

Ad Anastas. Epist. 145. *n.* 2. Quantò enim sunt charitati futura meliora, tantò sunt infirmitati violentiora præsentia. Et utinam ii qui ea videre et gemere noverunt, vincere et evadere mereantur; quod sine Dei gratia nullo modo voluntas implet humana, quæ nec libera dicenda est, quandiù est vincentibus et vincientibus cupiditatibus subdita: " *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est* (2. *Petr.* II. 19.): et, *si vos Filius liberaverit*, ait ipse Dei Filius, *tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.)

N. 3. Lex itaque docendo et jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas salvatorem, à quo sanata voluntas possit, quod infirma non posset. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Proinde ne littera sine spiritu occidat (2. *Cor.* III. 6.), spiritus vivificans credentibus et invocantibus datur, *charitas* verò *Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V. 5.), ut fiat quod idem Apostolus dicit, *Plenitudo legis Charitas.* (*Rom.* XIII. 10.) Ita *bona est lex illi, qui eâ legitimè utitur* (1. *Timoth.* I. 8.): utitur autem legitimè, qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem. Huic gratiæ, quâ justificatur impius, quisquis ingratus velut ad legem implendam de suis viribus fidit, ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere (*Rom.* X. 3.), justitiæ Dei non est subditus: hac per hoc fit ei Lex non absolutionis adjutorium, sed vinculum criminis.

N. 8. Hoc non propter te, qui non alta sapiens consentis humilibus; sed propter quosdam, qui nimiùm arrogant humanæ voluntati, quam lege datâ putant, ad eam implendam sibi posse sufficere, nullâ super doctrinam Legis gratiâ sanctæ inspirationis adjutam: per quorum disputationem infirmitati hominum miseræ atque indigæ suadetur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem. Non quia hoc audent apertè dicere; sed eorum sententiam, velint nolint, hoc utique sequitur. Nam ut quid nobis dicitur, *vigilate et orate ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI. 41.)? Ut quid etiam secundùm hanc exhortationem, cùm doceret orare, præcepit ut dicamus, *ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI. 13.): si hoc non impletur ex adjutorio gratiæ divinæ, sed id totum est in arbitrio voluntatis humanæ? Quid plura? Saluta fratres qui tecum sunt, et orate pro nobis, ut salvi simus secundùm illam salutem, de qua dicitur, *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores.* (*Matth.* IX. 12. *et* 13.) Orate ergo pro nobis, ut justi simus; quod quidem homo non potest nisi norit et velit, et erit continuò qui plenè voluerit: sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratiâ Spiritûs sanetur, et adjuvetur, ut possit.

Serm. 32. *in Psal.* CXLIII. *aliàs* 20. *de div. et* 31. *ex Homil.* 50. *cap.* 9. *n.* 9. Quia gratia hoc implet, nemo debet de viribus suis præsumere: hoc est enim præsumere de gratia Dei. Vocat enim te Deus, et jubet ut facias: sed ipse dat vires, ut quod jubet impleri possit. Tibi autem capax fides adhibenda est, ut inundatione gratiæ humilies te, supplices Deo, nihil de te præsumas.

Serm. 96. *aliàs de div.* 47. *de verb. Evang. Matth.* 8. *cap.* 1. *n.* 1. Durum videtur et grave quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget seipsum. Sed non est durum nec grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat.

Enarr. in Psal. LXVII. *n.* 11. An fortè lex ipsa intelligenda est in monte

Sina (*Exod.* XIX. 18.), quam *distillâverunt cœli à facie Dei* (*Ps.* LXVII. 9.), ut terra moveretur? et ipse est terræ motus, cùm conturbantur homines, quia legem implere non possunt? Quòd si ita est, hæc est et pluvia voluntaria, de qua consequenter dicit, *Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati tuæ* (*Ibid.* 10.): quia *non fecit sic ulli genti, et judicia sua non manifestavit eis.* (*Psal.* CXLVII. 20.) Segregavit itaque pluviam hanc voluntariam Deus hæreditali suæ quòd legem dedit. *Et infirmata est* (*Ps.* LXVII. 10.), vel ipsa lex, vel ipsa hæreditas. Lex infirmata sic accipi potest, eo quòd non impleretur: non quòd ipsa infirma sit, sed quòd infirmos facit minando pœnam, nec adjuvando per gratiam. Nam et Apostolus ipso verbo usus est, ubi ait, *Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* (*Rom.* VIII. 3.): significare volens quia per spiritum impletur: tamen ipsam dixit infirmari, cùm ab infirmis non possit impleri. Infirmata verò ipsa hæreditas, id est, ipse populus datà sibi lege, sine ulla ambiguitate intelligitur. *Lex enim subintravit ut abundaret delictum.* (*Rom.* V. 20.) Quod autem sequitur, *tu verò perfecisti eam* (*Ps.* LXVII. 10.), ad legem ita refertur; quia secundùm illud perfecta, id est, impleta est quod Dominus in Evangelio dicit, *non veni legem solvere, sed implere.* (*Matth.* V. 17.) Undè et Apostolus qui dixerat legem infirmatam esse per carnem (*Rom.* VIII. 3.), quia caro non implet, quod per spiritum impletur, id est, per gratiam spiritalem: ipse item dicit *ut justitia legis impleretur in nobis....* (*Ibid.* 4.) Hoc est ergo, *tu verò perfecisti eam*; quia *plenitudo legis est charitas* (*Rom.* XIII. 10.), et *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non per nos ipsos, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V. 5.): hoc est, *tu verò perfecisti eam*, si legem perfecisse intelligatur: si verò hæreditatem, facilior est intellectus. Si enim propter hoc dicta est hæreditas Dei infirmata, id est, populus Dei infirmatus datâ lege, quia *lex subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* V. 20.); ergo et quod sequitur, *tu vero perfecisti eam*, ex illo intelligitur quod etiam in Apostolo sequitur, *ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia.* (*Ibid.*) Namque abundante delicto, *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, et postea acceleraverunt* (*Ps.* XV. 4.); quia ingemuerunt, et invocaverunt; ut ipso adjuvante impleretur, quod ipso jubente non implebatur.

N. 12. Est in his verbis et alius sensus, qui probabilior mihi videtur. Multò enim congruentius intelligitur ipsa gratia pluvia voluntaria, quia nullis præcedentibus operum meritis gratis datur. *Si enim gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* XI. 6.) *Non enim dignus sum*, inquit, *vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: gratiâ autem Dei sum quod sum.* (1. *Cor.* XV. 9. *et* 10.) Hæc est pluvia voluntaria. *Voluntariè quippè genuit nos verbo veritatis.* (*Jacob.* I. 18.) Hæc pluvia voluntaria. Indè alibi dicitur, *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* (*Psal.* V. 13.) Istam pluviam *cùm Deus transiret in deserto*, id est, prædicaretur in Gentibus, *cœli distillaverant*: non tamen à seipsis, sed *à facie Dei* (*Psal.* LXVII. 9.), quoniam et ipsi gratiâ Dei sunt quod sunt.... Hanc ergo pluviam voluntariam, nullis præcedentibus meritis operum bonorum, segregavit Deus hæreditati suæ. *Et infirmata est.* Agnovit enim non esse se aliquid per seipsum; non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendum esse quod est. Agnovit quod dictum est, *In infirmitatibus meis gloriabor.* (2. *Cor.* XII. 9.) Agnovit quod dictum est, *Noli altum sapere, sed time.* (*Rom.* XI. 20.) Agnovit quod dictum est, *Humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* IV. 6.) *Et infirmata est, tu verò perfecisti eam*: quia *virtus in infirmitate perficitur.* (2. *Cor.* XII. 9.)

De continent. cap. 3. *n.* 7. *Per legem enim cognitio peccati* (*Rom.* III. 20.): et, *concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces* (*Rom.* VII. 7.): et earum tamen oppugnatione vincuntur, quia sub lege vivunt; quâ jubetur quod bonum est, et non datur: non vivunt sub gratia, quæ dat per Spiritum sanctum quod per legem jubetur: his ideò *subintravit lex ut in eis abundaret delictum.* (*Rom.* V. 20.)

De sancta virginitate cap. 41. *n.* 42. Ne à se sibi putet esse Dei virgo quòd talis est, ac non potiùs hoc *donum optimum desuper descendere à Patre luminum apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* (*Jacob.* I. 17.) Ita enim non putabit modicum sibi esse dimissum, ut modicum diligat, et *ignorans Dei justitiam ac suam volens constituere, justitiæ Dei*

non subjiciatur. (*Rom.* x. 3.) In quo vitio erat Simon ille, quem superavit mulier cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* (*Luc.* VII. 47.) Sed cautiùs et veriùs cogitabit, omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur, ea ipsa quæ præcipiuntur à Deo non fieri nisi dante atque adjuvante qui præcipit. Mendaciter enim petuntur, si ea non adjuvante ejus gratiâ facere possemus. Quid tam generaliter maximèque præcipitur, quàm obedientia quâ custodiuntur mandata Dei? Et tamen hanc invenimus optari: *Tu* (inquit), *præcepisti mandata tua custodiri nimis.* (*Ps.* CXVIII. 4.) Deinde sequitur: *utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas; tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua.* (*Ibid.* 5. *et* 6.) Quod Deum præcepisse suprà posuit, hoc ut à se impleretur optavit. Hoc fit utique ne peccetur: quòd si peccatum fuerit, præcipitur ut pœniteat; ne defensione et excusatione peccati pereat superbiendo, qui fecit, dum non vult pœnitendo perire quod fecit. Etiam hoc à Deo petitur, ut intelligatur non fieri, nisi eo præstante à quo petitur * *Pone* (inquit), *Domine custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea: ne declines cor meum in verba maligna, ad excusandum excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.* (*Psal.* CXL. 3. 4.) Si ergo et obedientia quâ ejus mandata servamus, et pœnitentia quâ peccata nostra non excusamus, sed accusamus, optatur et petitur; manifestum est, quia cùm fit, illo dante habetur, illo adjuvante completur. Apertiùs etiam dicitur propter obedientiam, *à Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet.* (*Ps.* XXXVI. 23.) Et de pœnitentia dicit Apostolus, *ne fortè det illis pœnitentiam.* (2. *Timoth.* II. 25.)

Cap. 42. *n.* 43. De ipsa etiam continentia non ne apertissimè dictum est, *Et cùm scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum* (*Sapient.* VIII. 21.)? Sed fortè continentia donum Dei est, sapientiam verò sibi homo præstat, quâ illud donum non suum, sed Dei esse cognoscat. Immò *Dominus sapientes facit cæcos* (*Ps.* CXLV. 8.); et, *testimonium Domini fidele, sapientiam præstat parvulis* (*Psal.* XVIII. 8.); et, *si quis indiget sapientiâ postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.* (*Jacob.* I. 5.) Sapientes autem esse virgines decet, ne lampades earum exstinguantur. (*Matth.* XXV.) Quomodo sapientes, nisi *non alta sapientes, sed humilibus consentientes?* (*Rom.* XII. 6.) * *Dixit* enim *homini* ipsa sapientia, *Ecce pietas est sapientia.* (*Job.* XXVIII. 28.) Si ergo nihil *habes quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.); *noli altum sapere, sed time...* (*Rom.* XI. 20.) Quisquis initio pudicus permanet, ab illo regitur; et quisquis ex impudico pudicus fit ab illo corrigitur; et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur.

Cap. 43. *n.* 44. Deindè jam sciens homo, gratiâ Dei se esse quod est, non incidat in alium superbiæ laqueum, ut de ipsa Dei gratia se extollendo spernat cæteros.

Lib. 19. *Contra Faust. cap.* 18. Hæc (*Decalog.*) præcepta sunt morum; illa (*Cæremoniæ*) sacramenta sunt promissorum: hæc implentur per adjuvantem gratiam, illa per reddilam veritatem: utraque per Christum et illam semper gratiam donantem, nunc etiam revelantem: et hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem: quia *Lex per Moïsen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* I. 17.)

Vide §. 1. *hujusce Cap. litt.* (A.) S. AUG. *ad Hilar. Epist.* 157. *cap.* 3. *n.* 15. *Ad Aselic. Epist.* 186. *cap.* 1. *n.* 3. *Ad Optat. Epist.* 190. *cap.* 2. *n.* 6. *Quæst. in Exod. lib.* 2. *Quæst.* 105. *Enarr. in Ps.* XL. *n.* 4. *Enarr. in Psal.* CVI. *n.* 5. *In Joan. Evang. cap.* 1. *Tract.* 3. *n.* 2. *Propos. ex Epist. ad Rom. Expos. n.* 15. *Serm.* 8. *de decem. plag. et præcept. cap.* 11. *n.* 13. *Serm.* 163. *aliàs* 3. *de verbis Apost. Galat.* IV. *cap.* 10. *n.* 10. *et seq. Serm.* ISIDOR. HISPAL. *Comm. in lib.* 1. *Reg.*

S. PROSPER. *lib. Epigramm. de legis littera.*

Index peccati lex est, plectenda velando,
Quæ, nisi cor mundet spiritus, interimit.
Nullus enim est insons solâ formidine pœnæ,
Qui sanctum et justum non amat imperium.

Hunc tamen effectum non lex, sed gratia confert,
Quæ quod jubet legis littera, velle facit.

De lege et gratia. Lex data est, ut gratia quæreretur : et gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis : quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

Non servit jussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere divinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit ut poscatur gratia Christi;
Ardua quâ legis jussa queant fieri.
Nec jam non valeant carnales vincere sensus
Quos justæ legis conditor esse juvat.

S. Leo. Magn. *Serm.* 82. *de Jejun. sept. mens. cap.* 2. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* xix. 2.) : hoc est, Me diligite, et ab iis, quæ mihi displicent, abstinete. Facite quod amo : amate quod facio. Et cùm videtur esse difficile, quod jubeo, ad jubentem accurrite; ut undè datur præceptum, præstetur auxilium : non negabo opem, qui tribui voluntatem. Jejunate ab adversis, abstinete à contrariis. Ego sum cibus vester et potus : nemo quæ mea sunt inefficaciter concupiscit; qui enim ad me tendit, ex mei participatione me quærit.

Serm. 88. *de Jejun. sept. mensis* 5. *cap.* 2. Ne usque ad inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia spondet ex virtute divina, *angusta enim et arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* vii. 14.) : et nemo in eam gressum inferret, nemo vestigium promoveret, nisi difficiles aditus ipse se Christus viam faciendo reseraret : ut auctor itineris fiat possibilitas ambulantis, quia idem et introducit ad laborem, et perducit ad requiem.

Bedæ Presbyt. *Comment. in Psal.* lxxxiii. *Etenim benedictionem* ostendit quomodo ille cujus est auxilium à Domino disponere potuerit, ascensiones scilicet, quia adjutus est à sublevante gratia. Namque *lator legis dabit benedictionem* (*v.* 8.) : hoc est Dominus qui dedit legem deprimentem, dabit et gratiam sublevantem. Lex ideò dicitur deprimens quia non potuit salvare, sed peccata tantùm ostendere. Undè ait Apostolus, *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* (*Galat.* iii. 21.) Potuit etiam lex peccatum demonstrare, sed non potuit auferre; quod idem Apostolus ostendit dicens (*Rom.* vii. 8.) : *Occasione enim acceptâ peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam*, et reliqua. Et ita lex quidem producebat infirmos, sed non sanabat eos.

In Evang. Joan. cap. 1. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (A)

In Epist. ad Rom. cap. 10. *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti...* (*Rom.* x. 3.) Justitia Dei hic dicitur, non quâ justus est Deus, sed quam dat Deus homini, ut justus sit homo per Deum. Quæ autem erat illorum justitia? Quâ de suis viribus præsumebant, et quasi impletores legis seipsos ex sua virtute dicebant. Nemo autem implet, nisi quem adjuverit gratia, id est, *panis qui de cœlo descendit.* (*Joan.* vi. 59.) *Legis enim plenitudo* (compendio ut ait Apostolus) *charitas est.* (*Rom.* xiii. 10.) Charitas non nummi sed Dei, charitas non terræ, non cœli, sed ejus qui fecit cœlum et terram. Undè ista charitas homini? Ipsum audiamus. *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* v. 5.) Est enim justitia Dei, quæ et nostra fit cum donatur nobis. Ideò autem justitia Dei dicitur, ne homo se putet à seipso habere justitiam. Sic enim dicit Apostolus Paulus : *Credenti in eum qui justificat impium.* (*Rom.* iv. 5.) Quis est *qui justificat impium*? Qui ex impio facit justum. *Depulatur fides ejus ad justitiam.* (*Id. Ibid.*) Judæi verò quia suis viribus se putabant implere posse justitiam, offenderunt in lapidem offensionis, et gratiam Christi non agnoverunt. Acceperunt enim legem quâ fierent rei, non quâ liberarentur à reatu.

Ambr. Ansbert. *in Apoc. lib.* 2. *pag.* 546. *Tom.* 15. *BB. PP. Lugd. Quid tentatis*, ait, *imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres*

nostri, neque nos portare potuimus aliquando (*Act.* xv. 10.) Ab hac importabili sarcina, ab hoc gravissimo pondere liberati jam fuerant quibus Paulus dicebat : *state, et nolite iterum jugo servitutis contineri.* (*Galat.* v. 1.) Sed quia ab importabili onere liberantur, sub leni sarcina Christi permanere monentur, cùm dicitur : *Tamen id quod habetis, tenete* (*Apoc.* ii. 25.), id est, onus leve ad quod vocati estis, abjicere nolite. Et quod est illud, nisi gratia ipsius redemptoris nostri? Undè et Petrus cùm Judæis diceret, *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus aliquando*, protinus addidit : *sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi.* (*Act.* xv. 11.) Ad hujus gratiæ levissimum pondus ferendum, cœlestis magister discipulos per Evangelium invitabat, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos.* (*Matth.* xi. 28. *et* 29.) Atque post paululùm subjicieus : *Jugum*, inquit, *meum suave est, et onus meum leve.* (*Ibid.* 30.) Ab onere igitur ad onus vocat, sed à gravi ad leve, à lege ad gratiam, per quam non solùm impleatur Lex, verùm etiam transcendatur.

JOAN. GERSON *Serm. de verbis Dom.* Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. (*Matth.* xi. 28.) *Si te peccatorem consideras*, ait Gregorius, *oportet ut à te Dominum non repellas.* Repellis autem si de bonitate ejus propter tuam malitiam desperas, si de imperfecto tuo intemperatè formidas. Si opera nostra sufficerent nobis, divinæ misericordiæ quis locus esset? Propterea ergo datur gratia ut non glorietur omnis caro coram illo, cùm se videt per solam obtinere gratiam, quod non potest per virtutem suam. Si vilitatem tuam consideras, magis insta, confide, spera, clama et deprecare altissimum, et dabit tibi petitiones cordis tui. Cùm audis dicentem Dominum super vos, respira ad gratiam, gratus esto gratiæ, et de viribus tuis noli præsumere.

Ad Paginam **134**. *lin.* 10.

(**C**) *Vide testimonia superiùs allata hocce §. et quæ mox sequentur. Vide etiam quæ attulimus suprà §. 1. litt.* (**A**) *et sequent.*

Ad Paginam **134**. *lin.* 13.

(**D**) ISAI. XXVI. 12. Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

EZECH. XXXVI. 27. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.

JOAN. XV. 5. *Vide supra hocce §. litt.* (**A**)

1. COR. IV. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.

2. COR. III. 5. *Vide suprà hocce §. litt.* (**A**)

EPHES. II. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

PHILIPP. II. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.

GUIL. ESTIUS *in Lib.* 2. *Sentent. Dist.* 26. *paragr.* 21. Idipsum et Orationes Ecclesiasticæ palam significant, ut illæ quibus petimus, ut cuncta nostra operatio et oratio à Deo semper incipiat, et per ipsum cœpta finiatur : ut semper ad Dei justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera ; ut Deus dirigere, sanctificare, regere et gubernare dignetur corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege sua. Et aliæ similes quibus Ecclesia tanquam vocibus publicis protestatur se credere, sic ad singulos actus gratiam Dei dari, ut singula hominum bona opera, non tantùm secundùm principium aliquod habituale divinitùs acceptum, sed propriè atque in seipsis ab operante Dei gratia procedant; id est, talia sint, quorum unumquodque Deus in homine singulari operatione efficiat. Nam si gratia habitualis sine ulteriori auxilio ad ullum bonum opus sufficeret, nihil opus esset fidelibus jam in gratia constitutis novum auxilium ad singulos actus implorare ; sed satis esset pro dono gratiæ semel collato gratias agere ; et pro eodem agendo et conservando laborare : nisi fortè ad hoc solùm peterent novum auxilium, ut quod sine eo possent, sed difficiliter, faciliùs per ipsum impleant. Quam responsionem ut Pelagianam superiùs ex Augustino rejecimus. Nec cum ea responsione constaret ullo modo veritas sententiæ, gratiam ad singulos actus dari.

ORAT. *Dom.* 6. *post Epiph.* Deus virtutum cujus est totum quod est optimum.

ORIGENES *in Epist. ad Roman. cap.* 4. *lib.* 4. Vix mihi suadeo quòd possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat, cùm etiam hoc ipsum quòd agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono et largitione faciamus.

S. HIERON. *Lib.* 1. *Dialog. advers. Pelag.* Illud verò quod in alio ponis loco, omnes voluntate propriâ regi, quis Christianorum potest audire? Si enim non unus, nec pauci, nec multi, sed omnes reguntur propriâ voluntate, ubi erit auxilium Dei? Et quomodo illud exponis? *A Domino gressus hominis diriguntur* (*Prov.* XX. 24.); et, *non est in homine via ejus* (*Jerem.* X. 23.); et, *nemo potest quidquam accipere, nisi datum fuerit ei desuper.* (*Joan.* III. 27.) Et in alio loco: *Quid enim habes quod non accepisti? Et si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.)? Dicente Domino Salvatore: *Non descendi de cœlo, ut faciam voluntatem meam: sed voluntatem ejus qui me misit Patris.* (*Joan.* VI. 38.) Et in alio loco: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Verumtamen non quod ego volo, sed sicut tu.* (*Matth.* XXVI. 36.) Et in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* (*Matth.* VI. 10.) Quâ sententiæ temeritate aufers Dei omne præsidium: et quod in alio loco frustra conaris adjungere, non absque Dei gratia, quomodo sentire velis, ex hoc loco intelligitur, dum gratiam ejus non ad singula refers opera, sed ad conditionis ac legis et liberi arbitrii potestatem.

Nil dilucidius docet S. AUGUST. *in Epist. et Serm. adversùs Pelagianos scriptis, et toto ferè tomo* X. *Idem docent* SS. PROSPER, FULGENTIUS *adversùs Pelag. Cælest. etc. Vide suprà* §. 1. *litt.* (A) *plurima in hanc rem SS. PP. Testimonia, et quæ sequuntur.*

S. AUGUST. *Epist.* 217. *aliàs ad Vitalem, cap.* 5. *n.* 16. *art.* 3. Scimus (Gratiam) majoribus ad singulos actus dari.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 25. *n.* 6. Deus rogatur ut id faciat, cui dicitur, * *confige clavis à timore tuo carnes meas* (*v.* 120.) ut intelligamus etiam id quod rectè facimus, gratiæ Dei esse tribuendum, *qui in nobis operatur et velle et operari pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.)

S. PROSPER. *Epigr. De adjutorio Dei.* Divini est muneris, cùm et recta cogitamus, et pedes nostros à falsitate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

Non dubiè nostri Deus est et rector et auctor,
Cùm toto affectu, quæ bona sunt, gerimus.
Ex operum specie clarebunt intima cordis:
Quive hominis mentem spiritus intùs alit.
Sanctus enim sanctos facit; et de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus absque Deo.

S. FULGENT. *ad Prob. de virginit. Epist.* 3. *cap.* 3. In hoc debito quod exigitis à nobis et redditis nobis, adjuvari me non dubito: ut Deus, *qui operatur* in suis *et velle et perficere, pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.), ipse donet quòd dignè cogitem, dignè dicam. In bonis enim cogitationibus non sumus idonei *cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) Et ob hoc non deficimus indigentiâ, quia gratuito munere ab illo sufficientia nostra est, in quo indigentia nulla non est. Qui sicut bonorum nostrorum non eget, sic semper abundat ut donet. Nec donando fit indigus, quia hoc donat quo semper est plenus. Nec est quod illi à nobis afferatur cogitationis, sermonis aut operis placitum munus, quod ipse non fuerit gratuitâ benignitate largitus. Idcircò autem gratuita semper est Dei sancta largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio. Quia etsi quod est bonum cujuslibet hominis meritum, ab ipso est utique, *à quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum.* (*Jacob.* I. 17.) Quod nec habere potest homo, nisi ab ipso fuerit datum: nec perseveranter habere, nisi fuerit ipso custode servatum.

Epist. 4. *cap.* 2. Compunctio enim cordis, excitat orationis affectum: oratio humilis, divinum promeretur auxilium. Compunctio cordis, vulnera sua respicit: Oratio verò medelam sanitatis exposcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse no-

bis initium desiderii spiritalis infundat? Aut quis perseverare in oratione queat, nisi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminavit enutriat, et quod, misericordiâ præcedente, gratis donavit indignis, ad effectum perfectionis, misericordiâ subsequente, perducat? Sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus auctor atque adjutor semper glorificetur in opere: nec putemus sic eum auctorem boni operis æstimandum, tanquam in ipso tantum creationis exordio sic Deus naturæ humanæ boni operis facultatem dederit, ut ipsius adjutorio desistente, sola per seipsam possit humana natura quodcunque bonum velle seu facere: cùm hoc nec in ipso primo homine poluerit sola implere conatu proprio, quando necdum fuit vitiata peccato. Quomodo ergo infirma, sine juvamine medici, sospitatem suam reparare poluerit? quæ dum sana esset, sospitatem suam custodire nequivit. Non ergo glorietur terra et cinis, quia in vita sua projecit intima sua: nec vulneratus de hoc quod in se sanum existimat, tanquam sanus exsultet: sed suorum vulnerum putredinem compuncti cordis humilitate consideret, ut clamans cum Propheta, * *Computruerunt et deterioratæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ* (*Ps.* XXXVII. 6.), possit medelam, non suo merito, sed gratuito munere divinæ pietatis accipere. *Quid enim habet homo, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit* (1. *Cor.* IV. 7.)? Solus igitur Deus potest omnibus quibus voluerit dare, undè vera salus acquiri possit: Et ideò solus potest in accipiente custodire, quod dederit. *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Ille itaque non palietur furtivum nequissimi prædonis ingressum, cui non defuerit Domini vigilantis auxilium. *Ipse enim non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israël.* (*Ps.* CXX. 4.)

Ad Theodor. de convers. Epist. 7. *c.* 7. Hujus gratiæ adjutorium semper est à nobis à Deo poscendum: sed ne ipsum quod poscimus, nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitùs fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci: ipsa quoque ampliùs infunditur, cùm poscentibus datur. Quis verò potest gratiam poscere, nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit. Propter quod beatus Apostolus, non solùm bona opera hominum, sed etiam bonam voluntatem Deum in nobis operari testatur, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Hoc est quòd sollicitudinem fidelibus humilitatemque commendans, præmisit, dicens: *Cum timore et tremore vestram salutem operamini.* (*Ibid.* 12.) Et ibi adjecit: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Ut ad eum quoque veniamus, currimus: et ideò currimus, quia currere volumus.

Cap. 8. Sed ne vel voluntatem vel ipsum cursum assignemus viribus nostris, idem nos informat Apostolus, dicens: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Quocirca, ut in his bonis, quæ à Deo accepisti, permaneas et proficias, ut nec in viâ remaneas, nec retrò redeas, nec in dexteram sinistramve diverlas, quidquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo assigna qui dedit: et humiliter roga, ut conservet et augeat quod donavit. Nihil tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias, quod accipere poteras; et quod acceperas, perdas. Detestabilis est enim cordis humani superbia, quâ facit homo quod Deus in hominibus damnat; sed ipsa detestabilior, quâ sibi tribuit homo quod Deus hominibus donat. Tantò enim deterioris tenetur iste superbiæ reus, quantò in melioribus donis existit ingratus. Damnabilis est, qui substantiâ seculi malè utitur: sed damnabilior, qui spiritalibus donis superbus effertur.

Cap. 9. Crescat igitur in te humilitas animi, quæ vera est et integra sublimitas Christiani: et tantò magis in te cognosce Dei gratiam crescere, quantò magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Quam ut semper habeas, in qua ut semper proficias, *cum timore et tremore tuam salutem operare.* (*Philip.* II. 12.)

S. Leo *Serm.* 37. *in Epiphan. solemn.* 8. *cap.* 3. Dicente enim discipulis suis Domino: *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.), dubium non est,

hominem bona agentem à Deo habere et effectum operis et initium voluntatis. Undè et Apostolus copiosissimus fidelium cohortator : *Cum timore,* inquit, *et tremore vestram salutem operamini : Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 12. *et* 13.) Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ.... Omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, « pluit super justos et » injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos. » (*Matth.* V. 45.)

CASSIOD. *Exposit. in Psal.* LVIII. *v.* 12. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Nihil enim ei dignum obtuiit humana condilio, ut mereretur muneris ejus largitate gaudere. Verè pietas stupenda Creatoris! De se nos docet quod in nobis intelligere et custodire debeamus. Sed væ illis qui hanc regulam declinantes, in hominis putant arbitrio consistere, ut mereatur ad aliqua Dei munera pervenire. Ipse enim donat, ut bona velimus : ipse perficit, ut ad ejus præmia pervenire possimus ; quod Apostolus lucidissimè declaravit : « Quid autem habes quod non accepisti ? Si « autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? » (1. *Cor.* IV. 7.) Desinat ergo Pelagiana hæresis redivivas suscitare calumnias. Nihil boni ex nobismetipsis habere possumus, nisi hoc à Domino sumpserimus.

Exposit. in Psal. CVI. *v.* 8. Veraciter autem et salutariter dictum est, debere *Domino confiteri misericordias suas :* Quia quidquid in nobis videtur laudabile, ejus constat esse clementiæ, qui peccata relaxat, spem tribuit et ad bonitatis suæ dona perducit. Nam quòd dicit pluraliter, *misericordias*, illud significat : quoniam multis quidem sed diversa largitur, sicut dicit Apostolus : *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic.* (1. *Cor.* VII. 7.) Quapropter pio Domino semper dignum est *confiteri*, qui nos et à periculis liberat, et splendore suæ pietatis illuminat.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 109. *artic.* 2. Sed contrà est, quod Apost. dicit. Rom. 9. *Non est volentis*, scilicet velle, *neque currentis*, scilicet currere, *sed miserentis Dei :* Et Aug. dicit in libro de correctione et gratia (cap. 22.) quòd *sine gratia nullum prorsùs sive cogitando sive volendo et amando, sive agendo, faciant homines bonum.*

Conclusio. *Indiguit homo in statu naturæ integræ gratuito quodam auxilio, ut bonum non naturale sed supernaturale vellet et operaretur ; at in statu naturæ lapsæ, quanquam particulare aliquod bonum velle et operari posset, necessaria tamen ei divina gratia fuit ut ejus natura sanaretur, et bonum meritorium operaretur et vellet.*

Respondeo dicendo quod natura hominis potest dupliciter considerari : uno modo in sui integritate ; sicut fuit in primo parente ante peccatum ; alio modo, secundùm quòd est corrupta in nobis post peccatum primi parentis. Secundùm autem utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcunque bonum, sicut primo movente, ut dictum est (art. 1.), sed in statu naturæ integræ quantùm ad sufficientiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle et operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ ; non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ : sed in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc quod secundùm suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur ; potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere (sicut ædificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi), non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quòd in nullo deficiat : sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ. Sic igitur virtute gratuitâ superaddità virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantùm ad unum ; scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale : sed in statu naturæ corruptæ quantùm ad duo ; scilicet ut sanetur, et ulteriùs ut bonum supernaturalis virtutis operetur ; quod est meritorum : ulteriùs autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.

Ad primum ergo, dicendum quòd homo est Dominus suorum actuum (et volendi et non volendi), propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem vel ad aliam : sed quòd deliberet ; vel non deliberet, si hujus etiam sit dominus, oportet quòd hoc sit per deliberationem præcedentem : Et cùm hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quòd liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam ; scilicet à Deo, ut etiam Philosophus probat in capit. *de bona fortuna :* Undè mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actûs, quin indigeat moveri à Deo : Et multò magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur à bono propter corruptionem naturæ.

Art. 3. Sed contrà, Primus homo in solis naturalibus constitutus fuit (ut à quibusdam ponitur) in quo statu manifestum est quòd aliqualiter Deum dilexit : sed non dilexit Deum æqualiter sibi vel minùs se ; quia secundùm hoc peccasset : Ergo dilexit Deum supra se ; Ergo homo ex solis naturalibus Deum potest diligere plus quàm se et super omnia.

Conclusio. « Homo in statu naturæ integræ non indiguit divinæ gratiæ » gratuito auxilio viribus naturalibus superaddito ad Deum super omnia » naturaliter diligendum ; quanquam Dei ad hoc moventis auxilio ei opus » esset : at in statu naturæ corruptæ indiget ad hoc gratiâ ipsam naturam » interiùs sanante. »

Respondeo dicendum quòd... Homo in statu naturæ integræ poterat operari virtute suæ naturæ bonum quod est sibi connaturale, absque superadditione gratuiti doni ; licèt non absque auxilio Dei moventis : diligere autem Deum super omnia est quiddam connaturale homini ; et etiam cuilibet creaturæ non solùm rationali sed irrationali, et etiam inanimatæ : secundùm modum amoris qui unicuique creaturæ competere potest : Cujus ratio est, quia unicuique naturale est quòd appetat et amet aliquid, secundùm quòd aptum natum est esse... Undè homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem ; et similiter dilectionem omnium aliarum rerum : et ita Deum diligebat plùs quàm seipsum et super omnia : sed in statu naturæ corruptæ homo ad hoc deficit secundùm appetitum voluntatis rationalis ; quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei : Et ideò dicendum est quòd homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia ; licèt indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis : sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.

Art. 4. Conclusio. *Potuit homo in statu naturæ integræ omnia mandata legis servare quantùm ad ipsam operum substantiam, non autem in statu naturæ corruptæ ; sed quantùm ad modum agendi, ut scilicet ea ex charitate operari posset, indiguit homo in utroque statu divinâ gratiâ.*

Respondeo dicendum quòd implere mandata legis contingit dupliciter : uno modo quantùm ad substantiam operum ; prout scilicet homo operatur justa, et fortia, et alia virtutis opera : Et hoc modo homo in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere ; alioquin homo non potuisset in statu illo non peccare : cùm nihil aliud sit peccare quàm transgredi divina mandata ; sed in statu naturæ corruptæ non potest homo implere mandata divina sine gratia sanante : Alio modo possunt impleri mandata legis non solùm quantùm ad substantiam operis, sed etiam quantùm ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant : Et sic neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest homo implere absque gratia legis mandata : Undè Aug. in lib. de correptione et gratia (cap. 2.) cùm dixisset quòd « sine gratia nullum prorsùs bonum homines faciunt, subdit : « Non solùm ut monstrante ipsâ quid faciendum sit, sciant ; verùm » etiam, ut præstante ipsâ faciant cum dilectione quod sciunt. » Indigent insuper in utroque statu, auxilio Dei moventis ad mandata implenda.

Guill. Estius *in Lib.* 2. *Sent. Dist.* 26. *paragr.* 23. Quæri jam ulteriùs possit : utrum sic unumquodque opus sit à gratia Dei, ut etiam totum ab ea sit : an verò aliquid ejus, ut initium, vel progressus, vel consummatio propriè debeat adscribi libero arbitrio, non gratiæ : sic nimirùm habeant inter se diversas in bono opere gratia et liberum

arbitrium. Quæ quorumdam fuit imaginatio, existimantium eo pacto faciliùs atque intelligibiliùs gratiam cum libero arbitrio posse conciliari. Sed quàm ea falsa sit opinio, et tam Scripturæ sacræ quàm doctrinæ SS. Patrum, ac decretis Conciliorum adversa, manifestum fiet ex his quæ deinceps dicemus. Ubi tamen pro declaratione totius hujus doctrinæ breviter præmitto, in bono opere initium, progressum et consummationem tripliciter considerari posse, vel secundùm partes operis priorem et posteriorem, v. g. in pia meditatione, jejunio, patientia tormenti, oratione, exhortatione, et similibus actionibus quæ successionem habent partium: vel secundùm imperfectum et perfectum, ut cùm quis priùs imperfectè ac remissè vult aliquod bonum, et paulatim proficit ut tandem illud velit perfectè et intensè: vel secundùm quòd dicitur bonum opus habere initium à cogitatione, progressum in voluntate, consummationem in opere externo. Et secundùm omnes hos modos verum est, et probare intendimus, quòd tam initium, quàm progressus et consummatio boni operis sit à gratia Dei. Ut autem de initio boni operis primùm agamus, ita de eo statuimus, fide tenendum esse, quòd initium conversionis ac justificationis nostræ, et cujuscunque boni operis ad veram pietatem pertinentis sit à gratia Dei per Christum. Quod docetur primò generalibus argumentis è Scriptura, nempe: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.), ergo nec incipere bonum opus: *Quid habes quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.)? ergo nec initium boni operis: *Deus operatur omnia in omnibus* (1. *Cor.* XII. 6.), ergo et initium boni operis: item Joan. (III. 7.) *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Jacobi (I. 17.) *Omne datum optimum desursùm est.* Idipsum demonstrant rationes generales quæ sumuntur ex orationibus fidelium, ex gratiarum actione, ex gloriatione, ex universali efficientia primæ causæ, de quibus singulis suprà dictum est. Si enim fideles Deum orant pro infidelibus et peccatoribus, ut eis inspiret initium fidei, ac bonæ voluntatis; si Deo gratias agunt, tam pro se quàm pro aliis, quòd in ipsis bonum opus inchoaverit; si de initio cujuscunque boni operis non in se, sed in Domino gloriantur; si denique Deus est prima et universalis causa efficiens omnium rerum, formarum, actionum, sine exceptione vel initii, vel medii, vel finis, certissima demonstratio est initium omnis boni operis quod fit ab homine, Deum habere auctorem. Ita Cælestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ capite II. ex obsecrationibus sacerdotalibus, quæ more ab Apostolis tradito fiunt per totam Ecclesiam, et ex subsequente gratiarum actione fidelium, probat inter alia, quòd etiam ipsa bonæ voluntatis exordia ad Christi gratiam referenda sunt, atque efficienti Deo tribuenda.

Sed his generalibus argumentis accedat specialis probatio, tam è Scriptura, quàm ex Patribus ac Patrum decretis. Et quidem Scripturæ testimonia permulta sunt, ut (*Psal.* LXXVI. 11.) *Dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi;* (*Phil.* I. 6.) *Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet;* et (II. 13.) *Deus est qui operatur in vobis velle*, scilicet bonum opus (2. *Cor.* III. 5.); *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* Et iterùm (*Ps.* LXXV. 11.) *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Item (*Joan.* VI. 44.) *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et iterùm (*Ibid.* 66.): *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo:* (1. *Joan.* IV. 10.) *Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos:* (*Isai.* XLII. 16.) *Adducam cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam:* Et (LXV. 1.) *Invenerunt qui non quæsierunt;* Pro quo LXX. Paulo citante (*Rom.* X. 20.): *Inventus sum à non quærentibus me.* (*Jerem.* XXXI. 19.) *Postquam convertisti me egi pœnitentiam.* Et (*Thren.* V. 21.) *Converte nos Domine et convertemur.* (2. *Machab.* I. 4.) *Adaperiat Deus cor vestrum in lege sua et in præceptis suis.* (*Act.* XVI. 14.) *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Et illud (*Psalm.* L. 17.): *Domine labia mea aperies.* Hæc omnia clarissimè docent initium fidei, conversionis, bonæ voluntatis ac boni operis, ipsamque primam boni cogitationem esse à Deo liberum arbitrium hominis per suam gratiam præveniente... Huc præterea facit consuetudo fidelium ac totius Ecclesiæ, quâ solent ad initia bonorum operum implorare auxilium Dei. Siquidem Ecclesia orationes suas et consecrationes

ferè auspicatur ab his versiculis. *Domine labia mea aperies* (*Psal.* L. 17.); *Deus in adjutorium meum intende* (*Ps.* LXIX. 2.); *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* (*Ps.* CXXIII. 8.) Et in Oratione quadam precatur, ut *cuncta nostra oratio et operatio à Deo semper incipiat.* Certè etiam Poetæ gentiles obscuram et confusam quamdam divinitatis notitiam habentes, ab invocatione poëmata sua ordiebantur. Undè illud: *A Jove principium Musæ*, et *Dii cœptis adspirate meis.* Faciunt item ad hanc doctrinam confirmandam quæcunque probant gratiam prævenientem, de qua dudum egimus, et quæcunque ostendunt gratiam non dari secundùm merita. De qua re paulò post agemus.

Paragr. 25. Primùm ex Scripturis: (*Philip.* I. 6.) *Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet;* et (II. 13.) *Deus operatur in vobis et velle et perficere;* (*Jac.* I. 17.) *Omne donum perfectum desursum est;* (*Psal.* XVI. 5.) *Perfice gressus meos in semitis tuis;* et (LXVII. 29.) *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis;* (*Judith.* XIII. 7.) *Confirma me Domine, ut hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam:* (*Luc.* XVII. 5.) *Domine adauge nobis fidem;* (*Hebr.* X. 14.) de Christo: *Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos; et* (XII. 2.) *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum...* Secundò ex Orationibus Ecclesiæ, ut sunt illæ quibus precatur; ut, *Actiones nostras adjuvando prosequatur;* ut, *Cuncta nostra oratio et operatio ab ipso cœpta per ipsum etiam finiatur.* Item, *ut sua dona in nobis perficiat, ut det nobis fidei, spei, et charitatis augmentum*, atque alia hujusmodi *quæ probant consummationem boni esse à Deo.*

Paragr. 27. Quod de partibus boni operis hactenùs ostendimus, id de toto restat ut nunc demonstremus. Quamvis enim certissimum sit argumentum à partibus universè sumptis ad totum, ideoque si partes omnes et singulæ boni operis sunt à gratia Dei, dubitari non possit, quin totum bonum opus ab eadem gratia proficiscatur: quo certiùs tamen, atque evidentiùs constet ejus doctrinæ veritas quæ bonum opus totum atque omni ex parte gratiæ Dei adscribit, peculiaribus adhuc argumentis id probare institui. Quod quidem eò magis faciendum mihi putavi, quia sunt nonnulli qui sermonem hunc, quo dicitur totum bonum opus esse à Deo, vanâ quadam formidine refugiunt, existimantes per hoc nihil prorsùs relinqui libero arbitrio. Quibus infrà respondebimus. Est autem prima probatio ex sacra Scriptura, quæ cùm tot locis omne bonum nostrum sine exceptione tribuat Deo et gratiæ ejus, profectò etiam totum illi tribuit. Nam si non totum, igitur aliquid totius excipitur, et proindè non omne bonum tribuendum est Deo; exempli causâ, dicit Dominus, *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.), ergo nec partem ullam operis. Nam et pars est aliquid cui contradictoriè opponitur nihil. Si autem nec ullam partem operis sine Christo possumus, totum igitur opus est à gratia Christi. Eadem planè probatio est ex his sententiis. (*Joan.* III. 27.) *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo;* (1. *Cor.* IV. 7.) *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* et (XII. 6.) *Deus operatur omnia in omnibus.* (2. *Cor.* III. 5.) *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* (*Hebr.* XIII. 21.) *Deus aptet vos in omni bono;* (*Jac.* I. 17.) *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.* Ad idem valent hæ scripturæ. (2. *Cor.* XII. 11.) *Tametsi nihil sum:* et (*Gal.* VI. 3.) *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit;* et (*Luc.* XVII. 10.) *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.* Significant enim hujusmodi sententiæ hominem ex seipso prorsùs inutilem esse, nihilque boni habere; sed quidquid habet, id omne et totum habere à Deo.

Adde rationem efficacissimam ex universali efficientia primæ ac supremæ causæ: quæ sicut nullum prorsùs bonum, nec ullam ejus partem patitur excludi à generali opere et auxilio Dei; ita nullum opus ad pietatem et salutem æternæ vitæ pertinens, nec ullam ejus partem excepta sinit ab auxilio speciali, id est, ab operatione gratiæ Dei per Christum. Ejusdem argumenti est hæc ratio; omne bonum à Deo est, idque secundùm omnem partem quâ bonum est, quia non potest esse ullum bonum secundùm accidens, nisi ab eo quod essentialiter bonum est; totum igitur bonum nostrum est à Deo.

Accedant et hæ rationes paris momenti et efficaciæ. Primò Deo nihil

potest placere nisi quod suum est, nec diligit quidquam in tota creatura, nisi quod ipse fecerit, nec diligit in nobis, nisi dona sua. Atqui Deo placet, et Deus diligit totum bonum opus quâ bonum est; igitur totum à Deo est auctore et largitore. Atque id non obscurè significat Sapiens (*Sap.* XI. 25.) ita loquens ad Deum : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.*

Quarta : omne bonum nostrùm sæpe Deo et gratiæ ejus tribuitur, additâ dictione exclusivâ; ut cùm dicit Apostolus. (1. *Tim.* I. 17.) *Soli Deo honor et gloria;* et cùm orat Ecclesia in Dominica 3. post Epiph. *Familiam tuam custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur*, etc. Tale etiam est quod dicit Leo (Serm. 1. de jejunio 10. mensis), *causam reparationis nostræ non esse nisi misericordiam Dei;* et quod Gregorius (hom. 29. super evangelia) : *Ut Stephanus*, inquit, *in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo Christi gratia pugnavit*. Hujusmodi enim sententiis non significatur, nihil in bono opere tribuendum esse libero arbitrio; sed hoc ipsum quod est à libero arbitrio, totum esse à gratia et misericordia Dei. Quem sensum habent et aliæ quædam sententiæ Patrum.

Quinta : Bonum opus totum et omni ex parte liberum est, quod facilè probatur, tum quia totum fit à libera voluntate, tum quia totum meritorium est, quale esse non posset, si non totum liberum esset. Si ergo totalis hæc operis libertas non obstat, quominus aliqua pars ejus efficienter procedat à gratia Dei : certè nec obstare poterit, quominus totum et omni ex parte ab eadem sit gratia.

Sexta : Opera Christi redemptoris nostri quibus reparationem nostram humanâ suâ voluntate eâque liberâ promeruit, tota procedebant efficaciter à voluntate divinâ; ergo et nostra opera bona, tametsi profecta à libera nostra voluntate, tota sunt à gratia Dei. Si enim Christus homo nihil habuit suum, quod illi non esset à Deo, multò minùs nos aliquid tale duntaxat bonum habere aut agere poterimus.

Postrema : Quidquid entitatis est in peccato, totum est à Deo, uti scribit S. Thomas (super Rom. 11. et alibi), cùm de actu peccati disputat, quod etiam communiter concedunt et docent Scholastici; multò magis igitur atque securiùs fatendum est, quidquid entitatis est in bono opere, totum esse à Deo.

Paragr. 28. Accedat his omnibus Thomas Kempensis, cujus exstant libri quatuor de imitatione Christi, opus verè aureum, à doctis pariter et piis omnibus æquè laudatum. Ejus operis libro 1. cap. 15. dicit, « omne bo» num totaliter ad Deum referendum esse à quo fontaliter omnia proce» dunt. » Et lib. 2. capite 10. scribit in hæc verba : « Homo malè agit non » totum Deo cum gratiarum actione retribuendo : et ideò non possunt » in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori, nec totum » refundimus fontali origini. » Et infrà : « Da Deo quidquid Dei est, et » tibi adscribe quod tuum est : hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi » autem soli culpam et pœnam pro culpa. » Iterum : « Qui Deo totum » adscribunt quidquid boni acceperunt, gloriam ad invicem non quæ» runt, sed gloriam quæ à solo Deo est volunt. » Et libro 3. capite 10. Deum sic loquentem facit : « Ego sum qui omnia dedi, nihil ergo tibi de » bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas, sed totum » da Deo, sine quo nihil habes homo. Ego totum dedi, ego totum rehabere » volo, et cum magna districtione gratiarum actiones requiro. Hæc est » veritas quâ fugatur gloriæ vanitas. » Et cap. 10. Deum sic alloquitur : « Omnia tua sunt quæ habeo, et undè tibi servio. » Et capite 23. in eamdem sententiam plura. Rursùm capite 39. « Deus meus et omnia, intel» ligenti satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti. » Et infrà de spiritualibus : « Istis sapit Deus, et quidquid boni invenitur in » creaturis, totum referunt ad laudem sui conditoris. »

Hæc fusiùs probavimus §. 1. *et hocce* 2. *litt.* (A)

Ad Paginam 134. *lin.* 16.

(E) 2. PARAL. XXX. 9. Si vos reversi fueritis ad Dominum... pius et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam à vobis, si reversi fueritis ad eum.

PSAL. XII. 1. Usquequo Domine obliviscéris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam à me?

XXVI. 9. Ne avertas faciem tuam à me : ne declines in ira à servo tuo. Adjutor meus esto : ne derelinquas me , neque despicias me , Deus salutaris meus.

XXIX. 8. Avertisti faciem tuam à me , et factus sum conturbatus.

XLIII. 23. Exsurge ; quare obdormis Domine? Exsurge , et ne repellas in finem. 24. Quare faciem tuam avertis , oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?

LXVIII. 18. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo : quoniam tribulor velociter exaudi me.

LXXXVII. 15. Ut quid Domine repellis orationem meam : avertis faciem tuam à me?

CI. 3. Non avertas faciem tuam à me.

CIII. 29. Avertente autem te faciem , turbabuntur.

CXLII. 7. Velociter exaudi me Domine : defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam à me : et similis ero descendentibus in lacum. *Et his similia.*

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decreto de Justific. cap.* 11. Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit , nisi ab eis priùs deseratur.

S. EPHREM. *Serm.* 1. *de compunct.* Semper ejus gratia corda nostra visitat; et si locum sibi paratum invenerit , ingreditur , semperque in anima nostra quiescit : sed si cor immundum offenderit , illicò recedit. Rursusque misericordiâ tactus , cogit eam ad nos peccatores invisendos venire ; quoniam omnes mutabiles sumus , liberâ voluntate non naturâ , elati semper invenimur et segnes , invidi , et improbi , mala alii contra alios assiduè cogitantes , pravisque ac lascivis et impudicis cogitationibus oblectantes , in iisque velut fetidissimo vitiorum cœno , perpetuò jacemus. Undè fit , ut cùm ad nos visitandos gratia ingredi cupiat , improbarum cogitationum fetorem turpissimum in cordibus nostris reperiat , quare illicò recedit , cùm locum introëundi , ac quiescendi , in nobis sicut volebat , non inveniat. Verumtamen cor nostrum dulcedine luminis sui pulsat , ut resipiscat et intromittatur ipsa , ut sic lucis dulcedine allectus homo , ipsam inquirat : nequit enim penitùs nos gratia deserere ; à propria enim ipsius benignitate eò adigitur , ut omnium nostri misereatur. Cernis providentiam Dei? Cernis Christi in nos pietatis viscera? quanto desiderio salutem nostram sitiat? et quantopere nos salvari cupiat? Felicem atque beatum illum , qui purum semper cor divinæ gratiæ parare studet; ut cùm ad introeundum venerit , offendens in eo suavissimum odorem virtutum , atque animæ sanctitatem , seculis omnibus ibi mansionem faciat.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 69. *ad pop. Antioch. in SS. Petrum , et Eliam.* Discas viribus tuis non confidere... Discas Elià , cùm aliquid admirabile feceris , illud , non tibi , sed Dei potentiæ tribuendum esse. Vidisti quemadmodum discedente gratiâ divinâ , redarguta est natura humana.

In Paralyt. demissum per tectum , serm. 62. Quod in ipsis tentationibus illi (*Paralytico Deus*) adfuerit , multumque solatium illi præbuerit : ipse erat , qui continebat eum , et retinebat ; manumque porrigebat , neque collabi sinebat. Cùm autem ipsum fuisse audis , noli paralyticum laude privare , nec illum , nec alium hominem quemvis , qui tenetur , et patienter ferat. Quantumvis enim sæpe philosophemur , quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi , si illius absit auxilium , ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. Sed quid ego de nobis vilibus et abjectis loquor? Licèt Paulus sit aliquis aut Petrus , licèt Jacobus subsidio cœlesti privatus , facilè vincitur , et supplantatur et concidit. Ad hæc omnia tuenda vobis Christi ipsius voces recitabo : siquidem Petro dixit : *Ecce satanas petivit , ut cribraret vos sicut triticum : et ego rogavi pro te , ut non deficiat fides tua.* (*Luc.* XXII. 31. *et* 32.) Quid est cribrare? abducere , circumducere , exagitare , movere , conculere , divexare , sicut in iis fil quæ cribro ventilantur : at ego cohibebam , inquit , intelligens nequaquam posse vos tentationem sustinere. Cùm enim ait, *ne deficiat fides tua* , hoc significat , futurum fuisse , ut fides ejus deficeret , si ille permisisset. Quod si Petrus fervidus amator Christi , qui animam suam millies pro ipso exposuit , quique semper ante cœtum prosilit Apostolorum , et beatus à magistro suo prædicatur , ideoque Petrus appellatus est,

quòd inconcussâ et immutabili fide præditus esset, dejectus fuisset, et à confessione excidisset, si quantùm vellet, tentare Diabolo Christus permisisset, quis alius absque illius auxilio poterit unquam resistere? Quocirca dicit etiam Paulus, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (1. *Cor.* x. 13.) Non enim tantùm, inquit, supra vires inferri tentationem non sinit, sed etiam in ipsa quæ pro ratione virium adhibetur, nos sustentans adest, et nos corroborat, cùm nos priores quæ nostrarum sunt partium contulerimus, exempli causâ, alacritatem animi, spem in ipsum, gratiarum actionem, tolerantiam, patientiam. Neque enim tantùm in periculis, quæ vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam quæ non excedunt, cœlesti auxilio indigemus, ut generosè possimus obsistere.

THEODORET. *Interpret. in Ps.* CXVIII. 8. *Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.* Sæpiùs divina gratia nonnullos ad breve tempus deserit, utilitatem illis hinc procurans. Sic magnus Elias derelictus cùm esset, in timiditatis affectum incidit, et humanæ naturæ imbecillitatem didicit: sed confestim divinam iterùm nactus est gratiam. Sic divinus Petrus negando prolapsus est, sed protinùs Dominus eum suffulsit. Destitutus autem penitùs divinâ ope Judas parata præda diaboli fuit.

In Epist. ad Rom. Tom. 5. *cap.* XII. 11. *Spiritum ne exstinguite.* Exstinguitur autem spiritus iis qui sunt indigni gratiâ. Cùm enim purum mentis oculum non habeant, splendorem illum non suscipiunt.

CÆCIL. CYPRIAN. *Testimon. lib.* 3. *ad Quirinum n.* 27. Baptizatum quoque gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servet; in Evangelio *cata* Joannem: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* (*Joan.* v. 14.) Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima: *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (1. *Cor.* III. 16.)? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. De hoc ipso in Paralipomenon: *Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso: si dereliqueritis eum, derelinquet vos.* (2. *Paralip.* XV. 2.)

S. AMBROS. *de Cain et Abel, lib.* 2. *n.* 32. Nihil enim gravius quàm errantem à Deo deseri, ut se revocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert: vita autem divino gubernaculo destituta præcipitatur, et in graviora prolabitur; ut si gregem pastor relinquat, incursent bestiæ: ita cùm Deus deserit hominem, ingruit diabolus. Grave et præsertim insipientibus non habere rectorem.

Enarr. in Psal. XXXVI. *n.* 51. Denique etiam justus cadit interdùm; sed si justus est, * *cùm ceciderit non conturbabitur.* (*Ps.* XXXVI. 24.) Quod conditionis est, cadit: quod justitiæ, resurgit; quoniam justum Deus non derelinquit, sed * *confirmat manum ejus.* (*Id. Ibid.*)

N. 57. Athletas suos Dominus confirmavit ut vincerent; nunquam enim suos deserit, et relinquit.

Serm. 1. *in Psal.* CXVIII. *Exposit. n.* 18. Et quia nullus potest perfectus esse sine favore Dei, neque tutus: ideo rogare debet, ne penitùs eum derelinquat Deus. Nam suprà rogavit David ne derelinqueretur dicens: *ne derelinquas me, Domine Deus meus* (*Psal.* XXXVII. 22.); hic ait: *ne derelinquas me usquequaque* (*Ps.* CXVIII. 8.), hoc est, multùm. Supra forte quasi adhuc imperfectus, et in magnis perturbationibus positus ne derelinqueretur, timebat: hic autem jam fortior non timet derelinqui ut tentetur; sed rogat ne penitùs derelinquatur. Plerumque enim derelinquit Deus quos vult probari: penitùs autem derelinquit quos deserit. Dereliquit penitus Judam... Sic et in mari (*Petrus*) cùm titubaret, clamavit ad Christum; et porrexit ei dexteram Christus, ne penitùs derelictus periret.

N. 19. Nemo autem debet inflari, quòd nunquam derelinquatur: vel dolere, quòd aliquando derelinquatur.

In Psalm. CXVIII. *serm.* 2. *n.* 9. Qui reliquit, potest rursùm aspicere, misereri iterùm. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos... Lucet sol super justos et injustos: super justos per gratiam, super injustos per misericordiam; illis mercedem meritorum tribuens, istis peccata dimittens.

S. AUG. *de Genes. ad litt. lib.* 8. *cap.* 12. *n.* 25. Neque enim tale aliquid est homo, ut factus deserente eo qui fecit, possit aliquid agere benè tanquam ex seipso: sed tota ejus actio bona, est converti ad eum à quo factus est,

et ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri : non fieri et recedere, sicut à corporis medico sanari et abire : quia medicus corporis operarius fuit extrinsecùs, serviens naturæ intrinsecùs operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere providentiæ, de quo suprà loculi sumus. Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cùm ab eo factus fuerit justus abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. (*Cap.* 9.) Eo quippè ipso cùm ab illo non discedit, ejus ipse præsentiâ justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur.

N. 26. Ita Deus operatur hominem justum, id est justificando eum, ut si abscesserit, maneat in abscedente quod fecit : sed potiùs sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit ; quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret ; sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur ; à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione discediturr.

N. 27. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus, inhærentes ei, et in ea conversione quæ ad illum est permanentes, de quo dicitur, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Ps.* LXXII. 28.) : et cui dicitur, *fortitudinem meam ad te custodiam.* (*Ps.* LVIII. 10.) Ipsius enim sumus figmentum, non tantùm ad hoc ut homines simus, sed ad hoc etiam ut boni simus. Nam et Apostolus cùm fidelibus ab impietate conversis, gratiam quâ salvi facti sumus, commendaret, * *Gratia enim* (inquit), *salvi facti estis per fidem ; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II. 8. 9. *et* 10.) Et alibi cùm dixisset (*Philip.* II. 12.) ; *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini ;* ne sibi putarent tribuendum tanquam ipsi se facerent justos et bonos, continuò subjecit, *Deus enim est qui operatur in vobis.* (*Ibid.* 13.)

Enarr. in Psal. VI. *n.* 8. *Dedit illos Deus in reprobum sensum.* (*Rom.* I. 28.) Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur : sed nondum penitùs cùm in hac vita est.

Enarr. in Psalm. CII. *n.* 5. Non vis ut mala sint tibi, quæ justa sunt Dei ? Non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua. Non enim cessavit vocare, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare.

In Psal. CXVIII. *serm.* 5. *n.* 3. *In toto*, inquit, *corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis.* (*v.* 10.) Ecce orat ut adjuvetur ad custodienda verba Dei, in quo dixerat viam suam corrigere juniorem. (*v.* 9.) Nam utique hoc est, *ne repellas me à mandatis tuis.* Quid est enim à Deo repelli, nisi non adjuvari ? Mandatis quippè ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas. Quos autem non adjuvat, hos meritò perhibetur repellere, tanquam flammeâ framea prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ. (*Gen.* III. 24.) Quis est autem dignus, ex quo *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* V. 12.) Sed indebitâ Dei misericordiâ sanatur debita nostra miseria. Nam iste qui loquitur, et dicit, *In toto corde meo exquisivi te :* et hoc undè posset nisi eum aversum ad se ipse converteret, cui dicitur, *Deus tu convertens vivificabis nos* (*Ps.* LXXXIV. 7.) : et ille perditum quæreret, et errantem ille revocaret, qui dicit, * *Quod perierat requiram, et quod erraverat revocabo.* (*Ezech.* XXXIV. 16)

N. 4. Indè est quòd et corrigit viam suam in custodiendo verba Dei, illo regente, illo faciente : neque enim per se ipse posset ; cùm Jeremias Prophela fateatur, et dicat, * *Scio, Domine, quoniam non est omnibus via ejus, neque vir ibit et corriget viam suam.* (*Jerem.* X. 23.)

In Psal. CXXII. *n.* 4. Sed dicit aliquis, Et antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat ? in se habitabat Deus, apud se habitabat, et apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti domus Dei, ut ipsâ subtractâ cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in sanctis ; tu habitas in domo, si subtracta fuerit, cadis ; Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, cadant. Quicun-

que ergo sic portat Deum, ut sit templum Dei; non putet sic à se portari Deum, ut terreat Deum, si se subducat. Væ illi si se subtraxerit Deus; quia ipse cadit: nam Deus in se semper manet. In quibus nos habitamus, ipsa nos continent; in quibus Deus habitat, ipse illos continet.

In Psal. CXLV. *Enarr. n.* 9. Appropinqua, incipe desiderare, incipe quærere et agnoscere eum, à quo factus es. Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.

S. FULGENT. *Epist. ad Probam, cap.* 20. Fatetur (David) se aliquando tanquam de virtute sanitatis elatum, et in eo se periculum gravissimæ infirmitatis expertum. Dicit enim in alio Psalmo: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* (*Ps.* XXIX. 7.) Et quia hoc dicens, adjutorio divinæ gratiæ fuerat desertus, et in sua defecerat infirmitate, turbatus sequitur, dicens: *Domine in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam à me, et factus sum conturbatus.* (*Ibid.* 8.) Et ut ostenderet adjutorium divinæ gratiæ, quamvis jam habitum humiliter esse et sine intermissione poscendum, hoc quoque subnectit: *ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.* (*Ibid.* 9.)

S. GREG. *Moral. lib.* 2. *in cap.* 1. *beat. Job, n.* 78. Sed nonnunquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, si continuà in his securitate perfruitur, à qua sibi hæc sint obliviscitur, seque à se habere putat, quod nunquam sibi abesse considerat. Undè fit, ut aliquando se hæc eadem gratia utiliter subtrahat, et præsumenti menti, quantùm in se infirmatur, ostendat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra undè sunt, quando hæc quasi amittendo, sentimus quia à nobis servari non possunt. Ad hoc itaque intimandæ humilitatis magisterium, fit plerumque, ut irruente tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens, qualiter malis imminentibus obviet, vel contra tentationem quomodo se præparet, ignoret. Sed hac ipsâ stultitiâ cor prudenter eruditur, quia undè ad momentum desipit, eo post veriùs, quo et humiliùs, sapit; et sapientia undè quasi amittitur, indè certiùs possidetur.

Lib. 11. *in cap.* 12. *beati Job, cap.* 9. *n.* 12. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* (*v.* 14.) Omnipotens Deus humanum cor destruit cùm relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Undè plerumque fit, ut cùm audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratiâ non repletur, incassum exteriùs à prædicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interiùs in corde non clamet, qui inspirat verba quæ audiantur. Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Hinc Salomon dicit: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* (*Eccle.* VII. 14.) Nec mirum si à corde reprobo prædicator minimè auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur, resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quòd Caïn et divinâ voce admoneri potuit, et mutari non potuit; quia exigente culpâ malitiæ, jam intùs Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Benè autem subditur: *si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quia omnis homo per id quòd malè agit, quid sibi aliud quàm conscientiæ suæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exteriùs accuset? Qui cùm judicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minimè meretur. Nam sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè se agere æstimant, in graviores culpas vertunt; fitque modo miserabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas (*Matth.* XXVII. 5.), cùm mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia pervenit, et pejùs de peccato pœnituit quàm peccavit.

Cap. 10. *n.* 14. Aquæ nomine sancti Spiritûs gratia designatur, sicut veritatis voce in Evangelio dicitur: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII. 38.); ubi statim Evan-

gelista subjunxit : *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Ibid.* 39.) : congruus in his sermonibus intellectus patet, quibus ait : *si continuerit aquas, omnia siccabuntur* (*Job.* XII. 15.) : quia si sancti Spiritûs gratia ab audientis mente subtrahitur, arescit protinùs intellectus, qui jam per spem viridescere in audiente videbatur. Quòd autem non aquam, sed aquas memorat, pluralitatis appellatione, ad septiformem donorum spiritualium gratiam recurrit : quia quasi tot aquis unusquisque infunditur, quot donis repletur. De quibus aptè subjungitur : *si emiserit eas, subvertent terram.* (*Id. Ibid.*)

Lib. 20. *in cap.* 30. *beati Job, cap.* 24. *n.* 51. *Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium.* (*v.* 12.) Dicat hæc beatus Job de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis : dicat universa Ecclesia de pravis persequentibus, scilicet adversariis apertis. Ipsi quippè ejus itinera dissipant, cùm in quorumdam infirmorum mentibus, veritatis vis callidâ persuasione perturbant. Ipsi insidiantes prævalent, cùm eos quos apertè ad malum trahere nequeunt, bona simulando pervertunt. Sed mirum valdè est quod subjicit : *non fuit qui ferret auxilium* (*Id. Ibid.*) cùm de divino adjutorio Psalmista clamet : *adjutor in opportunitatibus in tribulatione*, et : *sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te Domine.* (*Ps.* IX. 10. *et* 11.) Et cùm rursùm scriptum sit : *Quis speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Et quis invocavit illum, et despexit eum?* (*Eccli.* II. 11. 12.) Quâ itaque ratione nunc dicitur : *non fuit qui ferret auxilium ;* nisi quia omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit? Undè scriptum est : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, et in misericordia sempiterna misertus sum tuî.* (*Isaï.* XIV. 7. 8.) Hinc etiam Psalmista deprecabatur dicens : *Non me derelinquas usquequaque.* (*Ps.* CXVIII. 8.) Derelinqui igitur sese ad modicum posse utiliter noverat, qui ne usquequaque relinqueretur, petebat. Sanctos etenim suos Dominus veniendo adjuvat, relinquendo probat : donis firmat, tribulationibus tentat. Undè rectè quoque per quemdam sapientem dicitur : " *in primis elegit eum, timorem et metum et probationem inducet super illum, et non excruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet illum in cogitationibus illius.* (*Eccli.* IV. 18. *et* 19.) Justi quippè animam gratia vocat, tentatio interrogat. Et omnipotens Deus electorum suorum adversarios temporaliter permittit excrescere, ut per malorum sævitiam purgetur vita bonorum.

N. 52. Nunquam quippè Dominus adversos bonis esse permitteret, nisi etiam quantum prodessent videret. Nam dum injusti sæviunt, justi purgantur, et utilitati innocentium militat vita pravorum, dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius formal.

Lib. 23. *in cap.* 33. *beati Job, cap.* 27. *n.* 54. Quia igitur unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cùm quasi percutiens deserit, dicatur rectè : *appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis* (*v.* 22.) ; ut quo se suis viribus vicinum morti per adversa considerat, eo in cunctis quæ fortiter egerit, ad divinæ spei munimen fugiens solidiùs vivat.

Lib. 30. *in cap.* 38. *cap.* 1. *n.* 5. Cùm verò tentatione vitiorum ipse de Deo noster intellectus opprimitur, quasi aquarum impetu in voce sua Deus operitur. Tot enim super illum aquas mittimus, quot post inspirationem ejus gratiæ cogitationes illicitas in corde versamus. Nec tamen nos vel oppressos deserit : nam illicò ad mentem redit, tentationum nebulas discutit, imbrem compunctionis infundit, et subtilis intelligentiæ solem reducit ; atque sic ostendit quantùm nos diligit, qui nos nec cùm respuitur relinquit : ut saltem sic erudita humana conscientia ad se tentationes erubescat admittere, quam Redemptor suus et vagantem non cessat amare. Hoc in nobis per semetipsum tolerat, hoc ab infidelibus per suos quotidiè prædicatores portat. Ejus enim donum subortâ in nobis tentatione repellitur, et tamen ab infundendo intrinsecùs munere nequaquam nostrâ infirmitate revocatur. Ejus publicè verba respuuntur, et tamen ab eroganda gratiæ largitate nullâ infidelium iniquitate compescitur.

Exposit. in sept. Psalm. Pœnit. Psal. 3. *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris à me.* (*Psal.* XXXVII. 22.)

N. 24. Illos proculdubio Dominus relinquit quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessariò enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicunque à Deo fuerit derelictus. Qui ergo tentamenta diaboli metuit, qui pati in hoc sæculo adversa pertimescit, ad Deum totâ virtute se convertat; clamet ad Deum medullis cordis, et dicat: *ne derelinquas me, Domine Deus meus...* sequitur: *ne discesseris à me.* Sancta anima quæ solum Deum perfectè desiderat, precatur ut nec ad horam Deus ab illa discedat.

CASSIOD. *Exposit in Psal.* LXXX. Deo malè agendo resistimus, ille iterum nostris non contradicit inimicis; nec manum defensionis super eos ponit, qui se ab ipso superbâ reluctatione subduxerint. Undè intelligere debemus, quando à nobis avertitur non esse pietatis defectum, sed magnæ ultionis aculeum. Suspenditur enim interdùm à defensione Sanctorum, quando tribulationibus et afflictione tentantur. Sed justos sic tentari patitur, ut non deserat: impios autem sic tribulari permittit, ut se ab eis reddat alienum.

Exposit. in Psal. LXXX. " *Et dimisi eos secundùm desiderium cordis eorum: et ibunt in voluntatibus suis.* (*v.* 13.) Sequitur ultio digna peccati. Non enim dimittitur impunitus, qui à Domini tuitione deseritur. Ille enim quos relinquit, affligit: quia malorum omnium retributio est tantâ bonitate fraudari. Putat enim peccator genus esse beneficii, si suis voluntatibus permittatur expleri, dum dicat Apostolus: « Tradidit illos Deus in » concupiscentias cordis eorum, in immunditiam. » (*Rom.* I. 24.)

Ven. HILDEBERT. *Epist. lib.* 1. *Epist.* 14. Tota igitur adsis gratiæ Dei, sine qua nec benè volumus, nec benè operamur. Nisi ei defueris, credas eam tibi minimè defuturam.

De diversis, serm. 15. *de libro vitæ.* Huic itaque libro serrarium debemus apponere, scilicet, Dei gratiam contra inimici astutiam, quæ præstò est omnibus sese illi sperantibus (*fortè* præparantibus.) Hâc adeptâ firmaturâ procul fugit impostura, quæ se statim ingerit, cùm gratia deserit.

Serm. 24. *de Adæ peccato.* Tu enim, qui priùs in bono conditus, in beatitudine locatus, inveterasti miseriâ, inveterasti culpâ, factus membrum veteris hominis, et postea gratiâ novi hominis reparatus, ac reconciliatus, quotidiè cadis, nec sic tamen gratia auxiliatrix te deserit.

S. BERN. abbat. *in Cant. Serm.* 54. *n.* 9. In veritate didici, nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. *Beatus homo qui semper est pavidus.* (*Prov.* XXVIII. 14.) Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò revertetur; et hoc est semper pavidum esse. Succedant vicissim sibi in animo tres isti timores, secundùm quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterùm redire placata sentietur. Cùm adest, time ne non dignè opereris ex ea. Nam hoc monet Apostolus: *Videte*, inquiens, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (2. *Cor.* VI. 1.), et ad Discipulum, *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te est.* (1. *Tim.* IV. 14.) Et de semetipso dicebat: *Quia gratia Dei in me vacua non fuit.* (1. *Cor.* XV. 10.) Sciebat homo, consilium Dei habens, redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere ad quod donatum est; idque intolerabilem esse superbiam judicabat: et propterea studiosissimè hoc malum et ipse cavebat, docebatque cavendum. Sed rursùm latet fovea hîc, quæ nolo vos lateat, de qua is ipse superbiæ spiritus tanto periculosiùs, quanto occultiùs, sicut habetis in Psalmo, *Insidiatur quasi leo in spelunca sua.* (*Psal.* IX. 9.) Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens et suadens, quatenùs effectum gratiæ arroges tibi. Quod quidem superbiæ genus longè illo priore intolerabilius esse non ambigas. Quid enim odiosius illâ voce, quâ quidam dixerunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.* (*Deut.* XXXII. 27.)

N. 10. Sic ergo timendum manente gratiâ; quid si recesserit? Num multò magis tunc timendum? Planè multò magis: quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quid dator gratiæ dicat (*Joan.* XV. 5.): *Sine me*, ait, *nihil potestis facere.* Time ergo subtractâ gratiâ, tanquam mox casu-

rus : time et contremisce , Deo tibi , ut sentis , irato : time quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam , etiamsi non appareat , etiamsi nihil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis , scit Deus : et qui te judicat , ipse est. Sed *nec qui seipsum commendat , ille probatus est , sed quem Deus commendat.* (2. *Cor.* x. 18.) Nunquid commendat te Deus , cùm gratiâ privat ? aut nunquid qui *humilibus dat gratiam* (*Jacob.* iv. 6.), humili auferet datam ? Ergo argumentum superbiæ , privatio est gratiæ. Quanquam tamen interdum subtrahitur gratia , sive retrahitur gratia , non pro superbia quæ jam est , sed quæ futura est , nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum de Apostolo , qui stimulos carnis suæ sustinebat invitus , non quia extolleretur , sed ne extolleretur. (2. *Cor.* xii. 7.) Sed sive jam existens , sive nondum , superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.

Venerab. GUIBERT. Abbat. *Moral. in Genes. lib.* 1. Sed alia est quædam valdè notanda discretio , quâ scilicet acutè , et indesinenter attendere debemus , quid ex nobis , et quid ex Deo habeamus. Quod mirabili arte pietas nobis Divina sæpè insinuat. Nam in nostræ conversionis initio tantam lacrymarum ubertatem , tantam orationis nobis Deus plerumque largitur instantiam , ut jam humanam nobis videamur transgredi naturam , et imitari contemplando angelicam. Quod cùm aliquandiù nobiscum agitur , de nostro profectu supra quàm justum est gaudere intra nos præsumimus. Sed Deus nostram mirâ dispensatione retundit superbiam , et nos qui erraveramus in solitudine , id est , sine Deo irrationabiliter , et bestialiter vixeramus , ad viam quærendæ civitatis , cujus artifex est Deus , postquam suâ gratiâ reducit dicens : *Non habetis hîc manentem civitatem , futuram inquirite.* (*Hebr.* xiii. 14.) Et aliquid supernæ dulcedinis prægustare facit , subtrahere solet gratiæ ubertatem , et esurire , et sitire interiori siti ac fame , et in malis permittit tabescere , sed totum eruditioni nostræ , ut ostendat nobis quod ipse ait : *quia sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* xv. 5.) Et tamen non nos derelinquens usquequaque , cùm adesse quærendum , sicut sponsa in Canticis per noctes dilectum quærere dicitur in lectulo (*Cant.* iii. 1.) , intentos et vigilantes viderit , animas tandem inanes et esurientes bonis exsatiat , et vincula tentationum , quæ Deo ad horam secedente ingruere solent , sui Spiritûs redeuntis igne dissolvit. Quid illud , quòd anima nostra omnem sacræ lectionis escam , de qua vires compunctionis hauriebat , ita aliquando abominatur , ut usque ad portas mortis , id est vitia per quæ itur ad mortem appropinquare videatur. Sed ille qui tentat nos , non ut perdat , neque ut sciat , sed ut scire nos faciat si diligimus eum , mittit verbum , id est saporem verbi sui in nos , et sanat eripitque de interitu. Hæc Deus in nobis agit , ut bona ex ipso , mala ex nobis habere noverimus , et sic inter lucem et tenebras dividimus.

ADAMUS Præmonstrat. *serm. lib.* 1. *in Vig. Nativ. Dom. serm.* 22. *n.* 2. Absente namque gratiâ , ut unusquisque vestrûm multoties sentit , et experitur , carnis statim tentatio sævit. Hæreditatem dominæ præoccupare tentat ancilla. Delicatè aliquando nutritus servus ille malus et piger, *contumax* , ut promittit Salomon , *sentitur...* (*Prov.* xxix. 21.) Mens quoque et ipsa , absente hâc , de quâ loquimur , gratiâ adjutrice , protinùs infirmatur : effecta tanquam pulvis , *quem projicit ventus à facie terræ.* (*Psal.* i. 4.)

N. 3. Percepto siquidem lætificante , et vivificante ipsius (*gratiæ*) adventu , caro debilis et infirma subjicitur : spiritus facta carnis valenter mortificat.

GUILLELM. PARIS. 1. *pars de univers. part.* 1. *cap.* 10. Primum malum est privatio , sive carentia primi boni naturalis , quod est esse. Primum verò malum gratuitum , id est gratiæ oppositum , primæ gratiæ carentia est. Quæ autem sit prima gratia , non aliter tibi determino hîc nisi quòd juxta ordines receptibilium sunt et ordines gratiarum , et juxta materies eorum ; quemadmodum in hominibus prima gratia est fides gratuita ; quoniam primò et docenda est , et tenenda hominibus tanquam fundamentum , et caput veræ religionis , ac divini cultûs. In Angelicis verò substantiis , et aliis nobilibus abstractis , prima gratia est nobilis illa Dei cognitio , quæ naturali earum cognitioni , et sapientiæ incomparabilis est

per modum omnem ; et juxta hunc modum primum malum , id est , nocumentum in substantiis intelligentibus , est aversio cogitatûs , sive cognitionis à creatore ; ex hoc enim malo sequitur defectio ipsius , sive derelictio , quæ est proculdubiò recessio à fonte bonorum , ex qua sequitur depauperatio recedentium , et arefactio , atque mortificatio ipsorum. Qui enim cogitatu fixi sunt in ipsum creatorem , necesse est , ut ei congruentibus virtutibus omnibus adhæreant. Cogitatus causa est , quo in primis creator tenetur in intellectu , et per hunc consequenter in viribus motivis ; quare ipso sublato fons bonorum quodammodo aret , et quantùm ad bona , seu data sua nobilia , quæ longè præstantiora sunt naturalibus cessat influentia largitatis suæ in eos , qui cogitatum suum ab eo averterint , vel in alia converterint : converterint , inquam , conversione fixâ , et adhærenti , vel averterint simul , hoc est illo modo.

RICHARD. A S. VICTOR. *part.* 1. *Tract.* 1. *cap.* 22. Hùc accedit quòd gratia quam homo semel accepit ante peccatum justè subtrahi non potuit. Quam etsi præter meritum acceperat , sine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni horà potest justè subtrahi , quia nunquam potest homo sine culpa inveniri. Et sicut non potest per se semel amissam recuperare , sic quidem gratis recuperatam non potest nisi ex aliena tutela custodire... Sæpè negligentibus et torpentibus nobis ultrò offertur , et sæpè in multis et magnis conatibus nostris subitò inopinatè subtrahitur... Manet itaque infirmitas cum libertate , et libertas cum infirmitate , in tantum , ut neutra præjudicet alteri , nec infirmitas libertati , nec libertas infirmitati , quia nec infirmitas minuit libertatem , nec libertas aufert infirmitatem Cùm igitur legis , vel audis liberum arbitrium esse captivum , nihil aliud intellige quàm infirmum , et naturæ possibilitatis virtute privatum , quod admonere nos voluit qui hoc designat per caput languidum. Alioqui contrariis assertionibus sibi ipsis contradicunt et seipsos convincunt qui hominis arbitrium , et liberum vocant , et captivum affirmant. Sed fortè qui captivum dicunt , pro parte hoc intelligi volunt , eò quòd ex parte sit liberum , et ex parte captivum. Sed quis nesciat quia si mille dominos haberem , et uno solo adhuc premente , cæteris omnibus libertate donarer , (utpotè qui adhuc dominum haberem) liber utique rectè dici non possem. Constat itaque quòd hominis arbitrium liberum dici non possit , si vel ex parte libertatem amisit.

Pars 2. *annotat. in Psal.* CXXXVI. Sterilitas sanè actionum est , quando subtrahitur gratia benè operandi ; sterilitas sermonum , quando subtrahitur gratia benè dicendi : sterilitas cogitationum , quando subtrahitur gratia rectè intelligendi : sterilitas affectionum , quando subtrahitur gratia recta affectandi. In his sanè omnibus modò conceditur , modò subtrahitur gratia divina ; sed modò una , et modò alia , nec solùm malis , verùm etiam bonis , sed bonis ad bonum suum , malis ad malum suum. Omnia siquidem cooperantur ad bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Ad hoc enim electis gratia divina aliquando subtrahitur , ut unusquisque intelligat quid sit de ipso. Ad hoc autem datur vel reparatur , ut intelligat quid sit ex munere divino. In uno eruditur ad contemptum sui , in altero autem ad amorem Dei.

GUIGONIS *seu alii auctoris Scala claustral. sive de mod. orand. cap.* 8. *n.* 9. Sed ne timeas , ô sponsa , ne desperes , ne existimes te contemni , si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur tibi in bonum , et de accessu et recessu lucrum acquiris. Tibi venit , tibi et recedit. Venit ad consolationem , recedit ad cautelam , ne magnitudo consolationis extollat te ; ne , si semper apud te sit sponsus , incipias contemnere sodales , et hanc continuam visitationem non jam gratiæ attribuas , sed naturæ. Hanc autem gratiam cui vult et quando vult sponsus tribuit ; non quasi jure hæreditario possidetur. Vulgare proverbium est , quòd nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo , ne fortè nimis assiduus contemnatur , et absens magis desideretur , desideratus avidiùs quæratur , diu quæsitus tandem gratius inveniatur. Præterea si nunquam deesset hic consolatio (quæ respectu futuræ gloriæ , quæ revelabitur in nobis , ænigmatica est et ex parte) putaremus fortè hic habere civitatem manentem , minùs inquireremus futuram. Ne ergo exilium deputemus pro patria , arrham pro prelii summa , venit sponsus , et recedit vicissim :

nunc consolationem afferens, nunc universum stratum nostrum in infirmitatem commutans. Paulisper nos permittit gustare quàm suavis est, et antequam plenè sentiamus, se subtrahit: et ita quasi alis expansis supra nos volitans, provocat nos ad volandum; quasi dicat: Ecce parùm gustatis quàm suavis sum et dulcis: sed si vultis planè saturari hac dulcedine, currite post me in odore unguentorum meorum habentes sursùm corda, ubi ego sum in dextera Dei Patris.

Ad Paginam 134, *lin.* 19.

(F) 2. Cor. v. 1. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Hebr. xii. 15. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.

S. Ephrem. *Serm. in mulierem peccat. versus initium.* Nunquam enim gratia quemquam rejicit hominum salvari cupientium. Nam quemadmodum fons sine intermissione scaturiens atque effundens pura fluenta, variosque latices, nunquam aliquem impedit affatim ex mundis ac limpidis suis aquis refici, ac quidem gratis cupientem: sic et divina gratia omnibus exposita est ac patet semper eà frui volentibus, et unicuique quantùm voluerit. Quando enim Salvator in Evangeliis divinà suà voce omnes invitabat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan* vii. 37.); non distinxit omninò pauperem à divite neque peccatorem à justo.

Confess. seu Precat. ad Deum, init. Diligentes autem te, assiduè tuà replentur gratiâ.

B. Cyril. Archiepisc. Alexandr. *Comm. in Isaïam, lib.* 1. *orat.* 21. Unicuique enim nostrûm mensura gratiæ à Deo data est.

Asterius Amaseæ Episc. *in Daniel. et Susan. pag.* 95. *Bibl. Græc. PP. P. Combefis.* Nunquam doni supereffluentiâ dives, spiritus gratia, sua, quando, ac quibus velit, exhibere cessat. Tanquam enim fluvius omninò *aquis* plenus *salientibus in vitam* (*Joan.* iv. 14.), secùs omninò ac visibilia hæc ac terram irrigantia flumina, emissiones virtutis subministratas habet. Neque enim, uti quandoque illa, eam profluens aqua defuit, neque illorum more, incrementa vel decrementa admittit: uecve pro eorum ratione, hanc ac illam partem allambit: quin etiam abundat semper; ac omnibus sufficit, inque eos effluens qui plenitudinis sunt participes, nihil minus plena consistit: sed et ita uberem habens gratiam, pro etiam ætatum modo distribui ac dividi nescit.

S. Hilar. *Tract. in Psal.* cxviii. *Misericordiâ tuâ, Domine, plena est terra, justificationes tuas doce me.* (*v.* 64.) Terra misericordiâ Dei plena est, quæ contaminata, quæ corrupta, quæ irreligiosa, quæ infida, quæ perdita est. Et si quis fortè audebit impio ore Prophetam mendacii arguere, tanquam non in omnem terram Dei misericordiam putet esse diffusam; Dominum in Evangeliis recolat dixisse: *Estote boni, sicut pater vester, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* (*Matth.* v. 45. *et* 48.) Patiens enim et misericors Deus, dum mavult pœnitentiam peccatorum quàm mortem (*Ezech.* xviii. 23.), dona sua justis injustisque largitur, unicuique per patientiam longæ æquanimitatis pœnitendi tempus impertiens.

In Ps. cxlii. *n.* 14. Ad Domini misericordiam, servi quoque et fides et nomen adjungitur: ut misericordia Dei quanquam omnibus prompta sit, his tamen qui servi ejus sunt intelligatur assistere, per eum et in eo qui ait, *Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* (*Matth.* xxviii. 20.)

In Psal. cxliv. *n.* 18. * *Suffulsit Dominus omnes qui ruunt, et erigit omnes elisos.* (*v.* 14.) Adest omnibus Dei sanctitas, et se humanis auxiliis non subtrahit.

N. 21. Post quæ sequitur: *Propè est Dominus invocantibus eum.* (*v.* 18.) Non longè abest, qui per naturæ suæ virtutem, et ipse semper est, et totus semper et ubique est, secundùm illud Apostoli, *Quia in ipso vivimus ac movemur.* (*Act.* xvii. 28.) Propè est ergo invocantibus, cùm nihil sit quod sine eo sit. Sed quibus invocantibus propè sit, ex subjectis docet: *omnibus invocantibus eum in veritate.* Non ex otio invocantibus, neque ex infidelis ambiguitatis incerto; sed verum Deum fideli invocantibus veritate.

In Matth. lib. 2. *n.* 35. Utamur ergo tam liberalibus donis, et usum maximè necessarii muneris expetamus. Ait enim, ut jam superiùs ostendimus, Apostolus: *nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed*

spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. (1. *Cor.* II. 12.) Accipitur ergo ob scientiam. Ut enim natura humani corporis cessantibus officii sui causis erit otiosa; nam oculis, nisi lumen aut dies sit, nullus ministerii erit usus; ut aures, nisi vox sonusve reddatur, munus suum non recognoscent; ut nares, nisi odor fragraverit, in quo officio erunt nescient; non quòd hi deficiet natura per causam, sed usus habetur ex causa: ita et animus humanus nisi per fidem donum spiritûs hauserit, habebit quidem naturam Deum intelligendi, sed lumen scientiæ non habebit. Munus autem, quod in Christo est, omne omnibus patet unum: et quod ubique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere; in tantum residet, in quantum quis volet promereri. Hoc usque in consummationem seculi nobiscum, hoc exspectationis nostræ solatium, hoc in donorum operationibus futuræ spei pignus est, hoc mentium lumen, hic splendor animorum est. Hic ergo Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, et deinceps præceptorum fide absque observatione retinendus.

S. AMBROS. *in Ps.* XXXVII. *Enarr.* 47. Habe voluntatem surgendi, præsens est qui faciat ut resurgas.

In Psalm. XXXIX. *Enarr. n.* 20. Ille omnes suos vult esse, quos condidit et creavit. Utinam, tu homo, non fugias, et te ipse à Christo non abscondas. Ille etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire.

In Psal. XLV. *Enarr. n.* 12. Omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei Verbo: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* (*Joan.* VII. 37.)

In Psal. XLVIII. *Enarr. n.* 2. Omnes gentes vocat ad sapientiæ fontem atque prudentiæ: redemptionem omnibus pollicetur, ut nemo desesperet, ubi nullus excipitur: sed omnis anima invitatur ad gratiam, ut sine pretio redimatur à crimine, et fructum vitæ adipiscatur æternæ.

In Psal. CXVIII. *serm.* 6. *n.* 6. Adhuc ego eum quæro, et ille jam venit: adhuc ego suffragia capto ut veniat, et ille jam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitatis puto; et ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: Veni: ille salit et transilit. Ego rogo eum venire cum gratia: ille gratiarum operatur augmenta: et dum venit, incrementa gratiæ secum vehit.

In Exposit. Evang. sec. Luc. lib. 5. *n.* 116. Exsurgant vel serò qui dormierunt, etiam qui Christum perdiderunt. Non sic amittitur Christus, ut non revertatur, si tamen requiratur: sed vigilantibus regreditur, et exsurgentibus præstò est: immò omnibus adest, qui ubique semper est, quia complet omnia. Nulli enim deficit, superabundat omnibus: * *superabundavit* enim *peccatum, ut superabundaret gratia.* (*Rom.* V. 20) Gratia Christus est, vita Christus est, Christus est resurrectio: qui surgit igitur, invenit esse præsentem.

Lib. 6. *n.* 74. Miseretur ergo Dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, non per Dominum Jesum, sed per se deficit: nec habes quod adscribas Domino, qui *vincit cùm judicatur* (*Psal.* II. 6.); quid enim dicas ei qui in te contulit omnia firmamenta virtutis? Nonne ipse te genuit, nonne ipse te pavit? Cibus ejus virtus est, cibus ejus fortitudo est. Sed si tu negligentiâ tuâ virtutem quam acceperas perdidisti, non alimentorum cœlestium, sed tuæ mentis tibi præsidia defuerunt.

N. 76. Dividit ergo escas Dominus Jesus. Et ille quidem vult dare omnibus, negat nemini: dispensator enim est omnium: sed cùm ille panes frangat, et det Discipulis, si tu manus non extendas tuas, ut accipias tibi escas, deficies in via; nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miseretur, et dividit: sed his dividit, qui cum eo etiam in deserto permanent, qui primo et secundo et tertio die non recedunt.

N. 77. Non fatigeris nunc, ne postea fatigeris. Quid enim respondebis ei: aut quomodo te excusabis, si escæ virtutem quam ministrat, amiseris? Non potes dicere quia escam non dedit, quia dat omnibus. Non potes dicere quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum et malum; ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Multum enim refert inter eum qui necessitate invitus aliquid agit, et inter eum qui ex voluntate quod bonum est eligit: *Si enim invitus hoc ago, dispensatio mihi credita est: si volens, mercedem habeo.* (1. *Cor.* IX. 17.)

AMBROSIASTER *Comment. in Epist. ad Corinth.* 2. IV. 15. A munere suo **Deus nullum voluit esse alienum.**

S. Leo Magn. *Serm.* 63. *in Pass. Dom.* 14. *cap.* 5. Nemo est credentium, cui dona neganda sint gratiæ.

Serm. 80. *cap.* 2. Deus namque bonus, et justus, et omnipotens, qui misericordiam suam humano generi nunquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit.

Petr. Blesens. *Serm.* 52 *de uno Confess. serm.* 2. *Hodie*, dicit Dominus, *si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (*Ps.* xciv. 8.) Nos verò more aspidis surdæ et obturantis aures suas ad vocem Christi obsurdescimus, et obturamus aures nostras, ne audiamus bonum. Non possumus causari, quòd Dei gratia nobis desit: sed ipse causari potest quòd ejus gratiæ nos desumus, et quoties vocat nos ad salutem, claudimus cordis oculos, et ei vertimus humerum recedentes..... O fons misericordiæ, ô misericordia, ô bonitas, ô benignitas Deus, ne derelinquas me, trahe me post te: pedem movere non possum, quia *infixus sum in limo profundi* (*Ps.* lxxiii. 3.): oneratus etiam sum, quia *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (*Ps.* xxxvii. 5.), confido tamen quia si me traxeris, curram in odorem unguentorum tuorum. Si ad nuptias, quæ paratæ sunt intrare aut nolo, aut nequeo, tu me benignissime Jesu compelle intrare: quia si per te non intravero, intrare non possum.

S. Bernard. Abb. *Serm.* 1. *in Purificat. B. Mariæ, n.* 1. *Suscepimus*, inquit, *Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* (*Ps.* xlvii. 10.) Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et quicunque sunt præordinati ad vitam: si quidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foràs, Domine Deus: nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo.

Guerrici Abbat. *in festo Pentec. serm.* 1. *n.* 1. *Vide* §. 1. *litt.* (K)

Petr. Abelard. *Theolog. Christian. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 1181. *apud* Edm. Martenne *tom.* 5. *Thesauri Anecdot. novi.* Illud quoque quod ait Plato animam locatam esse à Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum terrestris orbis æqualiter porrigi, pulchrè designat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, cuncta, prout salubre est vel æquum, benignè in hac magna domo sua seu templo disponere... His autem illud libri Sapientiæ apertæ concinit: *spiritus Domini replebit orbem terrarum, etc.* (*Sap.* i. 7.) Atque illud Psalmistæ, *spiritus oris ejus omnis virtus eorum.* (*Ps.* xxxii. 6.)

Ad Paginam 134. *lin.* 25.

(G) *Id probant multa Scripturæ loca, quædam hîc tantùm afferemus.*

Sapient. viii. 21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum et deprecatus sum illum.

Rom. v. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Jacob. i. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à patre luminum.

Origen. *lib.* 9. *cap.* 12. *in Epist. ad Romanos.* Mihi videtur (Paulus Apost.) tam ad Romanos quàm ad Corinthios scribens, tres capiendæ gratiæ modos docere, ut ex nobis in eo agi aliquid ostendat, plurimum tamen in Dei largitione consistere. Ponit ergo et mensuram fidei esse, per quam quis gratiam capit: ponit et ad id quod expedit, et Spiritum dividere prout vult. Ut ergo in nobis tanta fides inveniatur, quanta possit sublimior gratia promereri, nostri operis videtur et studii: ut autem ad id detur quod expedit, et utile sit accipienti, Dei judicium est, vel omninò si dari velit in ipso est... Apostolus scribit ad charissimum sibi filium dicens, *noli negligere gratiam quæ in te est* (1. *Tim.* iv. 14.); tanquam sciens posse gratiam per negligentiam deperire... Fides quidem quæ speret et credat, et absque ulla dubitatione confidat, in nobis est: ratio verò fidei ipsius et scientia et perfectus eorum intellectus quæ credimus, donatur à Deo... Dicet fortasse aliquis: Si hæc omnia per gratiam dat, non erit in culpa si quis non prophetet aut non ministret, aut non doceat, aut non exhor-

tetur, aut non tribuat, aut non præsit, aut non misereatur, aut non diligat, quia horum omnium gratiam non accepit. Sed ad hæc dicemus : Sicut est fides quam docuimus esse in nobis, et rursùs est fides quæ per gratiam datur, sicut suprà diximus scriptum esse. Alii fides in eodem spiritu : ita etiam in unoquoque horum quæ suprà enumeravimus à Deo per gratiam dari, erit et in nobis aliquid ad cujus unusquisque mensuram vel rationem gratiam promeretur. Neque enim de sola sapientia accipiendum illud quod scriptum est, quia * *si sit aliquis perfectus in filiis hominum, si desit ei sapientia quæ ex Deo est, ad nihilum deputabitur.* (*Sap.* IX. 6.) Eodem namque modo possumus dicere, Etiam si sit aliquis perfectus in filiis hominum, si desit ei fides quæ ex Deo est, in nihilum reputabitur : ita et si perfectus sit in doctrina quis, et desit ei doctrina gratiæ quæ ex Deo est, in nihilum reputabitur. Et ita in omnibus quæ enumerata sunt, est quædam perfectio inter filios hominum quam labore et studiis propriis assequuntur, sive in sapientia, sive in doctrina, sive in aliis officiis : quæ tamen si non habeant gratiam à Deo datam, nihil erunt.

In Matth. Tract. 7. Ad hæc autem Christus respondit dicens, gratiam esse donatam à Deo continentibus se omninò. Quæ gratia non solùm per continentiam apprehenditur, sed multis orationibus à Deo præstatur. Hoc enim significat dicens : *non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est.* (*Matth.* XIX. 11.) Quoniam autem quidam calumniantur quod Christus ait, *quibus datum est*, quasi excusationem habentes, et volentes quidem esse in castitate, non autem prævalentes. Quibus est respondendum : Si quidem accipimus simpliciter quod dictum est, *sed quibus datum est :* non autem attendimus quod alibi dicit : *Petite, et dabitur vobis : et omnis qui petit, accipit* (*Matth.* VII. 7. 8.) : aut fideles non sumus, aut scientes Scripturas : qui enim vult capax esse verbi quod de castitate positum est, petat, credens dicenti, et accipiet, non dubitans de illo quod dictum : *omnis qui petit, accipit.* Quis est ergo qui petit ? Qui credit Christo dicenti : *si steteritis orantes, credite quoniam accipietis.* (*Marc.* XI. 24.) Debet autem qui petit, omnia facere quantùm ad se, ut orat spiritu, oret et mente, memor Apostolici verbi quod ait, *sine intermissione orantes.* (1. *Thess.* V. 17.) Utile est autem scire quid debeat petere quis, ut mereatur accipere. Et quod ait : * *Dico vobis, et si non dabit ei surgens propterea quòd amicus est ejus, tamen propter importunitatem ejus dabit ei quantos voluerit.* (*Luc.* XI. 8.) Et addit : *Et ego vobis dico, Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* (*Ibid.* 9. *et* 10.)

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 55. *ad pop. Antioch. de Pœnit.* 5. Nobis igitur metipsis fratres medicinam infundamus salutis pœnitentiam, magis verò à Deo pœnitentiam suscipiamus nobis medentem. Non enim nos hanc illi præstamus ; sed hanc ille nobis propinat.

S. HILAR. *Tract. in Psal.* CXVIII. *in Prolog. n.* 2. Arduum enim et difficillimum homini est, per seipsum vel per seculi Doctores rationem præceptorum cœlestium consequi : nec naturæ nostræ recipit infirmitas divinis institutis, nisi per ejus gratiam qui hæc ipsa dederit, erudiri. Namque qui simpliciter ea quæ inter manus sibi inciderint legunt, existimant nihil differentiæ in verbis, nihil in nominibus, nihil in rebus existere. Sed si istud communis colloquii sermo non patitur, ut sub diversis rerum nuncupationibus non diversa significata esse intelligantur ; nunquid Dei eloquia tam imperita, tam confusa esse credimus, ut aut inopiâ verborum quibus uterentur laboraverint, aut distinctionum genera nescierint ?

N. 4. Difficile est quemquam per semetipsum, id est, per seculi instituta hanc innocentiæ religiosæ cognitionem et verum usum vitæ piæ et innocentis adipisci. Novit etiam infirmam per se esse humanam naturam Apostolus, ad hanc vivendi scientiam capessendam.

Prima littera n. 1. Non enim primùm, *Beati scrutantes testimonia Dei* (*Ps.* CXVIII. 2.) ; sed primùm, *Beati immaculati in via.* (*Ibid.* 1.) Prius enim est, confirmatis moribus et in innocentiæ studium ex communi probitatis honestate compositis, viam veritatis ingredi : sequens deindè est scrutari Dei testimonia, et expurgato emundatoque animo ad investiganda adesse.

N. 4. Necessarium est ab eo, qui hæc omnia constituit et condidit, intelligentiæ gratiam nos et munus orare.

N. 12. Justificationes autem sunt plures atque diversæ in observandis singulis officiorum generibus temperandæ : ad quorum custodiam, nisi à Deo dirigamur, infirmi per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur per gratiam ejus, dirigendique sumus, ut præceptarum justificationum ordinem consequamur... Jam verò in ipsa fidei veritate, id est, de Dei Patris et Domini intelligentia, per quam maximè justificatio nobis erit probata, quantà opus est nobis Dei gratiâ, ut recta sapiamus, ut ex Propheticis atque Evangelicis auctoritatibus unum idemque teneamus; ne in uno aut altero opinio nostra et sermo dissideat, sed ad universas Dei justificationes æquà ac pari operum ac doctrinæ observantiâ dirigamur.

N. 15. Sed meminisse debemus, licèt cognitio præstanda à Deo sit, tamen esse semper orandum, ut his quæ in custodiendis justificationibus suis custodire volumus faveat : scientes quidem frequenter nos ab eo ob tentationes derelinqui, ut per eas fides nostra probabilis fiat. Verumtamen secundùm Prophetam ne nos penitùs derelinquat deprecandus est : ait enim, *non me derelinquas usquequaque nimis.* (*Ps.* CXVIII. 8.) Quod et in Dominicæ orationis ordine continetur, cùm dicitur : *non derelinquas nos in tentatione* (*Matth.* VI. 13.) quam ferre non possimus. Scit Apostolus derelinqui nos ad tentandum : sed novit et mensuram infirmitatis nostræ Deum nosse, dicens : *Fidelis est Deus, qui non permittat nos tentari super quàm possumus.* (1. *Cor.* X. 13.) Job Deus tentationi permittens, à jure diaboli potestatem animæ ejus excerpsit (*Job.* II. VII.), et secundùm modum infirmitatis humanæ tentandi jus dereliquit. Infirmitatis suæ igitur Propheta conscius orat, ne valdè derelinquatur : ut imbecillitatem ejus, tanquam Petri demergendi fluctibus, Dominus assumat : ut quanquam ad tentandum sese relicturus sit, non tamen *usquequaque et valdè*, scilicet ne usque ad animæ et fidei periculum derelinquat.

Littera 2. *n.* 7. Maximus igitur ac præcipuus labor est, hanc justificationum Dei scientiam consequi, et humanæ naturæ infirmitas difficulter tot tantarumque rerum cognitionem consequitur : atque ob id ut doceatur orat, quia divinæ bonitatis munus est, animi humani imperitiam ad congruam atque unicuique generi competentem officiorum observantiam temperare.

N. 10. Priùs exercendum est in mandatis Dei; tum deindè viæ ejus considerandæ : quia nisi fidelium operum usus præcesserit, doctrinæ cognitio non apprehendetur; et agendum à nobis antea fideliter est, ut scientiam consequamur.

Littera 5. *n.* 9. Et nunc in hac (*via mandatorum Dei*) orat se hic et unctus et rex et Propheta deduci. Scit enim imbecillem sibi esse naturam, neque se posse hanc semitam sine duce aggredi. Dux enim est omnibus hac semitâ pergentibus Deus. Dux enim est, cùm ducitur, Retrò post Dominum Deum tuum ambula, et ad eum adhæreto (*Deut.* XIII. 4.); et rursùm, Retrò post eum ambula, quoniam ipse te deducet.

N. 11. Omnia Propheta ad munus Dei retulit : sive ut lex viæ justificationum sibi statuatur à Domino, sive ut sibi intelligentia præstetur, sive ut deducatur in semita, sive ut cor ejus in testimonia inclinetur.

N. 15. Sed fortè per hanc Prophetæ religiosam modestiam, quisquam impiè loqui ita audebit : Si, inquit, omnia à Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpâ, cùm nihil obtinere possit nisi quod donatum à Deo sumpserit. Et primùm hoc impietatis est voluntas, existimare idcircò se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quòd sibi à Deo indulta non fuerint. Sed omnem occasionem hujus impiæ excusationis Propheta submovit. Primùm enim cùm orat, conveniens infirmitati suæ egit officium : dehinc Dei muneribus humanæ devotionis studia connexuit. Cùm enim ait, *legem mihi statue Domine viam justificationum tuarum* (*Psal.* CXVIII. 33.), quid secundùm orationis nostræ humilitatem Dei esset ostendit. Cùm autem subjecit, *et exquiram eam semper*, officium devotionis suæ protulit. Et in cæteris quoque utrumque quodam complexu sibi invicem colligavit : cùm deduci se in semita postulavit, et cùm id ipsum voluit. (*Ibid.* 35.) Priùs enim quæ à Deo sunt cum honore præposuit : et tunc quæ hominis sunt cum humilitatis atque officii sui confessione sub-

jecit. Orat igitur ut Deus tribuat. Est ergo à nobis, cùm oramus, exordium; ut munus ab eo sit: dehinc quia de exordio nostro munus ejus est, ex nostro rursùm est ut exquiratur et obtineatur et maneat.

Littera 10. *n.* 9. Optimum autem cœlestium mandatorum scientiam a Deo per precem postulare, infirmitatem ingenii nostri paupertatemque cognoscere. Primum enim, secundùm Apostolum, munus est gratiarum sapientiæ donum, sequens scientiæ.

Littera 12. *n.* 1. Nec sanè humana infirmitas in cœlestem scientiam seipsa proveheret, nisi Deo donum scientiæ per doctrinam Spiritûs largiente ad cognitionem divinæ et imperspicabilis naturæ erudiretur.

Littera 13. *n.* 5. O felix discipuli intelligentia! ò doctorum miserabilis imperitia! Docentes nesciunt; et intelligunt qui docentur. Caret autem Propheta vitio jactantiæ: intelligentiæ enim præstantiam undè adeptus esset ostendit. Nam superiùs ait, quòd super inimicos suos prudentior à Deo in mandatis ejus esset effectus. Intelligentia enim omnis ex eo est, qui prudentiorem esse eum constituit.

N. 12. Efficienda præcepta sunt, ut simus intelligentes. Et licèt à Deo intelligentia perfecta sit, tamen à nobis incipiendum est, ut possimus perfectam intelligentiam promereri. His enim, qui non hoc per se inchoant, clausa à Deo omnia sunt. Et idipsum propheticus sermo per Isaïam docet dicentem, ne dicas de mandatis meis, quòd cognoveris ea: neque cognovisti, neque credidisti ea, neque ab initio aperui tibi aures. (*Isai.* XLVIII. 7. *et* 8.) Cognovi enim quòd spernens sperneres, et quòd iniquus adhuc ex ventre vocandus esses. Ergo non indulgetur scientia non appetentibus eam. Et quia Deus cordium scrutator est, his qui spreturi eam essent, obtusæ aures sunt, et hebes sensus est.

Tract. in Psalm. CXXV. *n.* 2. Non ergo ex nobis est quòd intelligimus; sed ex eo, qui quæ ignorabilia erant fecit intelligi. Itaque ab eo speranda intelligentia est, qui et pulsantibus aperiet, et quærentibus demonstrabit, et petentibus non negabit.

N. 8. Mutavimus crimina in innocentiam, vitia in virtutes, ignorantiam in cognitionem, interitum in immortalitatem: et hoc à Deo, gratiam faciente pœnitendorum, et novorum bonorum initia reddente.

In Matth. lib. 5. *n.* 20. Non potest Deus nisi per Deum intelligi, sicuti nec honorem à nobis Deus nisi per Deum accipit. Namque honorandus esse nonintelligetur, nisi iste docuerit honorandum: nec Deus scietur, nisi hic Deus scitus sit. Habet dispensatio sacramentorum suum ordinem. Ad Dei honorem per Deum docemur.

N. 21. Non est de Deo humanis judiciis sentiendum. Neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit: quia non nisi se auctore cognoscitur.

S. AMBR. *Exposit. Evang. sec. Luc. lib.* 1. *n.* 34. *Et spiritu*, inquit, *sancto replebitur.* Cui enim adest spiritus gratiæ nihil deest. Et cui Spiritus sanctus infunditur magnarum plenitudo virtutum est.

Ex S. AMBROS. *de S. Agnete. Ex lib. de Virgin. cap.* 2. *apud* THEODOR. RUINART. *pag.* 508. Stupere universi, quòd jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit denique ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: Quia quod ultra naturam est, de auctore naturæ est.

S. AUG. *in Psalm.* CXVIII. *Serm.* 19. *n.* 3. Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides proficit ad credenda quæ intelligat: et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante atque donante: sicut medicinâ fit, non naturâ, ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat.

S. GREG. MORAL. *lib.* 8. *in cap.* 7. *beati Job. cap.* 29. *n.* 48. Diluculo ergo nos Dominus visitat: quia erroris nostri tenebras, luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum, quòd Deus postquam diluculo visitat, subitò hominem probat: quia et accendendo corda nostra ad virtutes provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nullâ tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo

et firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per recessum quid ex semetipso sit, probatur. Quod benè nobis ex historia sacræ lectionis innuitur, quâ Salomon et divinitùs accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut tantæ revelationis gratiam accepit, certamen turpium mulierum pertulit: quia nimirùm sæpè cùm mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinùs etiam lubricæ cogitationes turbant, ut quæ sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata, quid sit inveniat. Sic Elias et visitatus diluculo, sermone cœlos aperuit, et tamen probatus subitò, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium cœlum ducitur, paradisi penetrans secreta considerat (2. *Cor.* XII. 2.); et tamen ad semetipsum rediens, contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari spiritus legem dolet. (*Rom.* VII. 21.) Diluculo ergo Deus visitat, sed subitò post visitationem probat: quia et collato munere sublevat, et abstracto ad paululum, ipsum soli hominem demonstrat. Quod eo usque procul dubio patimur, quo detersâ funditùs labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur.

Ven. BEDA Presbyt. *de Templ. Salom. cap.* 18. *de Column. æneis, pag.* 32. Nec Deus absque gratia Spiritûs sancti potest amari nec proximus. Manet namque sententia veridica, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non ex merito nostro, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* V. 5.) Ubi autem charitas Dei, ibi profectò et proximi diffunditur in cordibus fidelium, quia nimirùm una sine altera haberi nequaquam valet.

PASCHAS. RATBERT. *in Matth. Evang. lib.* 6. *pag.* 510. *Tom.* 14. *BB. PP. Lugd.* Quia sub timore præcepta legis servantur, ut vivat homo tantùm in eis; propterea gravia et importabilia dicuntur, Evangelii verò jam filiis datâ gratiâ quæ est in Christo Jesu, valdè levia videntur. Legis timor pœnam infert, Evangelii verò charitas, suavitatem; quia omninò quidquid libet magis placet. Nam lex terrena repromittit et temporalia: Evangelium, cœlestia et æterna. Ibi sine ulla miseratione damnatur reus; hìc è converso, non solùm venia, verùm etiam gratia præstatur et adoptio. Undè quia duobus præceptis tota lex et Prophetæ adimplentur, perficit gratia ut charitas (in qua omnia pendent) integra conservetur.

S. ANSELM. *Dial. de casu Diaboli cap.* 20. *Mag.* Quid ergo dicimus contra veritatem; si dicimus cùm diabolus voluit quod non debuit, hoc illum et à Deo accepisse, quia Deus permisit; et non accepisse, quia ille non consentit? *Disc.* Nihil hic repugnare videtur veritati. *Mag.* Cùm igitur diabolus convertit voluntatem ad quod non debuit; et ipsum velle, et ipsa conversio fuit aliquid; et tamen non nisi à Deo, et Dei voluntate aliquid habuit: quoniam nec velle aliquid, nec movere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit omnes naturas substantiales et accidentales, universales et individuas. In quantum enim voluntas, et conversio, sive motus voluntatis est aliquid; bonum est, et Dei est: in quantum verò justitiâ caret, sine qua esse non debet: non simpliciter malum, sed aliquid malum est: et quod malum est, non Dei, sed volentis, sive moventis voluntatem est. Simplex quippe malum, est injustitia; quoniam non est aliud, quàm malum, quod nihil est. Aliquid verò malum est natura, in qua est injustitia: quia est aliquid, et aliud quam injustitia, quæ malum et nihil est. Quare quod aliquid est, à Deo fit, et Dei est; quod verò nihil est, id est malum, ab injusto fit, et ejus est. *Disc.* Quòd quidem Deus naturas rerum omnium faciat, fatendum est: quòd verò singulas actiones perversarum voluntatum, velut ipsum pravum motum voluntatis, quo ipsa mala voluntas se movet, faciat, quis concedat? *Mag.* Quid mirum, si dicimus Deum facere singulas actiones, quæ fiunt malâ voluntate; cùm fateamur eum facere singulas substantias, quæ fiunt injustâ voluntate et inhonestâ actione? *Disc.* Non habeo quid contradicam: quippè nec negare possum verè aliquid esse quamlibet actionem; nec fateri volo non fieri à Deo, quod verè aliquam habet essentiam. Neque ista tua ratio ullo modo accusat Deum, aut excusat Diabolum: sed omninò Deum excusat, et Diabolum accusat.

D. AELRED. *Serm. in cap.* 13. *Isaiæ Prophet. serm.* 5. *pag.* 17. *Tom.* 27. *Biblioth. PP. Lugd. Omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est.* (*Jacob.* I. 17.) In cujus, quæso, potestate est, sic orare ut velit? Itane quando volumus, aut devotione fervescimus, aut erigimur confidentiâ, aut flammâ charitatis succendimur, aut contemplatione sustollimur? Experti estis quàm nihil horum in vestra sit potestate, sed mittit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem *Abba pater.* (*Rom.* VIII. 15.) Iste igitur spiritus has in oratione affectiones dispertit, dividens singulis prout vult. (1. *Cor.* XII. 11.) Ipse adeò in cordibus orantium gemitum salutarem infundit, ut ipse etiam gemitibus inenarrabilibus dicatur interpellare pro nobis.

AUCTOR *Serm. in Feria* 2. *Pasch. de Discip. euntib. in Emaüs; inter opera* D. BERNARD. *Tom.* 2. *pag.* 665. *n.* 22. *Factum est autem cùm recumberet cum illis, accepit panem, et benedixit, fregit et porrexit illis: et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum.* (*Luc.* XXIV. 30. 31.) Panis iste panis est gratiæ... Benedicit panem, quando benedictionem suam nobis dat legislator, ut eamus de virtute in virtutem. Frangit et porrigit illis: *quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Nec panem porrigit integrum, sed fractum; quia divisiones gratiarum sunt; sed idem Dominus, qui *sicut buccellas mittit crystallum suam.* (*Ps.* CXLVII. 17.)

PETRUS LOMBARDUS Paris. Episc. *Sentent. lib.* 2. *Distinct.* 27. Justitia in homine non est opus hominis, sed Dei: quod et de aliis virtutibus itidem intelligendum est... Si igitur gratia quæ sanat et liberat voluntatem hominis, virtus est vel una vel plures: cùm ipsa gratia non sit ex arbitrio voluntatis, sed eam potiùs sanet, ac præparet, ut bona sit: consequitur ut virtus non sit ex libero arbitrio: et ita non sit motus vel affectus mentis, cùm omnis motus vel affectus mentis sit ex libero arbitrio: sed bonus ex gratia est et libero arbitrio; malus verò ex libero arbitrio tantùm. Ut enim ait August. in lib. retract. *Homo sponte et libero arbitrio cadere potuit, non etiam resurgere.* Idem in lib. de duabus animabus: *Animæ si libero ad faciendum et non faciendum motu animi careant, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, earum peccatum tenere non possumus.* Hic apertè ostenditur, quòd motus animi sive ad bonum, sive ad malum, ex libero arbitrio est. Ideoque si gratia vel virtus motus mentis est, ex libero arbitrio vel ex parte est, jam non solus Deus sine homine eam facit. Propterea quidam non ineruditè tradunt, virtutem esse bonam mentis qualitatem sivè formam, quæ animam informat: et ipsa non est motus vel affectus animi, sed eâ liberum arbitrium juvatur, ut ad bonum moveatur et erigatur: et ita ex virtute et libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi, et exindè bonum opus procedit exteriùs: sicut pluviâ rigatur terra, ut germinet et fructum faciat; nec pluvia est terra, nec germen, nec fructus; nec terra germen vel fructus; nec germen fructus: ita gratis terræ mentis nostræ, id est libero arbitrio voluntatis, infunditur pluvia divinæ benedictionis, id est inspiratur gratia, quod solus Deus facit, non homo cum eo: quâ rigatur voluntas hominis, ut germinet et fructificet, id est sanatur et præparatur ut bonum velit, secundùm quod dicitur operans: et juvatur ut bonum faciat, secundùm quod dicitur cooperans. Et illa gratia virtus non incongruè nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat et adjuvat.

Ad Paginam 134. *lin.* 23.

(H) *Id docet Scriptura innumeris in locis, David præsertim in Psalmis, potissimùm Psal.* CXVIII. *Pauca hîc ex omnibus apponemus.*

EXOD. IV. 12. Ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris.

PSAL. XXIV. 4... Vias tuas Domine demonstra mihi: et semitas tuas edoce me. 5. Dirige me in veritate tua et doce me: quia tu es Deus Salvator meus.

XCIII. 10. Qui docet hominem scientiam... 12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine: et de lege tua docueris eum.

CXVIII. 12. Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas... 18. Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua... 66. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. *Eadem ferè leguntur singulis versibus.*

SAP. VII. 7. Invocavi et venit in me spiritus sapientiæ... 21. Omnium enim artifex docuit me sapientia, etc.

ISAI. XXVIII. 26... Deus suus docebit illum.

XLVIII. 17. Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.

LIV. 12. Ponam... 13. universos filios tuos doctos à Domino.

JOAN. I. Erat lux vera, quæ illuminat omnem venientem in hunc mundum.

VI. 45. Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. (*Isai.* LIV. 13.) Omnis, qui audivit à Patre et didicit, venit ad me.

XIV. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

XVI. 13. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

1. JOAN. II. 27. Unctio ejus docet vos de omnibus.

S. HILAR. *in Ps.* CXIII. *Vide litt. præced.*

S. METHODII *excerpta ex* NICET. *Cat. in Job. cap.* XIX. *pag.* 446. Dixerit autem aliquis, perfectam et absolutam pietatem, rem plane divinam, et à Deo solo hominibus tributam, hoc loco sapientiam vocari. Sensus autem verborum hic est ; Deus, inquit, hominum naturæ, vim ac facultatem inveniendi, unà cum prudentia et artificio inserens, magna iis largitus est ; quâ acceptâ, terram ad eruenda metalla effodiunt, et colunt : sapientiam autem quæ cum pietate conjuncta est, in nullo loco invenire licet ; nec homo eam ex se et propriis assequi, neque aliis impertiri potest. Undè et Græcorum sapientes, qui suis viribus nisi, pietatem et numinis cultum indagabant, à scopo aberrarunt. Res enim, ut diximus, vires humanas excedit, et Dei donum ac gratia est : proindeque ab initio, partim visionibus, partim Angelorum adventu et congressu, partim Prophetarum divinitùs afflatorum sermonibus, Deus homines in pietate, veræque religionis cultu erudivit. Quin etiam sapientia contemplativa, quâ ad artes et studia alia impellimur, quaque communiter omnes, justi et injusti, præditi sumus, Dei donum est : quâ enim animalia rationis capacia creati sumus, hanc accepimus : Quare et in superioribus, tanquam de re divinitùs concessa loquens, aiebat : *Nunquid non Dominus est, qui docet intellectum et scientiam ?* (*Job* XXI. 22. *et* XXII. 23.)

S. MAXIMUS *Quæst.* 59. *pag.* 101. Spiritûs gratia naturæ vim haudquaquam destruat : quin immò in naturalium modorum morumque usu labefactatam, naturalium rursùs usu efficacem, ad divina intelligenda inducens, reddat. Quærit enim in nobis Spiritus sanctus ac scrutatur rerum scientiam. Neque Spiritus sanctus mysteriorum notitiam in sanctis operatur, absque naturali facultate quæ eam exquirat ac scrutetur. Sive ergo quærebant, aut exquirebant, sive scrutabantur aut exscrutabantur sancti, spiritûs gratiam eorum mentis vim ac rationis moventem, ad animorum quærendam salutem ac scrutandam, habebant ; nihilque prorsùs spiritale absque spiritu contuebantur ; quòd neque comparatum sit, ut nisi divinâ collucente luce mens humana, quæ divina sunt ac intelligibilia, percipiat.

Centen. 4. *pag.* 586. *cap. Theol. et œcon. n.* 12. Nec divina gratia, quin adsit qui per facultatem naturæ illustrationem capiat, scientiæ præstat illustrationes ; at neque quod capax est, nisi gratiâ subministrante, scientiæ illustrationem præstat.

N. 13. Neque sanctissimi spiritûs gratia sapientiam in sanctis operatur, absque mente quæ eam suscipiat ; neque scientiam, absque facultate rationis ejus capace ; neque fidem, absque futurorum, ac quæ hactenùs cunctis obscura sint, mente ac ratione certitudine ; neque sanationum dona, absque naturali humanitate : nec denique ullum aliud reliquorum donum, absque habitu ac facultate cujusque illorum capace. At neque rursùs vel unum ex enumeratis homo consequatur ex naturæ viribus, ac nisi divinâ virtute hæc subministrante.

N. 14. Qui sine perturbatione petit, gratiam accipit, quâ actionis cultu virtutes operari possit : ac qui imperturbatè quærit, veritatem in rebus, naturalis vi speculationis, invenit. Qui denique imperturbatè scientiæ pulsat januam, nullo impedimento ad occultam mysticæ Theologiæ invadet gratiam.

N. 16. Neque Spiritus sanctus, absque naturali facultate scientiam quærente ac scrutante, mysteriorum notitias in sanctis operatur.

N. 17. Sicut fieri non potest, ut oculus absque solari luce res percipiat, quæ in sensum cadunt: sic nec fiet unquam, ut mens humana citra spiritalem lucem, spiritalem contemplationem suscipiat. Altera enim lux, ad percipienda corpora, per naturam sensum illustrat; altera, ad contemplationem mentem illuminat, ut ea quæ sensum excedunt perspiciat.

N. 18. Vires quærendi divina ac scrutandi, essentialiter à prima ipsa conditione ac origine ab auctore insertas habet humana natura; verùm divinas revelationes, per gratiam, sanctissimi Spiritûs virtus adveniens præstat.... Meritò sanctissimi Spiritûs gratia, iis, qui non consultò et animitùs errori concesserant, à terrenis, quibus affixa tenebatur, avulsam ac quasi refixam facultatem, sibi ipsam restituit: quam videlicet gratiæ munere mundam adepti, quæsierunt primùm et scrutati sunt: tumque exquisierunt, et sunt exscrutati, per eamdem scilicet Spiritûs gratiam.

S. AMBROS. *in Psal.* XLVII. *Enarrat. n.* 21. Nemo sine vero Jesu potest incerta sapientiæ et occulta comprehendere. Et ideò in specie Jesu Nave, veri Salvatoris significabatur ei adspiratura præsentia, per quem fierent omnes docibiles Dei, qui Legem aperiret, Evangelium revelaret.

S. HIERON. *Comment. in Ecclesiasten, cap.* 9. Et in Psalmo loquitur: *sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Ps.* XXXVIII. 5.); non est aptus ad cursum illum, de quo dicitur: *Cursum consummavi, fidem servavi.* (2. *Tim.* IV. 7.) Qui autem levis est, et anima illius non gravatur; nihilominùs et ipse absque adjutore Deo ad calcem non potest pervenire. Sed et cùm prælium fuerit adversùs contrarias potestates, de quo scriptum est: *sanctificate bellum* (*Jer.* VI. 4.); licèt robustus, tamen propriis viribus vincere non valebit. Perfectus quoque in filiis hominum et sapiens, viventem panem atque cœlestem habere non poterit, nisi per sapientiam cohortantem: *Venite, comedite panes meos.* (*Prov.* IX. 5.) Et quia sunt divitiæ, de quibus Apostolus ait: *Divites fieri in operibus bonis* (1. *Timot.* VI. 18.); Et alibi: *Divites facti estis in omni sermone et in omni scientia* (1. *Cor.* I. 5.); sciendum prudentem virum has non posse divitias congregare, nisi eas à Domino acceperit, cujus ipsæ divitiæ sunt. De quibus et alibi dictum est: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.* (*Prov.* XIII. 8.) Gratia quoque nisi scientiam comitata fuerit, et concessa à Deo, quamvis eruditus vir, eam non poterit invenire. Quod et Paulus sciens: *Plus*, inquit, *omnibus illis laboravi: non autem ego, sed gratia Dei* quæ *mecum* est. (1. *Cor.* XV. 10.) Et iterum: *Gratia ejus in me non fuit vacua.* (*Id. Ibid.*)

S. GREG. MORAL. *lib.* 29. *in cap.* 38. *beati Job. cap.* 24. *n.* 49. Quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda verò aperire non potest: et nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium invisibiliter aditum præstet, incassùm prædicatio aure audientis percipitur, quæ pervenire ad intima corde surdo prohibetur: se Dominus viam sonanti tonitrui dare asserit, qui cùm prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus prædicator egregius, dum superna mysteria terribiliter insonaret, se à se habere non posse conspiciens, discipulos admonebat, dicens: *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi.* (*Coloss.* IV. 3.) Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis à Domino aperiri ostium precabatur, habebat quidem jam tonitruum, sed dari ei desuper viam quærebat. Hanc viam nequaquam se Joannes dare posse cognoverat, qui dicebat: *non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* (*Joan.* II. 27.) Hanc viam rursùm Paulus quis daret, intimabat, dicens: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* III. 7.)

Lib. 29. *in cap.* XXXVIII. *beati Job. cap.* 26. *n.* 53. Benè per Prophetam dicitur: *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (*Ps.* CIII. 30.) Sic enim sic facies terræ virtute renovationis immutatur, dum sicca dudum mens, gratiâ veniente compluitur, et post ariditatem pristinam quasi productis herbis, scientiæ viriditate vestitur. Quæ conditoris

nostri gratia adhuc nobis altiùs commendatur, cùm subditur: *Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?* (*Job.* XXXVIII. 28.)

Cap. 27. *n.* 54. Ac si diceret, Nisi ego, qui siccam terram humani cordis guttis scientiæ gratuitò aspergo. De hac enim pluvia aliàs dicitur: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* (*Ps.* LXVII. 10.) Voluntariam quippè pluviam hæreditati suæ Dominus segregat, quia non eam nobis pro nostris meritis, sed pro suæ munere benignitatis præstat: Et idcircò hoc loco pater pluviæ dicitur, quia superna nobis prædicatio non de nostro merito, sed de ejus gratia generatur.

BEDA *in* 1. *Epist. Joan. cap.* 2. *Ipse vos docebit omnia.* (*Joan.* XIV. 26.) Quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit. Quia nisi intùs sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Nec tamen doctor cessare debet, quin quod valet faciat, juxta id quod Paulus ait, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* (1. *Cor.* III. 6.)

Cap. 5. Nemo enim sine divina cognitione ad vitam venire, nemo Deum cognoscere nisi ipso docente poterat; sicut et ipse dicit, *Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* (*Matth.* XI. 27.)

S. BERN. Abbas *in Cant. serm.* 32. *n.* 4. Sunt enim quædam verba Verbi sponsi ad nos, nostræ meditationes de ipso et ejus gloriâ, elegantiâ, potentiâ, majestate. Non solùm autem, sed et cùm avida mente versamus testimonia ejus et judicia oris ejus, et in lege ejus meditamur die ac nocte; sciamus pro certo adesse sponsum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati.

N. 5. Tu ergo cùm tibi aliqua talia volvi animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit: *Ego qui loquor justitiam.* (*Isai.* LXIII. 1.) Similllima enim sunt nostræ cogitata mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis: nec facile quis discernit, quid intùs pariat cor suum, quidve audiat, nisi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem, *quia de corde exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV. 19.); et illud: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (*Matth.* IX. 4.) et, *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* (*Joan.* VIII. 44.) Apostolus autem: *Non quòd sufficientes*, inquit, *simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis*, subaudis bonum, *sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) Cùm ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit: *Audiam*, ait, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* (*Ps.* LXXXIV. 9.) Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterùm *homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ*, et his similia, *de corde exeunt* (*Matth.* XV. 19.), nec audimus ea, sed dicimus.

N. 7. Sed sanè est ubi periculosè, immò damnabiliter erratur, atque ibi meritò nobis certa præfigitur regula, ne quod Dei est in nobis, demus nobis, putantes verbi visitationem nostram esse cogitationem. Ergo quantùm distat bonum à malo, tantùm ista duo à se; quoniam nec de verbo malum, nec de corde exiet bonum, nisi quod priùs fortè de verbo conceperit: quia *non potest bona arbor malos fructus facere, nec arbor mala fructus bonos.* (*Matth.* VII. 18.) At satis dictum esse credo, quid Dei, quid nostrum in nostro sit corde; nec superfluè, ut arbitror; sed ut sciant inimici gratiæ, absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse (2. *Cor.* III. 5.); Dei vocem, bonum quod cogitatur, non cordis prolem existere. Tu ergo si vocem ejus audis, non jam nescias undè veniat, aut quò vadat; sciens quia à Deo exit, et ad cor vadit. Vide autem quomodo verbum, quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, sed prosperetur et faciat omnia ad quæ misit illud, ut dicere possis et tu, quia *gratia Dei in me vacua non fuit.* (1. *Cor.* XV. 10.)

Ad Paginam 134. *lin.* 25.

(1) 2. COR. III. 5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.

ORAT. ECCLESIÆ. Deus à cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè et laudabiliter serviatur. *Et his similia.*

CONCIL. ARAUS. II. *ann.* 529. *cap.* 9. Divini est muneris, cùm et rectè cogitamus, et pedes nostros à falsitate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.

Cap. 20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo : nulla verò facit homo bona quæ non Deus præstat ut faciat homo.

S. AUGUST. *ad Vitalem Epist.* 217. *alias* 107. *n.* 3. *A Domino enim gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (*Ps.* XXXVI. 23.) : non dixit, et viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid hujusmodi, quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini jam volenti : ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, suâ homo voluntate præcedat, et hoc Dei donum præcedente suâ voluntate mereatur. Sed ideò dixit, *à Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet ;* ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est nisi fides recta ?) illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitùs ut velimus.

N. 6. Inaniter igitur et perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam et perfunctoriè potiùs quàm veraciter magnas cum exsultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit.

De dono Persever. cap. 13. *n.* 33. Nos ergo volumus, sed *Deus* in nobis *operatur et velle :* nos ergo operamur, sed Deus in nobis *operatur et operari pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Hoc nobis expedit et credere et dicere : hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio, et detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus : quod autem attinet ad pietatis viam et veram Dei cultum, non sumus *idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) *Non enim est in potestate nostra cor nostrum et nostræ cogitationes...* dicit Ambrosius.

S. PROSPER. *Carm. de ingratis lib.* 3.

..... Sufficientia nostra
Ex Christo est : si quid rectè sapimus volumusque,
Illi debemus.

S. AMBROS. *Expos. Evang. sec. Luc. lib.* 8. *n.* 31. Sequitur ut nemo in operibus glorietur, quia jure Domino debemus obsequium.

N. 32. Ergo agnosce esse te servum plurimis obsequiis defeneratum : non te præferas quia filius Dei diceris : agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Neque te jactes si benè servisti, quod facere debuisti.

De obitu Theodosii, n. 22. *In omnibus*, inquit, *gratias agite.* (1. *Thess.* V. 18.) Quando enim non habes quod Deo debeas ? aut quando sine Dei munere es, cui quotidie vivendi usus à Domino est ? *Quid enim habes, quod non accepisti ?* (1. *Cor.* IV. 7.) Ergo quia semper accipis, semper invoca : et quia quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse cognosce.

N. 23. Quasi bonus athleta quæsivit certamina, ut coronam inveniret ; quam tamen non suis viribus, sed Domini auxilio novit sibi esse donatam. Non enim potuisset vincere, nisi eum qui certantes adjuvat, invocasset.

N. 24. Miser homo congreditur, ut vincat ; et ipse in periculum ruit, nisi Domini nomen adfuerit, nisi cùm veretur, oraverit dicens : *ô Domine, libera animam meam.* (*Ps.* CXIV. 4.) Hinc illud Apostolicum : *video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in legem peccati, quod est in membris meis. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 23. *et seq.*)

N. 25. Ille vincit, qui gratiam Dei sperat, non qui de suâ virtute præsumit. Cur enim non præsumas gratias, cùm habeas præsulem certaminis misericordem : *Misericors enim et justus Dominus, et Deus noster miseretur.* (*Ps.* CXIV. 4.)

S. Bernard. Abbas *in Cant. cant. serm.* 13. *n.* 6. Si qua sanè in sanctis digna laude vel admiratione intueor, clarà luce veritatis discutiens, profectò reperio laudabilem sive mirabilem allum apparere, atque alium esse : et laudo Deum in sanctis suis, sive Eliseus, sive ille magnus Elias, mortuorum utique suscitatores. Ipsi quidem suo non imperio, sed ministerio foris exhibent nobis nova et insueta : Deus verò in ipsis manens ipse facit opera. Invisibilis et inaccessibilis in se, in suis spectabilis atque mirabilis est, et solus mirabilis, *qui facit mirabilia solus.* (*Ps.* LXXI. 18.) Nec laus calami, laudabilis est pictura sive scriptura ; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus. Tempus est ut et Propheta loquatur. *Nunquid gloriabitur* (inquit), *securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur ? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus qui utique lignum est* (*Isai.* X. 15.), sic contra Dominum omnis *qui gloriatur*, si non *in Domino glorietur.* (2. *Cor.* X. 17.) Si gloriandum est, Paulus me docuit undè, et in quo. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2. *Cor.* I. 12.) Securus glorior, si teste conscientià de gloria conditoris nihil usurpo ; securus planè, quia jam non contra Dominum, sed in Domino. Hæc nobis gloriatio non solùm non prohibetur, sed et suadetur, cùm dicitur : *Gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ à solo Deo est non vultis.* (*Joan.* V. 44.) Reverà gloriari in solo Deo, non nisi à solo Deo est.

Berengar. *Epist. ad quosdam Eremit. apud* Edm. Martenne, *Tom.* 1. *Thesauri Anecdot. novi Miscell. epistol. et diplomat. pag.* 193. Canis est invocatio gratiæ, canis latrans est intenta supplicatio, quæ dormire cor mundum vetat. Canis est fiducia in sola gratia. Hunc canem habebat Apostolus cùm dicebat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* (1. *Cor.* IV. 4.) Hunc autem laudabat Apostolus dicens : *orate sine intermissione.* (1. *Thess.* V. 17.) Hoc cane latrante, culpa fugiet. Non vos admoneo, ut de viribus vestris confidatis, sicut Julianus hæreticus Demetriadem virginem adhortatur. « Hæc sunt (inquit), legitima pugnæ fun- » damina, ut vires suas virgo cognoscat, et species illa in exhortando » exercitu plurimùm valet : quæ unumquemque militem de suis viribus » commonet. » Aliter sentio. Hæc Christianæ sunt pugnæ fundamina ut fragilitatem suam unusquisque cognoscat, et totus innitens gratiæ, nihil de suis viribus, nisi malum posse facere cognoscat. Hæc est columna luctantis, hæc unicum lapsi solamen, nihil in se audere, sed totum in gratia.

Pag. 194. Quòd salvantur animæ, gratiæ est ; quòd resalvantur, gratiæ est et laboris. Offert se gratia, sed vult ut accedamus. Juvat nos Deus, sed vult ut secum laboremus. *Dei*, inquit, Apostolus, *adjutores estis.* (1. *Cor.* III. 9.)

S. Thom. *Quæst.* 109. *art.* 1. *in corp.* Omnes motus tam corporales quàm spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus ; et ideò quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur à Deo ; quæ quidem motio est secundùm suæ providentiæ rationem, non secundùm necessitatem naturæ... Non solùm autem à Deo est omnis motio, sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut à primo actu. Sic igitur actio intellectûs et cujuscunque entis creati dependet à Deo, quantùm ad duo. Uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit : alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum... Ad cognitionem cujuscunque veri, homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum : non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus novâ illustratione superadditâ naturali illustrationi : sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem.

Ad 3. Semper indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcunque, in quantum ipse movet intellectum ad agendum ; actu enim intelligere aliquid, est cogitare.

Ad Paginam 134. *lin.* 31.

(K) S. Prosper, *Carm. de Ingratis lib.* 1.

Edite constanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, et in pœnam propriam jaculis superantis

Armatum arbitrium nunquam consurgere posse ;
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi :
Cui sua sit laqueus sapientia , morsque subactum
Detineat , nisi vera salus ex munere Christi
Adsit , et oppressam dignetur gratia mentem.
An vestrum sublimem animum pudet ista fateri ,
Ne sub tam multis morbis sit vilior æger ?
Cùm nihil ex omni majorum dote supersit ,
Quo medici mereatur opem , et mercede valescat.

S. Aug. *Retractat. lib.* 1. *cap.* 23. Ubi dicit (Apostolus) : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vii. 24. *et* 25.) , dixi hominem describi adhuc sub lege , nondum sub gratia constitutum , benè facere volentem , sed victum concupiscentiâ carnis malè facientem. A cujus concupiscentiæ dominatu non liberat , nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum dono Spiritûs sancti , per quem diffusa charitas in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias , ne consentiamus eis ad malè faciendum : sed potiùs bona faciamus. Undè quidem jam evertitur hæresis Pelagiana , quæ vult , non ex Deo nobis , sed ex nobis esse charitatem quâ benè ac piè vivimus.

Concil. Nic. II. Œcum. *ann.* 787. *act.* 1. *pag.* 675. *Tom.* 7. *edit. Labb.* Leo religiosissimus Rhodi Episcopus ait : *Si in lege peccati non fieret expressio, non opus esset gratiâ.*

Concil. Trident. *Sess.* 6. *cap.* 1. Cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent , facti immundi , et ut Apostolus inquit , *naturâ filii iræ*..... (*Ephes.* ii. 3.) usque adeò servi erant peccati , et sub potestate diaboli ac mortis , ut non modò gentes per vim naturæ , sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moïsi inde liberari , aut surgere possent , tametsi in eis liberum arbitrium minimè exstinctum esset , viribus licèt attenuatum et inclinatum.

Cap. 2. Quo factum est ut cœlestis Pater , Pater misericordiarum , et Deus totius consolationis , Christum Jesum , Filium suum , et ante legem , et legis tempore , multis , sanctis Patribus declaratum , ac promissum , cùm venit beata illa plenitudo temporis , ad homines miserit , ut Judæos , qui sub lege erant redimeret , et gentes quæ non sectabantur justitiam , justitiam apprehenderent , atque omnes adoptionem filiorum reciperent.

Goffrid. Vindoc. *Serm.* 5. *circa medium.* Nonne Deus ita nobis indulgere peccatum potuit , quòd nos peccati pœna minimè sequeretur ? Potuit planè ; sed noluit. Potuisset etiam in Paradiso (*supp.* facere) , quòd nec Diabolus instigaret hominem ad peccandum , nec homo peccaret , quia peccare non posset ; nec undè laudaretur à Deo , nec undè renumeraretur haberet.

Ad Paginam 134, *lin.* 35.

(L) Genes. iv. 7. Nonne si benè egeris , recipies : sin autem malè , statim in foribus peccatum aderit ? Sed sub te erit appetitus ejus , et tu dominaberis illius.

Deuter. xxx. 19. Testes invoco hodie cœlum et terram , quòd proposuerim vobis vitam et mortem , benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam.

Josue. xxiv. 15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis , optio vobis datur ; eligite hodiè quod placet.

Tob. xiii. 8. Convertimini itaque peccatores , et facite justitiam coram Deo.

Psal. xxxi. 9. Nolite fieri sicut equus et mulus , quibus non est intellectus.

lxxxix. 3. Convertimini filii hominum ; *et his similia.*

cxviii. 59. Converti pedes meos in testimonia tua ; *et his similia.*

Eccli. xv. 14. Deus ab initio constituit hominem , et reliquit illum in manu consilii sui. 15. Adjecit mandata sua et præcepta sua. 16. Si volueris mandata servare , conservabunt te , et in perpetuum fidem placitam facere. 17. Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris , porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita et mors , bonum et malum : quod placuerit ei , dabitur illi.

1. Cor. vii. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus , non habens neces-

sitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, benè facit.

Lib. 3. CONSTITUT. *quæ tribuuntur Apost. cap.* 22. *pag.* 400. *Tom.* 1. *Concil. edit. Labb.* Arbitrii potestatem à necessitate liberam hominibus dimisit (*Deus.*)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decret. de justificat. Can.* 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

Recogn. S. CLEMENT. *ad Jacob. Frat. Domin. lib.* 1. *pag.* 390. Sic cuncta præparata sunt, ut hominibus qui habitarent in ea (terra), esset facultas his omnibus, pro arbitrio uti, id est, sive ad bona velint, sive etiam ad mala.

Lib. 3. *pag.* 411. Præcipit, non ut eum quæreret quem sciebat, sed voluntatem ejus justitiamque perquireret; sciens quia in hominum arbitrio positum est, ut hoc quærentes inveniant; et faciant atque observent ea, de quibus judicandi sunt..... *Tum Petrus*, Ego, *inquit*, suadeo; primò quærendum esse, num in potestate nostra sit scire, undè judicandi simus. *Et Simon:* Non ita, *inquit*, sed de Deo: Undè et omnes, qui præstò sunt, audire cupiunt. *Et Petrus:* Constat ergo apud te, quia est aliquid in arbitrii potestate facere? hoc tantùm si est, et requiramus, ut dicis, de Deo: *Simon ad hæc respondit:* Nequaquam. *Et Petrus:* Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est, nos quærere aliquid de Deo: cùm in potestate non sit quærentibus invenire. Undè benè diximus, hoc primò quærendum esse, si est aliquid in arbitrii potestate. *Tum Simon:* non possum, *inquit*, ne hoc ipsum quidem intelligere, quod dicis, num sit aliquid in arbitrii potestate. *At Petrus videns, quòd ad partem se contentiosiorem declinaret, superari metuens, ut quasi in incertum confunderet omnia, respondet:* Quomodo ergo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid: cùm hoc ipse scias? *Et Simon:* Nescio, *inquit*, si vel hoc ipsum sciam, unusquisque enim, sicut ei fato decernitur vel sapit aliquid, vel intelligit, vel palitur. *Tum Petrus:* videte, *inquit*, fratres: in quæ absurda deciderit Simon, qui ante meum adventum docebat, quòd homines in potestate haberent, et sapere et facere, quæ vellent: Nunc in angustum redactus necessitate verborum, negat esse in hominis potestate, aut sciendi aliquid, aut agendi: et tamen audet se doctorem profiteri.... Sed dic: quomodo ergo Deus judicat secundùm veritatem unumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia: frustrà erit studium sectandi meliora: sed et judices seculi frustrà legibus præsunt, et puniunt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent: vana erunt et jura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt: miseri erunt et hi, qui servant cum labore justitiam: beati verò illi qui in deliciis positi, cum luxuria et scelere viventes tyrannidem tenent: secundùm hæc ergo, nec justitia erit, nec bonitas: nec ulla virtus: et ut vis, nec Deus. Sed hæc, ô Simon, cur dixeris, scio: volens profectò effugere quæstiones, ne possis manifestiùs confutari: ideò ais non esse in potestate hominis sentire aliquid, aut invenire. Si enim verè hoc ita sensisses, non utique etiam ante adventum meum apud populum te profitereris doctorem. Ego igitur dico, sui esse arbitrii hominem. *Et Simon:* Quid est sui arbitrii? dic nobis. *Petrus ad hæc:* Si nihil potest disci, cur et audire vis? *Et Simon:* Nihil habes ad hoc, quod respondeas? *Tum Petrus:* Dicam non à te compulsus, sed ab auditoribus rogatus. Arbitrii potestas est sensus animæ, habens virtutem, quâ possit, ad quos velit actus inclinari..... *Tum Simon collaudans Petrum super his, quæ dixerat:* Verè, *inquit*, magnificè, et incomparabiliter exposuisti, benè enim dicenti tibi debeo testimonium dare: hoc tamen, quod te interrogo nunc si exposueris mihi, in cæteris omnibus obtemperabo tibi: quod ergo volo discere, hoc est: si quod Deus vult esse, est? et si quod non vult esse, non est? de hoc responde mihi. *Et Petrus...* Omnis motus in duas partes dividitur: ut quædam necessitate, quædam voluntate moveantur: et ea quidem, quæ necessitas movet, semper in motu sunt: quæ verò voluntas, non semper: ut verbi gratiâ dicam: solis motus necessitate ducitur, ut statutum com-

pleat cursum : omnisque status cœli, et ministeria necessariis motibus constant. Homo verò actuum suorum motus voluntarios gerit. Et ideò alia sunt, quæ ob hoc creata sunt, ut in ministeriis suis necessitate deserviant, nec facere aliud quippiam possint, nisi quod eis statutum est. Cum autem expleverint ministerium, creator omnium, qui ita constituit ea, prout voluerit, conservat ea. Alia verò sunt, ubi potestas est voluntatis : et in quibus agendi, quæ velint, liberum habetur arbitrium. Hæc, ut dixi, non semper in eo ordine, quo creata sunt, permanent : sed prout voluntas duxerit, et animi judicium declinaverit, sive bonis, sive malis studebunt, et ideò benè agentibus munera posuit, malè agentibus pœnas. Ais ergo tu, Si Deus vult aliquid esse, et est : et si non vult, non est : scilicet, ut si responderem, quia quod vult, et est : quod autem non vult, non est, diceres, Ergo ipse vult esse mala, quæ in hoc mundo geruntur : quia omne quod vult, hoc et est : quod autem non vult, non est. Si verò respondissem, non esse hoc, ut quod vult Deus sit : et quod non vult, non sit, tum retorto sermone diceres, Ergo impossibilis est Deus, si quod vult, non potest : et existeres petulantior, ut qui nihil rectum dixeris, vicissè te crederes. Et ideò ignoras Simon et valdè ignoras, quomodo in singulis quibusque voluntas sit Dei : quædam enim voluit ut diximus, ita esse, ut aliud esse non possent, quàm id, quod ab ipso instituta sunt : et his neque præmia, neque supplicia statuit. Ea verò, quæ ita esse voluit, ut in sua potestate habeant agere quod velint : his pro actibus ac voluntatibus suis statuit, ut aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Cùm ergo in duas, ut edocui, partes dividantur cuncta, quæ moventur : secundùm eam, quam suprà diximus, distinctionem, omne quod vult Deus, est : quod autem non vult, non est.

S. JUSTIN. *Apol.* 2. Sed ne quis iis quæ à me antè commemorata sunt, adductus, fati necessitate fieri omnia quæ fiant putet nos discere, quòd ea quæ antè statuta sunt, prædicantur : hoc etiam explicamus, nos supplicia et pœnas, atque præmia pro dignitate actionum redditum iri, à Prophetis didicisse : idque verè enuntiamus, quandoquidem ni ita esset fatoque fierent omnia, ne ei quidem quod in nobis situm est, loci aliquid relinqueretur. Si enim in fatis est, hunc esse bonum, malumque illum : neque ille probandus esset, neque hic reprehendendus. Ac nisi libero arbitrio atque judicio genus hominum et res turpes fugere potest, et pulchras ac bonas sequi, extra causam culpamque est eorum quæ quoquo modo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio liberaque voluntate et rectè facere, et peccare, docemus hoc modo, hominem ipsum contraria exercere ac facere cernimus. Quòd si fato fieret, ut esset aut improbus, aut bonus, profectò contraria in eum cadere nunquam possent, nec sæpissimè mutaretur, quin ne alii quidem probi essent, alii mali ; alioqui fatum causam malorum esse, contrariaque sibi facere sentimus : aut illud quod ante dictum est, videri verum esse, nihil esse virtutem nec vitium, sed opinione solùm bona et mala judicari ; quæ ut vera ratio docet, maxima est impietas et injustitia. Verùm fatum hoc immutabile esse dicimus, iis qui præclaras bonasque res eligunt, ac sibi proponunt, digna præmia, itemque iis qui contraria, digna præmia constituens. Non enim ut alia, veluti arbores et quadrupedia, quæ nihil voluntate et judicio facere possunt, sic hominem Deus condidit. Neque enim præmio ac laude dignus esset, si per se et à se bonum non deligeret, sed bonus factus esset ; nec si malus esset, jure supplicio afficeretur, cùm non à se talis esset, sed aliud nihil esse posset, nisi quod factus fuisset. Hoc autem propheticus spiritus per Mosem docuit, quòd ei homini qui primus conditus et fictus est, hæc à Deo dicta esse : dicit, *en coram te bonum et malum, bonum elige.*

ORIGEN. *in Ezechiel. Homil.* 1. Deus quippè mortem non fecit, nec malitiam operatus est. Liberum arbitrium et homini, et Angelo ad universa permisit. Hic jam intelligendum est, quomodo per arbitrii libertatem, alii corruerint in malitiæ profundum. Tu verò homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum ? Quare ægrè fers niti, laborare, contendere, et per bona opera tuipsum causam tuæ fieri salutis ? An magis te delectabit dormientem, et in otio constitutum æternâ prosperitate requiescere ? *Pater meus* (inquit Dominus Jesus Christus) *usque modò operatur, et ego operor* (*Joan.* v. 17.), et tibi displicet operari qui ad opera natus es ? Non

vis opus tuum fieri justitiam, sapientiam, castitatem? Non vis tuum opus esse fortitudinem, aliasque virtutes? Igitur in captivitatem ducuntur, qui propter peccata sua servitutis meruêre supplicia.

Hic nimium concedit libero arbitrio; hincque Pelagianismi parens fortè dictus est. At ex his verbis patet sententiam quæ gratiæ divinæ necessitatem ad hoc ut bonum operemur adstruit, jam apud Græcos invaluisse, eamque haud displicuisse Origeni probant alia quæ attulimus loca.

Lib. 1. *de Princip. seu Periarchon in proœmio. pag.* 420. Est illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis: esse quoque ei certamen adversùs diabolum et angelos ejus, contrariasque virtutes, ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendant, nos verò si rectè consultèque vivamus ab hujusmodi nos exuere conemur. Undè et consequens est intelligere, non nos necessitati esse subjectos, ut omni modo etiam si nolimus vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, insligare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, et aliæ juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè: quod fieri arbitrantur qui stellarum cursum et motûs causam dicunt humanorum esse gestorum, non eorum quæ extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate.

ORIG. *seu* RUFFINUS *in præfat. lib.* 3. *de Principiis seu Periarchon. pag.* 450. Rationabile verò animal cùm habeat in se et hos naturales motus, habet tamen ampliùs cæteris animalibus etiam rationis vim, quâ judicare et discernere has imaginationes possit, et alias reprobare et abjicere, alias verò probare atque suscipere, cujus rationis judicio dirigi et gubernari hominis motus ad vitam probabilem possint. Undè consequens est, ut quoniam natura rationis hujus quæ est in homine, habet in se vim dignoscendi boni vel mali, idque cùm discernit, inest ei facultas etiam eligendi quod probaverit: in eligendo quidem quod bonum est, laudabilis: in sequendo verò quod turpe vel malum est, jure culpabilis judicetur.

Comm. in Epist. ad Romanos cap. 6. *lib.* 6. *pag.* 354. Manere quidem naturæ rationabili semper liberum arbitrium non negamus, sed tantam esse vim crucis Christi, et mortis hujus quam in seculorum fine suscepit, asserimus, ut ad sanitatem et remedium non solùm præsentis et futuri, sed etiam præteritorum seculorum, et non solùm humano huic nostro ordini, sed etiam cœlestibus virtutibusque sufficiat. Secundùm sententiam namque ipsius Pauli Apostoli *Christus pacificavit per sanguinem crucis suæ non solùm quæ in terra sunt, sed et quæ in cœlis.* (*Coloss.* I. 20.) Quid autem sit quod in futuris seculis teneat arbitrii libertatem ne rursùm corruat in peccatum, brevi nos sermone Apostolus docet, dicens: *Charitas nunquam cadit.* (1. *Cor.* XIII. 8.)

Pag. 356. Unusquisque in manu sua habet et in arbitrii potestate, ut aut peccati servus sit, aut justitiæ: ad quamcunque enim potestatem inclinaverit obedientiæ, et cuicunque parere voluerit, hæc sibi eum vindicat servum. In quo (ut dixi) absque ulla cunctatione in nobis esse ostendit arbitrii libertatem. In nobis namque est exhibere obedientiam nostram vel justitiæ, vel peccato.

S. CLEMENS ALEXANDR. *in Electis n.* 22. Quòd anima ex se moveatur, Dei gratiâ, quòd illa ex se habet nempe alacritatem ejus ad salutem symbolum exposcit. Vult enim proprium animæ esse, quod ei bonum Dominus tribuit. Nec enim sensu caret, ut tanquam corpus feratur. Igitur habere, ejus est qui acceperit: accepisse verò, ejus qui ut vellet ductus appetitu sit: tenere autem quod accepit, ejus qui tenere seriò cogitaverit ac possit. Idcircò Deus deligendi partes animæ tribuit, ut ipse quidem admoneat quod officii sit, illa liberè volens atque eligens capiat atque teneat.

S. IRENÆUS *Lib.* 4. *adv. Hæres. cap.* 9. * *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, palam habens in manu ejus ad emundandam aream suam, et fructum congregabit in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* (*Luc.* III. 16. *et* 17.) Non ergo alius est, qui frumentum fecit, et alius qui paleas: sed unus et idem, et judicans ea, id est separans. Sed frumentum quidem et paleæ, et animalia irrationabilia existentia, naturaliter talia facta sunt. Homo verò rationabilis, et secundùm hoc similis Deo, liber

in arbitrio factus et suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter et justè condemnabitur, quoniam rationabilis factus amisit veram rationem, et irrationabiliter vivens, adversatus est justitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, et omnibus serviens voluptatibus. Quemadmodum Propheta ait: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* (*Psal.* XLVIII. 13. *et* 21.)

Cap. 29. *ad calcem.* Si autem quidam propter inobedientes Israëlitas et perditos, infirmum dicunt legis doctorem, invenient in ea vocatione quæ est secundùm nos, multos quidem vocatos, paucos verò electos: et intrinsecùs lupos, foris verò indutos pelles ovium: et id quod erat semper liberum et suæ potestatis in homine, semper servasse Deum, et suam exhortationem: ut justè damnentur, qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt: et qui obedierunt et crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.

Cap. 31. Non solùm factorum reddemus rationem Deo, ut servi; sed etiam sermonum et cogitationum, tanquam qui et libertatis potestatem acceperimus: in qua magis probatur homo, si revereatur et timeat et diligat Deum.

S. EPHREM. *Lib. de vita spirit. n.* 93. Quis ita perfidus est et iniquus; ut præceptori ruinæ suæ causam adscribat, ac non potiùs improbæ voluntati ipsius discipuli? Libero enim arbitrio Deus hominem donavit, undè et præmia et supplicia ei sunt proposita: ac legitimè quidem hic certantibus, honor atque corona; transgressoribus autem et contemptoribus, supplicia, atque tormenta.

S. NILUS *Epist. ad Eusignium Satrapam.* 324. Mendaces planè filii hominum in stateris ad injustè agendum, injuriam enim sibi primùm ipsis, deindè et proximis inferunt, quippè qui sibi auctores ipsis noxiorum consiliorum sunt, quibus ad malè agendum applicantur, et perniciosum aliis similiter agendi exemplum præbent. Non licebit tibi dicere in die judicii: Nesciebam bonum. Excusationem hanc adimit interior illa tuæ conscientiæ trutina, quæ boni malique differentiam abundè tibi monstrat. Nam gravitates quidem corporum trutinæ momentis examinamus, eligibilium autem in vita qualitates varias arbitrio sui compotis liberèque agentis discernimus animi, quod quidem arbitrium hoc quem tractamus Scripturæ loco, statera dicitur; quod in æquilibrio positum in utramvis indifferenter partem immineat inclinare sese pleno sui dominio quò libuerit valens.

EUSEB. CÆSARIENS. *Comment. in Psal.* LXXVII. *pag.* 467. Omnium eorum obliti quæ patribus suis ostensa sunt, arma tulerunt contra Deum, cùm nollent in lege ejus ambulare: etiamsi penès ipsos esset ut possent et vellent. Illi verò etsi hac potestate instructi, recto proposito uti noluerunt.

Præparat. Evangel. lib. 6. *cap.* 6. Qui certo quodam fato hoc illudve futurum sibi persuaserit, sive aliquid ipsi quoque laboris et industriæ contulerimus, sive non; cùm tu facilioribus mollioribusque delectis, non dissolutè ac negligenter victurum putas, quasi necessariò futurum illud sit, quod agendum fuerit... Qui ergo semel in eam inductus opinionem fuerit, nihil istorum sui se voluntate persequi, externæ necessitati tribuenda esse omnia: qui fieri poterit, ut sese, ab iis abstinendum monenti ac præcipienti, dicto audientem præbeat? Refert utique monitori suo, quemadmodum nonnullis qui superiori memoriâ vixere contigit, Ad quid hæc tu mihi monita, bone vir? Nec enim integrum mihi est hanc mentem consiliumque mutare, quando jam fatum occupavit. Quid me porrò juvet contendere, ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquatur, nisi optare fatum quoque mihi sit? Optabo verò si fatum erit, ut nihil præcipias ipsamet fati necessitate adactus. Cur ergo frustrà molestus ipse tibi es? Urget nimirùm eadem te necessitas, atque ut ista mihi suadeas omninò cogit. At quorsum hac in re tantum studii? cassa quippè et inutilis exhortatio tua est. Nam in rem ipsemet incumbam ultrò, si fatum erit: sin autem, inanis est utriusque contentio. Quidni autem, dissoluto potiùs animo, qui hac semel imbutus opinione sit, hunc in modum loquatur ipse secum: Mihi verò certum est labori parcere, nullamque mihi frustrà molestiam facessere, necessariò enim quidquid

in fatis erit eveniet. At verò qui rei cujuscunque vel studium persequitur, vel præcepta tradit; qui scipsum aut alium quemlibet adhortatur, uti vel morem gerat, vel jussa negligat; peccatum aut admittat aut fugiat; vel arguat improbos, vel probos laude afficiat: Is, non palam et apertè libertatis arbitriique nostri facultatem ac potestatem relinquit, fati nomen ei solum ac vocem adjungit? Perindè omninò ut si quis illam boni naturam, quà hoc statu rerum optimè animantes reguntur, mali nomine appellaret. Sic enim cùm planè sentiamus, vel ad erudiendos liberos, vel ad plagas improbis mancipiis infligendas, vel ad quidlibet sive amplectendum, sive rejiciendum, non alterius nos causæ necessitate cogi, sed prorsùs voluntario nostræ libertatis impetu ad hæc similiave consilia ferri: errare is meritò fallique censeatur, qui hæc omnia fato quodam fieri dixerit: quo non contentionem modò studiumque nostrum, sed alios etiam vel cohortandi vel commonendi vim ac voluntatem infringat, quà tamen ratione potissimùm res hominum videmus bene feliciterque succedere. Jam ipsas quoque leges ad hominum utilitatem et commodum institutas hæc opinio labefactat. Nam cui tu bono, aut imperes iis quidpiam, aut vetes, qui jam aliâ constricti necessitate teneantur? Imò nec hominum scelera punire oporteat, quippè qui propter eamdem causam peccarent nihil: nec eos contrà, qui præclarè se gesserint, honoribus præmiisque donare: quod utrumque tamen cùm ad improbitatem coercendam, tum ad excitandum virtutis studium, momenti semper ac virium plurimum habuit. Adde religionem ac pietatem in Deum eàdem sententiâ ruere, si nec Deus ipse, nec vaticiniorum istorum auctores, nobis hac semel fati necessitate obligatis, precibus licet ac religioni operam demus, præsidii quidquam aut emolumenti conferre possint. Nos porrò more brutorum animantium, hùc illucque trahi, externâ vi, quibusdam quasi funibus circumactos ut alia necessariò facere velimus, alia contra sensum mentemque nostram eligamus, cui non indignissimum ac turpissimum jure videatur? Maximè cùm nos ad alia sponte quadam impetuque nostro ferri sentiamus: alia rursùs cùm negligimus, nostri tum ipsi quoque domini compotesque maneamus; adeoque in causa simus, quamobrem feliciter quid, aut secùs eveniat, cùm vis aliundè nulla nobis afferatur, atque hæc uti optamus ultrò, sic illa vicissim eàdem planè libertate, aut defugiamus omninò, aut ex parte detrectemus. Et verò tam certa nobis exploratàque est hæc arbitrii nostri ratio, ut perinde ac dum aut dolemus ipsi, aut lætamur, aut videmus quidpiam, aut audimus, id à nobis reipsà, non ratiocinatione ullâ percipi sentimus, ita nos sponte consilioque nostro duci, ac delectis nonnullis, ab aliis abhorrere sentiamus. Prorsùs, ut illam arbitrii potestatem, penès naturam hanc nostram ratione et intelligentiâ præditam esse, fateri nemo debeat... Cùm homo non res una quædam sit atque simplex, aut unicâ naturâ constans, sed ex duarum ac diversarum, corporis nimirùm et animi, societate conflata: et corpus quidem animo, tanquam instrumentum, consequentiâ quadam alligatum: spiritalis verò intelligensque natura, vi principis illius rationis existat: cumque alterum ratione careat, altera prædita sit; alterum corruptionem patiatur, altera minimè; postremò alterum mortale sit, altera immortalis: ac proindè corpus illud brutis animantibus affine ac geminum habeamus, animum contrà cum intelligente immortalique naturâ quadam veluti cognatione conjunctum; mirum profectò non est, si geminum hocce germen, utpotè duplicis naturæ communione temperatum, duplici quoque vitam, eaque diversâ ratione conformet; ut modò corporis naturæ serviat, modò libertatem partis divinioris propriam complectatur; adeòque simul in servitute, simul in libertate versetur, hanc à Deo, quas ob causas ipse novit, corporis animique conjunctionem sortitum..... Idem enim ille Deus, qui totius universi, eorum quoque simul, quæ seu libertatis nostræ sunt, seu naturæ, seu casûs, auctor omnium molitorque celebratur. Nam illud divinæ Scripturæ de nulla re non accipiendum est, *Ipse dixit, et facta sunt: mandavit, et creata sunt.* (*Ps.* CXLVIII. 5.) Itaque, si quando nobis certa quædam expetentibus, alia præter voluntatem eveniant, admonere tum ipsi nos debemus, illud nimirùm esse, duplicis hujus nostræ diversæque naturæ, corporis, inquam, animique commer-

cium : quo fiat, uti et animus, qui naturâ spiritalis ac ratione præditus est, infantili adhuc per naturam corpore inclusus, præter naturam ipse suam, in ratione carentium numero censeatur : et mens, cujus propria prudentia est, aliquo persæpe casu deliret, dum eam graviores præcipuè corporis morbi sua de sede movent... Quin etiam plagæ doloresque corporis, membrorumque debilitationes, quæ præter naturam contingunt, casu ipso plerumque animi libertatem expugnant, dum is corporis societate victus, molestiis quoque doloribusque cedit : prorsùs ut certum id exploratumque habeatur, liberam illam animi facultatem, partim naturâ corporis, partim iis quæ extrinsecùs accidunt, quodam quasi vinculo, quod evitari nequeat, impeditam et constrictam teneri. Quanquam ejusmodi profectò sæpe est arbitrii nostri virtus atque robur, ut in plerisque rebus, et naturæ corporis, et occurrentibus aliundè casibus opponere sese ac reluctari audeat. Quippè hominem enim ad rerum venerearum appetentiam corporis natura trahit : animus verò temperantiæ ductum et consilium secutus, injecto cupiditati freno, corporis naturam impetumque frangit. Eadem fame, sili, frigore aut cæteris id genus incommodis dum urget, ac premit, ad ea quæ naturæ conveniant exquirenda remedia, satisque ventri faciendum, hominem excitat. Voluntas contrà severioribus adducta rationibus et religiosis quibusdam cohortationibus spontè susceptis, nativam illam corporis cupiditatem plurium etiam dierum inediâ tolerantiaque vincit, ad eam subeundam vi ratiocinationis, ac suopte instinctu consilioque permota. Similiter naturâ suâ corpus omni voluptatum genere, ac lævi mollique corporum commotione delectatur. At voluntas studio virtutis impulsa difficile atque asperum vitæ genus arripit... Cæterùm cunctis omninò rebus, seu consilio fiant impulsuque nostro, seu fortuitò aliunde contingant, seu denique naturalem habeant ortùs sui rationem, summa una præpotensque Dei providentia moderatur, quæ cùm omnia permeet, tum plurima divinioribus quibusdam rationibus, captumque nostram fugientibus administrat : cumque suis veluti habenis obsecundans hoc universum ac flexibile habeat, tum res etiam plerasque naturales ad varias temporum occasiones fingit ac mutat, itaque potestati arbitrioque nostro subditas auxilio promovet suo, ut iis quæ extrinsecùs eveniunt suum quoque locum et consentaneum ordinem attribuat... Quin etiam fontem jam illum improbitatis noverimus, à plerisque omnibus ignoratum, qui cùm nec in corporum, nec in spiritalium substantiarum natura ; multò minùs in iis quæ extrinsecùs accidunt positus sit ; reliquum est, ut in libero tantùm animi sensu motuque reperiatur : nec tamen, dum naturam secutus, rectam insistit viam, sed tum demùm, cùm à regio deflectens itinere, suopte arbitratu, uti juris ille sui suæque potestatis est, in alienam à natura semitam decerrat. Enimverò, cùm eximium hoc à Deo et singulare munus acceperit, ut libertatem ac summum in seipsum imperium obtineret : motuum quidem suorum rationes habet suo ex arbitrio judicioque pendentes : sed tamen divina Lex cum eodem, naturali quadam societate, lampadis instar facisque conjuncta, inclamat subindè ac monet interiùs uti regiâ incedat viâ, nec ad sinistram aut dexteram ullatenùs declinet, viam hanc regiam, congruentem et consentaneam rectæ rationi viam esse docens. Quippè naturalem hancce legem, quâ suis in actionibus uteretur, animæ cuilibet tanquam auxiliatricem, universi molitor impressit : atque ita, quemadmodum hujus vi legis, rectam ipsi viam commonstravit, sic plenâ illâ, quam eidem concessit, integraque libertate perfecit, uti rerum meliorum delectus non laude tantùm et approbatione, sed amplioribus etiam, ubi res præclarè cessisset, præmiis dignus esset ; quod citra vim ullam, pro arbitratu consilioque suo rectè agere statuisset, cùm tamen contrarium optare potuisset : contraque deteriorum electioni vituperatio suppliciumque deberetur, quod in eam suopte nutu spreta naturæ lege ferretur, ac sese perperam abusa, nullâ extrinsecùs necessitate cogente, sed libero planè sensu atque judicio, improbitatis ipsa caput fontemque aperiret. Tota ergo culpa deligentis est, nulla Dei. Neque enim pravam Deus, aut naturam, aut animi substantiam procreavit. Nam bonus ipse cùm sit, ullius eum rei, nisi bonæ quoque fuerit, auctorem esse nefas est. Bonum id omne porrò est, quidquid à natura est : cuilibet autem

animo ratione prædito libertatis et arbitrii bonum à natura inest, nec alium ad finem, quàm ad boni electionem inditum. Neque verò prava cùm sequitur, naturæ assignandum id est, cùm ipsi pravum non à naturâ, sed præter naturam contingat, utpotè quod voluntatis opus sit, non naturæ. Cui enim optandi boni vis et facultas insit, is si minimè optaverit, si repudiatis sponte melioribus, deteriora sectatus fuerit, quem ipse tandem reliquum habeat effugiendi locum, qui et intestinum sibi morbum crearit, et innatam sibi legem, perinde ac servatorem quemdam medicumque neglexerit.

S. Basil. *Comment. in Isaiam Proph. pag.* 851. *Et si volueritis et exaudieritis me, bona terræ comedetis : si autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius vos devorabit.* (*Isai.* I. 19. *et* 20.) Hoc maximè loco velut ob oculos exhibet libertatem arbitrii humanæ naturæ indultam... Res igitur planè digna promissione Dei perfruitio illa est suavissimorum fructuum cordis : fructus autem cordis ipsa est jucundissima obblectatio quæ versatur in contemplatione divinæ pulchritudinis. Et quidem fructus ex satione excoluntur per Spiritum sanctum, demessi in vitam æternam, quorum manipulos qui colligit in exsultatione, se oblectat in Domino, ab eodem accipiens suas petitiones. Atqui priùs oportet quidem, ut velis, et tunc exaudias, ut quod in nostra situm est potestate, nullis viribus à nobis extorqueri queat. E diverso, *si nolueritis neque exaudieritis me.* Ex eo quòd noluerunt consecutum, quia nec exaudierunt. Ad eumdem modum beatitudo omnis et quæ in supplicio, quæve inter molestias traducitur vita, utrumque à nostra pendet voluntate.

Adversùs Eunomium lib. 4. *pag.* 102. Si quod est sui arbitrii, melius est quàm quod est sub arbitrio alieno : homo autem sui arbitrii est, filius verò Dei sub arbitrio Patris, melior est homo Filio : quod est inconveniens. Quòd si quis est sub alieno arbitrio, liberos facere non potest : quod enim ipse non habet ut eligat, aliis dare non potest : Salvator qui nos liberi arbitrii fecit, non erit sub libero arbitrio alicujus... Si nihil Salvator à seipso facere poterat, sed imperante Patre, nec bonus est nec malus. Nullius enim eorum quæ facta sunt, causa est : et quomodo absurdum non est, cùm homines sint bonorum et malorum liberi factores, Filium Dei nullius rei liberum esse factorem.

Homil. 9. Quòd Deus non est auctor mali. *pag.* 428. *Edit. Paris. ann.* 1618. *in fol.* Corpus itaque Deus fecit, morbum minimè fecit : et animam similiter Deus fecit, non autem peccatum. Vitio autem anima contaminata est, degenerans ab eo quod ex natura facta est. Quod autem erat illi peculiare bonum ? Quòd Deum habebat assidue conjunctum, illique per charitatem coadunata erat : quâ excidens, variis et multimodis se malis contaminavit. Undè autem omninò mali capax est ? Quoniam libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conveniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, et vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, propterea quòd ad imaginem ejus creata est, bonum quidem intelligit, et jucunditatem illius novit, potestatemque habet ac facultatem in boni contemplatione et spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conservandi : habet autem et à bono deflectendi quandoque facultatem. Hoc autem ei contingit cùm beatæ oblectationis satietate affecta, et veluti veterno quodam gravata, ac è statu superiore delapsa, turpibus se carnis libidinibus immiscet... Sed cur in structura, inquis, non habuimus, ut peccare non possemus, ita ut ne volentibus quidem contingeret ut peccaremus ? Quoniam, inquam, et tu servos non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas, sed cùm sponte omnia quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo cum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte suâ virtuteque illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex necessitate. Voluntas autem ab illis pendet quæ in nobis sunt sita. Quod verò in nobis situm est, voluntarium et spontaneum est. Qui ergo factorem reprehendit, quòd non tales nos naturâ fecit, qui peccare nequeamus, nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem eâ quæ rationis est particeps esse potiorem : et illa quæ non moventur, nec mente ducuntur, iis quæ eligunt, judicant, conferunt, omninò præstare.

S. Greg. Nyssen. *contra Eunomium*, *Orat.* 3. *pag.* 111. Quod enim mu-

tabili constat essentiâ, cùm in utrumque per libertatem sui arbitrii moveatur, vim naturæ et potestatem habet electionis, sive propositi momentum concomitantem. Ita ut illud fiat ad quod electio ipsum deduxerit.

Catechet. Orat. cap. 31. Dicunt enim Deum posse, si velit, eos etiam qui resistunt, necessariò compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Ubi autem est virtus, ubi est laus eorum qui se rectè gerunt? Est enim solùm inanimorum, aut eorum quæ sunt expertia rationis, alienâ voluntate ad id quod videtur adduci. Rationis autem particeps, et intelligens natura, si liberum deposuerit arbitrium, simul etiam perdit gratiam intelligentiæ. Ad quid enim suâ utetur mente ac cogitatione, si potestas ejus eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? Si manet autem inefficax et nullius usûs liberum animi institutum et electio, necessariò etiam abolita est virtus, impeditâ immortalitate liberi arbitrii. Si non sit autem virtus, honore privata est vita, et fato procedit ratio, ablata est laus eorum qui se rectè gerunt, peccare cuivis impunè licet, vitæ instituendæ discrimen nullum superest. Quis enim, ut est rationi consentaneum, amplius vel intemperantem reprehenderit, vel temperantem laudaverit, cùm quilibet in promptu hanc habeat responsionem, quòd nihil eorum quæ nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate: majori autem potentiâ humana trahantur instituta et proposita, ad id quod lubet ei qui dominatum obtinet? In Dei ergo bonitatem culpa non est conferenda, quòd non in omnibus fuerit fides, sed in effectionem eorum, qui prædicationem verbi audiunt.

Orat. de Mortuis pag. 1066. Sed posteaquàm à vitæ nostræ inimico dolis deceptus ad bestiarum rationique contrariam vitam amplectendam voluntate suâ propensior evasit, inconsideratiùs fortasse rem expendentibus videretur utile, ut à malo discederemus inviti, coactique ad bonum reverteremur. At humanæ naturæ effectori inutile visum est atque iniquum, ut ob eam dispositionem natura maximi boni jacturam faceret: Nam cùm Deo similis, beatusque ea re esset homo, quòd liberâ præditus erat voluntate (juris enim esse sui, et nullius subjectum imperio, divinæ est beatitudinis proprium) si necessitate illum et vi ad aliquid impulisset, eâ spoliasset ipsum dignitate. Qui enim sponte motuque voluntario naturam suam ad aliquid eorum, quæ non conveniunt, converterunt, si per vim ab iis, quæ sibi ipsi delegerunt, desistere cogantur, bonum illis adimitur, quod habebant priùs: eaque res est privatio divini honoris. Liberum enim voluntatis arbitrium est honor divino æqualis. Quamobrem ut simul et humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, et ipsum auferretur malum, hanc divina sapientia rationem excogitavit, ut in iis hominem esse sineret, quæ sibi ipse elegisset, quo gustatis malis, quæ concupiverat, experiendoque discens, quæ quibus commutasset, eâ cupiditate rursùm inceuderetur, ut vitiorum perturbationumque, quæ rationi inimicæ sunt, onere deposito, et vel in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem.

S. Cyrill. Hierosol. *de decem dogm. Catech.* 2. *pag.* 480. *Tom.* 4. *Biblioth. PP. Lugd.* Gravis est res peccatum, et morbus animæ acerbissimus iniquitas, quæ et nervos illius omnes præcidit, et æterno igni obnoxiam facit: Malum liberi arbitrii germenque voluntarium. Nam quòd voluntariè peccemus, dicit quodam in loco apertè Prophela: " *Ego plantavi vineam fructiferam, totam veram; quomodo conversa es in amaritudinem uti vinea aliena* (*Jerem.* II. 21.)? Plantatio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque ideò plantator quidem in culpa non est; vinea autem comburetur, quoniam in bonum plantata est, et in malum fructificavit. *Fecerat enim Deus hominem rectum*, ut inquit Ecclesiastes, *sed ipse quæsivit quæstiones multas.* (*Eccle.* VII. 30.) Et Apostolus dicit: *Ipsius enim factura sumus, creati in bonis operibus, quæ præparavit Deus, ut ambulemus in illis.* (*Eph.* II. 10.) Creator itaque cùm sit bonus, bonos creavit: Creatura verò voluntate propriâ in amaritudinem conversa est.

S. Epiphan. *Adversùs Hæreses lib.* 1. *Hæres.* 16. *quæ est Pharisæorum, n.* 3. Est illud verò extremæ cujusdam imperitiæ, ne dicam amentiæ, cùm Resurrectionem mortuorum esse fateare, ac justissimum de cujusque factis judicium constitutum, Fatum nihilominùs esse ullum asserere.

Quî enim duo ista convenire possunt, Judicium, inquam, atque Fatum? Horum enim alterum necesse est: vel si ulla sit genitalis necessitas, nullum esse Judicium: quòd qui committit aliquid, non id suâ sponte facit, sed fatorum vi ac tyrannide compulsus; vel si Judicium est ullum, nec frustrà in comminationibus objici solet, atque et leges aliquæ sunt, et flagitiosis hominibus scelerum pœnæ constitutæ; si denique justa à Deo Lex tradita, et illius Judicium omni ex parte veritati consentaneum est, necesse est, inquam, supervacuum esse fatum illud, nec ullo in loco consistere.

N. 4. Etenim non aliam ob causam, nisi quòd peccare, necne, sit in arbitrio cujusque positum; hoc discrimen introductum est, ut alter admissorum scelerum pœnas luat, alter pro rectè factis præmium laudemque consequatur. Quod quidem brevi justissimaque sententiâ complecti possumus, quæ ab Isaïa Prophetæ ex persona Dei verissimè pronuntiata legitur: *si volueritis, et obedieritis mihi, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis neque obedieritis mihi, devorabit vos gladius. Os enim Domini locutum est ita.* (*Isai.* I. 20.) Ex quo perspicuè illud, ac citra ullam dubitationem efficitur, Libertatem homini a Deo esse concessam; cùm ita per sese dixerit: *si volueritis et nolueritis*, adeò ut benè agere, vel malorum cupiditatem concipere, illius arbitrio sit relictum.

Lib. 2. *Tom.* 1. *Hæres.* 64. *quæ est Origenian. n.* 49. Credere enim, aut non credere in nostra est voluntate positum. Ubi autem utrumque juris ac voluntatis est nostræ, consequens est, ut et rectè agere, vel peccare, boni aliquid facere, vel mali, sit integrum. Quonam pacto præterea futurum illud judicium exspectari amplius potest: quo in judicio unicuique Deus pro operum ratione, ac studiorum rependet.

S. Cyrill. Alexand. *Lib. adversùs Antropomorph. cap.* 2. *pag.* 368. Gubernatur enim homo libero animi sui arbitrio, suæque ipsius mentis habenæ in ejus manu ac potestate sunt positæ, ut in quod placitum fuerit, ferri possit, sive in bonum, sive in malum.

Contra Julianum, lib. 8. *pag.* 285. Quæcunque enim est in cœlis rationalis et intellectualis creatura, liberis ad quidlibet agendum motibus impellitur, et nutus habet omni necessitate solutos. Ita enim factum est prorsùs, ut boni jure laudentur ac donentur præmiis: vituperandi autem censeantur improbi. Ut ergo nosipsi quoque ad quidvis honestum sponte feramur, liberâ mente hominem in terra degere permisit Deus: atque ita principio contigit. Ipse enim suæ voluntatis habenas tenet, ac liberis motibus in utrumque fertur, bonum scilicet, ac malum. Quapropter si ineffabili quadam et divinâ virtute et efficaciâ utendo uniuscujusque mentem ad benè agendum transtulisset, et impervium ipsi bonam etiam nolenti statuisset, non jam istud mentis fructus esset, adeoque nec digna laude res, sed necessitatis potius, et non voluntariæ cupiditatis.

S. Joann. Climac. *grad.* 1. *Deus homines* condidit, et ratione præditos liberæ voluntatis honore affecit.

Et Scholiastes. Liberum arbitrium est intelligens animæ motus, qui pro suo arbitratu agit; unde brutæ animantes non liberè agunt, sed potiùs à natura aguntur, quando agunt. Quapropter nec obnituntur, contra naturæ impulsum et desiderium, sed simul ac desiderio feruntur, illicò ad actionem prosiliunt. Sed homo cùm sit rationis particeps, ipsam naturam movet potiùs quàm ut ab illa moveatur. Atque hinc est, quòd, cùm desiderio rei alicujus fertur, possit illud desiderium pro suo arbitratu, vel reprimere, vel sequi.

S. Macar. Senior. Ægypt. *Homil* 27. *pag.* 140. *Tom.* 4. *Biblioth. PP. Lugd. Interrogatio.* Quâ ratione nonnulli, postquam sunt à gratia visitati, labuntur?

Responsio. Non quòd exstinguatur gratia, vel infirmetur, sed ut liberum arbitrium tuum ac libertas probetur, quò vergat, permittit te vitio, tuque rursùs voluntate appropinquans Domino, admoveris, ut perpendas gratiam. At quo pacto scriptum est: *Spiritum nolite exstinguere* (*Thess.* v. 19.), si ipse inexstinguibilis est et lucidus? Tu verò voluntate tuâ negligens ac non consentiens, exstingueris à Spiritu. Eodem modo dicit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* (*Ephes.* IV. 30.) Vides, in tua voluntate positum esse ac libero tuo arbitrio, ut honore

afflicias Spiritum sanctum, et non angas. Ego verò dico tibi, etiam perfectis Christianis, qui captivati sunt et inebriati in bonum, inesse arbitrii libertatem, undè infinitis malis examinati convertuntur ad bonum... Ego autem tibi dico, vel ipsos Apostolos, qui consummati erant in gratia, non fuisse prohibitos à gratia, quominus agerent quæ vellent, etiamsi illi ipsi committere voluissent, quæ gratiæ displicebant. Nam boni malique capax est natura nostra, ac potestas adversaria exhortandi vim habet, non cogendi: in reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quò libuerit.

S. JOAN. CHRYSOST. *in cap.* 5. *Gen. Homil.* 22. *pag.* 246. Vidisti quomodo sui juris naturam nostram Dominus formavit? Undè enim, dic oro, illi (*primi* homines) ad malitiam properabant, et seipsos pœnis faciebant obnoxios, iste autem virtutem eligebat, et fugiens eorum societatem, pœnam non sustinuit? Nonne manifestum, suâ quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, et naturæ nostræ; potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideò et peccantibus supplicia proposita sunt, et benè operantibus retributiones et præmia.

JOAN. HIEROS. Episc. *in Stratag. B. Job. lib.* 2. *pag.* 78. In arbitrio ergo hominum est potestas, sanctitas atque constantia. In arbitrio est hominum potestas fidei ac pietatis. Si enim voluerint declinare à malis, et facere bona; et valent, et possunt: et non prævalet illis nequissimus, si fuerit cor eorum secundùm Deum; si fuerit voluntas eorum in sanctitate, si anima eorum fuerit in veritate, si mens in fide ac pietate, si admonuerit semetipsos in misericordiam, et miserationem, in bona opera atque omnium quæ in Dei timore perficiuntur, et de omnibus quæ juxta Dei voluntatem fiunt. Cùm enim voluntas hominum consenserit voluntati Dei, tunc omnia quæ bona sunt facilè perficiunt homines. Cùm iis quibus delectatur Deus, delectati fuerint homines, tunc nihilominùs omnia quæcunque vitâ digna sunt, præstò sunt omnibus.

Homil. poster. in Psal. L. *pag.* 418. In utramvis partem liberum habes arbitrium.

Comment. in Matth. cap. 2. *pag.* 125. Cùm sit præscius futurorum Deus, quòd tanta iniquitas futura erat per stellas; si noluit emendare, non est bonus: si autem voluit, et non potuit, impotens est. Sed etiam injustus est: quia ex necessitate stellarum peccantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei, ut non peccent; aut hortamenta, ut faciant bonum, hanc insipientiam nonne destruunt? Quis enim jubet aliquem ne faciat malum, quod non potest declinare; aut ut faciat bonum, ad quod non potest pervenire?

In cap. 5. *pag.* 161. Sicut duas in nobis habemus naturas, animæ scilicet et carnis; sic duas habemus voluntates, unam animæ, alteram carnis. Duas iras, unam animæ, et alteram carnis: duas concupiscentias, unam animæ, et alteram carnis. Et natura quidem carnis ab his omnibus non potest se separare. Nam necesse habet et irasci, et concupiscere, etsi non vult: quoniam non est in arbitrio suo creata (id est, non est nunc in arbitrio suo, sicut creata fuit), sed sub lege peccati: venundata est enim sub peccato, propterèà de illa dicit Apostolus: *Sapientia carnis inimica est in Deum, legi enim Dei subjecta non est, non enim potest.* (*Rom.* VIII. 7.) Anima autem in arbitrio suo creata est secundùm legem justitiæ Dei: propterèà potest et non irasci si vult: et non concupiscere si vult. Quando ergo irascimur et concupiscimus, si displicemus nobis, et festinamus reprimere vel iram, vel concupiscentiam nostram, manifestum est quia caro nostra irascitur sola, aut concupiscit, non anima nostra: quando autem complacemus nobis in his, et decrevimus si poterimus, nostram implere iracundiam, vel concupiscentiam nostram; tunc et anima nostra irascitur, et concupiscit simul cum carne..... Dextra manus hominis, est voluntas animæ: sinistra autem manus voluntas corporis est. Hæc autem corporea manus non est manus, sed organum manûs. Nisi enim voluntas aut bona, aut mala moverit eam, ad nihil movetur. Dextra itaque manus hominis, est voluntas animæ, sinistra autem manus, est voluntas corporis. Ideò autem partes animæ, dextræ vocantur, corporis

autem sinistræ ; quoniam anima in arbitrio suo creata est, ad quod voluerit declinare, sive ad bonum, sive ad malum : Et sub lege justitiæ creata est, ut recta videat, recta audiat, et agat, et ambulet. Partes autem corporis sinistræ dicuntur, quia non est in arbitrio suo creata, ut sive ad bonum sive ad malum declinare voluerit, possit ; sed in malo creata est, sub lege peccati ; nec potest aut videre, aut audire, aut agere rectum... Quando ergo ex passione carnis concupiscimus sicut homines, animo autem resistimus concupiscentiæ nostræ ; sinister oculus scandalizat nos, id est, mens carnis, non mens animæ : Sinistra manus scandalizat, et non dextra ; id est, voluntas carnis, non voluntas animæ : vide nunc quia non jubet carnis mentem ejicere, vel carnis præcidere voluntatem. Non enim fieri potest, ut caro aliquando cesset à desiderio malo. Desideria autem carnis retinere quidem possumus, ut non faciamus quod desiderat caro ; præcidere autem non possumus, ut non desideret. Quando autem ex proposito animæ volumus malum, tunc dextra manus nos scandalizat, et dextra voluntas. Hunc oculum, et istam manum, præcidere jubet, quam et possumus præcidere (*Matth.* v. 29. *et* 30.) : quoniam anima in arbitrio suo est, ut ad quod voluerit, valeat declinare. Caro autem non in arbitrio suo est, sed in malo : vendita est sub peccato, et non potest bonum velle. Ideò autem caro sinistra dicitur, anima autem dextra : quoniam caro ad tentationem nobis creata est, anima autem ad salutem.

Cap. 6. *pag.* 174. Ergo non habet Deus regnum in terra, quia oratis ut veniat ? Is respondet ad illud, *quoniam tuum est regnum.* Item quoniam dixerat, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra ;* ac si dicat aliquis : Ergo non potest Deus facere quod vult in terris, quia oratis ut fiat voluntas ejus ? Ad hoc respondet : *Quia tua virtus est :* tanquam si dicant : Non ideò optamus regnum tuum in nobis, aut fieri voluntatem tuam in terris, quia non est regnum tuum in mundo, nec potes facere, quod vis in terris ; sed quoniam regnum tuum vita æterna est ; et voluntas tua, justitia est. Propterea nec rediges aliquem sub regno tuo, nisi ipse voluerit : nec operaris in aliquo voluntates tuas, nisi ipse consenserit. Propterea oramus, ut illuminati à te, velimus suscipere regnum tuum in nobis, et optemus facere voluntatem tuam.

Cap. 31. *pag.* 253. Homo priusquàm peccet liberum habet arbitrium utrum velit sub regno esse diaboli : cùm autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, jam non potest de potestate ejus exire : et sic prima voluntas ejus in necessitatem convertitur. Et hoc est quod homines seculares et peccatores dicere solent. Nunquid nolumus esse sancti ? Et quis non vult esse justus ? sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem : quia primùm potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent : Postquàm verò posuerint thronum diaboli in cordibus suis, jam nemo potest eos de potestate diaboli eripere ; nisi solus Deus.

NEMESIUS Episc. *de animæ facultat. cap.* 39. *pag.* 644. *Tom.* 8. *Biblioth. PP. Lugd.* Ad quod igitur horum reducemus ea quæ per homines fiunt, si homo causa non est et principium actionum ? Atqui neque Deo fas est adscribere turpes interdum actiones et iniquas, neque necessitati ; non enim sunt è numero eorum quæ semper eodem modo se habent : neque fato ; non enim contingentia, sed necessaria sunt, quæ fato fiunt : neque naturæ ; naturæ enim opera animalia sunt et stirpes : neque fortunæ ; neque enim raræ sunt, et præter exspectationem, hominum actiones : neque casui ; nam casus est eventus inanimorum, aut bestiarum. Relinquitur ergo ipsum qui agit et facit hominem, principium esse suorum operum, et liberà voluntate potestateque esse præditum. Præterea si nullius actionis homo auctor est, supervacaneè habet consultandi facultatem. Quorsum enim utetur deliberatione, si nullius actionis est dominus ? Facere autem, ut, quod pulcherrimum et præstantissimum in homine est, supervacaneum sit, absurdissimum est. Quare si consultat, agendi causà consultat ; omnis enim deliberatio actionis causà, et propter actionem instituitur. Præterea, quorum munerum functiones in nostra potestate sunt, horum etiam actiones, quæ cum illis functionibus consentaneæ sunt, in nostra sunt potestate. Sunt autem in nostra potestate func-

tiones cum virtutibus consentaneæ, quare et virtutes in nostra potestate sunt. In nobis situm est, justos esse, aut injustos. Esse autem aliqua in nostra potestate, cohortationes et admoniliones ostendunt: nemo enim hominem hortatur ad non famendum neque ad siliendum, neque ad volandum, non enim hæc in nostra potestate sunt. Quare perspicuum est, quarum rerum hortationes sunt, eas in nostra esse potestate. Præterea si nihil in nostra potestate est, supervacaneæ sunt leges, et tamen naturaliter omnes gentes legibus quibusdam utuntur, quòd sciant se habere potestatem agendi quæ legibus sanciunt: et pleræque gentes leges suas ad Deos auctores referunt, ut Cretenses ad Jovem, Lacedæmonii ad Apollinem. Quare naturaliter omnium hominum mentes hæc imbuit opinio; Esse aliqua in nostra potestate.

Cap. 40. Esse aliqua in nostra potestate, et esse nos dominos actionum quarumdam, abundè demonstratum est. Deinceps dicamus, quæ sint illa quæ in nostra potestate sunt. Dicimus ergo generatim omnia, quæ per nos sponte aguntur, in nostra potestate esse. Non enim dicerentur sponte fieri, si in nostra potestate actio non esset, et omninò quæ vituperatio aut laus insequitur, et in quibus adhortatio lexque versantur. Etiam hoc suprà à nobis declaratum est. Propriè autem in nostra potestate sunt, omnia quæ ad animum pertinent, et de quibus consultamus. Consultamus enim proindè quasi in nostra sit potestate agere, quod proponitur. Ostensum est autem suprà, consultationem esse rerum contingentium, peræque in utramque partem. Quod genus contingentium sic definitur: Quod cùm ipsum possumus, tum ejus oppositum. Hujus optio penès nostram mentem est, et hæc actionis est principium, eaque in nostra potestate sunt, quæ æquè in utramque partem contingunt, ut moveri et non moveri, persequi et non persequi, appetere res necessarias et non appetere, mentiri et non mentiri, dare et non dare, lætari quibus rebus oportet, et non lætari, denique quæcunque ejusmodi sunt, ut in iis vitii et virtutis opera insint... Non enim ut divites simus aut pauperes, aut perpetuò sani, aut naturà robusti, aut in imperio, aut omninò bonis abundemus, quæ instrumenti locum obtinere, vel fortunæ bona dicuntur, aut eorum quorum exitus à providentia pendet, nostra potestas est, sed actionum ad virtutem et vitium, et electionum, et motuum, et quorum æquè etiam opposita agere possumus: quandoquidem omnem actionem electio antecedit, neque solùm actio, sed etiam electio et voluntas damnatur. Quod docet illud in Evangelio, * *Qui mulierem aspexerit ad eam concupiscendam, jam in corde suo cum ea adulterium commisit.* (*Matth.* v. 28.)

Cap. 41. *pag.* 645. Quicunque autem consultat, quòd in se sit optio rerum agendarum, consultat ut eligat quod è consultatione sit antepositum, et ubi elegerit, agat. Omninò ergo necesse est, eum in quo sit consultatio, etiam dominum esse actionum. Si enim dominus non est actionum, frustrà habet deliberandi vim. Quòd si ita est, necessariò cum ratione libera voluntas existit. Aut enim non erit rationis compos, aut si sit rationis compos, erit dominus actionum. Si autem sit dominus actionum, omninò liberam habebit agendi voluntatem... Necessarium est enim alterum de duobus, aut rationis expertem esse factum, aut si rationis esset particeps, et in rebus agendis versaretur, esse liberà voluntate. Necessariò igitur omnis natura rationis particeps, liberà voluntate est, et suà naturà mutabilis.

THEOD. STUD. *lib.* 2. *Epist.* 37. *ad Confess. dispersos.* Omnes... homines liberi arbitrii habenas à Deo pari jure acceperunt cum summa potestate: licèt, animâ et corpore inter se pugnantibus, perpetuum bellum sit.

ANAST. SINAIT. *Anagogic. contempl. in Hexam. lib.* 8. *de duob. lignis et fl. flumin. parad. pag.* 897. *Tom.* 9. *Biblioth. PP. Lugd.* Ex æquo cuivis volenti concupiscenda invenitur virtus et vitium propter liberum nostrum arbitrium.

Viæ dux de verb. pag. 817. *Tom.* 9. *Biblioth. PP. Lugd.* Liberum est, quod sui juris est. Nam quod sub domino seu alieno jure est, hoc non est liberum; libertas enim propriè est omnis freni, et impedimenti expers potestas persequendi id, quod animo allubescit. Libertas animæ intellectuali competit, et est concupiscibilis partis expedita, nulloque obice

retardata ad virtutem vel malitiam propensio et motio. Ubi verò malitia et virtus non objiciuntur, illic libertas reperiri non potest. Quâ enim ratione libera eligendi facultas elucescat, nisi contrariorum oppositu?

ZACHAR. MITYLEN. Episc. *de mund. creat. contr. Philosoph. pag.* 806. *Tom.* 9. *Biblioth. PP. Lugd.* Quid igitur, bone vir, necessarium fuit honorare, seu exornare naturam libertate, et liberum arbitrium impertiri, per quod ipsa attrahenda erat ad interitum et istud universum secum simul attractura: aut quo pacto neglectus legis, quam causam esse dicebas dissolutionis, posteriorem universitatis opificio Deus antè perciperet, corruptibilem faciebat mundum... Opifex bonus cùm sit, cur verò ipsa bonitas summumque bonum primò vult non necessitatibus subjici naturam nostram, more brutorum, ut quocunque impulsa fuerit, trahatur, deindè ut honestum nostrum esse non è naturæ nexu, ut ubi virtutis opera et præclara volentes gesserimus laude et præmiis digni simus. Coactum enim bonum ipsi gratum non est, sed quod consilio et delectu geritur... Qui tollunt liberum arbitrium, et incusant opificem quòd nos fecerit consilii, et electionis expertes, nihil aliud quàm brutam naturam et vim sive impetum præferunt rationis participi, involuntariam motionem præponentes voluntariæ motioni, et virtuti ratione et consilio præditæ et instructæ, ac propemodum ægrè ferentes quòd non pecora et simiæ, cameli et asini nati sunt.

S. MAXIM. Confessor. *opuscul. Theolog. et Polem. pag.* 152. *Ex* S. IRENÆO *Lugdunensi Episcopo, ex lib. de fide ad Demetrium.* Dei voluntas et operatio, omnis temporis et loci et seculi, omnisque naturæ causa effectrix est, ac providentiæ ratio. Voluntas intelligentis animi, in nobis existens ratio est; quippè quæ ejus libera facultas sit. Voluntas mens est appetitioni conjuncta; appetitioque ex mentis profecta ratione in rem tendens quam quis velit.

S. CLEMENTIS *Stromat., ex libro de Providentia.* Voluntas est naturalis facultas ejus quod est ex natura appetendi vim habens. Voluntas est naturalis appetitus, naturæ utenti ratione conveniens. Voluntas naturalis est mentis sui arbitræ motus liber; sive mens quæ circa aliquid liberè moveatur; aut intelligentis animi motus sui arbiter ac potens.

S. ALEXANDR. Pap. Alexandrini, *ex Epistola ad Æglonem Cynopolitanum Episcopum contra Arianos.* Voluntas naturalis intelligentis omnis naturæ libera facultas existit, ut quæ nihil involuntarium habeat, quòd ex essentiæ ratione sit.

S. EUSTATHII Patriarchæ Antiocheni, *ex libro de anima.* Voluntas naturalis, motus est existentis in nobis rationis. Voluntas, appetitus est rationalis et animalis.

S. ATHANASII Papæ Alexandrini, *ex majori oratione de Fide.* Voluntas est intelligentis animi motus liber. Prima intelligentis animi proprietas, ejusque essentia indicatio notaque, voluntas est. Sensus Domini nondum Dominus, sed aut voluntas, aut operatio ac virtus.

S. GREGORII NYSSENI Episcopi, *ex libro adversus Apollinarium.* Voluntas, mens quædam est et sensus, et circa aliquid affectio. Libertas est sui potens voluntatis motus. Intelligentis animi voluntas est, quod ex arbitrio, per liberam voluntatem, quæ sunt senteutia, eligat. Naturæ omnis utentis ratione voluntas, ejus vita naturalis est. Ejus vitæ privatio essentiæ interitus est ac sublatio.

S. DIADOCH. Episc. Photices, *ex sexto capite Moralium.* Libertas arbitrii, est animi utentis ratione voluntas, in quod libuerit tendens, seque explicans, absque ullo impedimento.

S. ANASTAS. Patriarch. Antioch. Voluntas est quæ in corde ratio versatur, nec nisi operatione manifestari potest. Voluntas, volentis animi incitatio est, quæ nisi à seipsa inhiberi non potest.

NEMESII Emeseni Episc. Voluntas, appetitus est cum consilio, eorum quæ in nostra sunt facultate, et per nos fieri possunt, atque incertum exitum habent.

S. MAXIM. Voluntas naturalis est, simpliciter eodemque modo se habens, eorum appetitio ac cupiditas, quibus naturalia conflantur: Voluntas autem ex sententia ac arbitrio, talis quidam diversusque eorum motus ac appetitus, quibus libidinis argumenta parantur.

S. Marc. Erem. *de Baptism. pag.* 932. *Nos non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* (*Galat.* IV. 31.) In libertate igitur, quâ Christus nos liberavit, state. Et iterùm: *Quasi liberi; et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* (1. *Petr.* II. 16.) Vides, ut Scriptura hæc appellet novitatis, libertatis, ac lucis opera, quorum certamine dicis rescindi peccatum? Declarat etiam liberi arbitrii conversiones: quas Adæ dicis esse peccatum. Istud enim, Habere libertatem ut velamen malitiæ: et, *Contristare Spiritum sanctum* (*Eph.* IV. 30.); et, Facere *voluntatem carnis et cogitationum* (*Id.* II. 3.); et hoc, *Qui spiritu cœperunt, nunc carne consummari* (*Galat.* III. 3.); et, *Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus* (*Rom.* VIII. 12.); hæc et similia cùm sciat Scriptura, in nostra facultate positum esse, ut hæc agamus, necne; propterea non satanam, neque peccatum Adæ, sed nos increpat.

Simeon. Jun. *Orat.* 13. *pag.* 649, *Tom.* 12. *Bibl. PP. Lugd.* Quanquam Deus rex est omnium, tamen hominum duntaxat et Angelorum volentium rex esse vult: nolentium nequaquam, ut ne arbitrii libertatem illis tollat. Quis enim ratione utens naturâ sit, si voluntate careat? Quocirca etiam Dominus noster Jesu Christus nostrûm similis homo natus, et magister, quod latebat, et ignorabatur, consortibus generis ac fratribus suadet, dum ita docet ac dicit, *Quærite regnum Dei et justitiam ejus* (*Matth.* VI 33.), ut volentibus nobis imperat. Simul enim naturam rationis capacem regnum Dei attingit, et simul omni eam justitiâ cumulat. Hinc et quotidie Deum ita precamur, *adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua.* (*Ibid.* 10.)

Olympiod. *Comment in Ecclesiast. cap.* 2. *pag.* 613. Notandum quoque quòd qui student circa ea quæ vana sunt, et sese voluptatibus tradunt, excusare non possunt (carentis ratione) fortunæ motum, neque Fati necessitatem: humanæ siquidem actiones proficiscuntur ab electione, et ab insita nobis libera potestate.

Mosis Bar-cephæ Syri Episc. *Comment. de Parad. Part.* 1. *cap.* 28. *pag.* 475. *Tom.* 17. *Biblioth. PP. Lugd.* Denique interrogari solet quibus in rebus differant eæ leges quas Deus imposuit animantibus rationis expertibus, rebusque aliis corporatis, quæ et animâ et sensu carent; ab illis legibus quas hominibus præscripsit et aliis creaturis ratione præditis. Ad hoc respondemus, plurimis eas inter se modis differre. Nam legum quæ hominibus latæ sunt, in ipsa voluntate posita est observatio; earum verò legum custodia quæ nec animâ nec sensu præditis rebus impositæ sunt, in ipsa earum natura est sita. Tum homines doctrinâ formantur ad præstandas leges quas debent; at ea quæ ratione et quæ animâ carent, naturæ impetu atque efficientiâ ducuntur ut legibus suis obsequantur. Ad hæc: homines si volunt, servant; si nolunt non servant suas leges: pendent enim ex libro hominum arbitrio. At aliter se habent earum rerum leges, quæ ratione et quæ sensu vacant: neque enim leo, et audax et timidus esse potest: neque lepus, pavidus et impavidus: sed una audacia leonum est, pavor verò solus leporum: neque ut leo non sit audax; vel lepus, non fugax fieri potest. Consentaneum igitur est, hæc si suis legibus pareant, non ideò digna esse præmio, quando nullâ arbitrii libertate pollent, sed naturæ vinculis constricta tenentur: nos verò vel observare, vel violare leges nobis imperatas quimus.

Part. 3. *cap.* 1. *pag.* 495. Igitur non eò spectabat Deus dum legem conderet, ederetne ille an non ederet quem arbitrii libertate donarat, sed observaret, an non observaret legem quam liberi ejus arbitrii materiem esse voluerat: simulque eò etiam pertinebat legis constitutio, ut intelligeret Adamus se ab alio conditum, eique suo conditori, ut Domino, subjectum se esse.

S. Joan. Damasc. *Orthod. fidei lib.* 2. *De passione et actione, et voluntate cap.* 22. 337. Nihil enim aliud electio est quàm è duabus rebus propositis alteriùs præ altera susceptio. Demùm post electionem ad actionem se confert: ac dicitur *orme*, id est, impetus. Deinceps in ipsa actione versatur, eaque utitur: et tum usus appellatur. Post usum denique appetitioni fidem imponit. Enimverò in brutis animantibus, protinùs ut rei alicujus appetitus existit, impetus quoque ad actionem fit. Rationis enim expers est eorum appetitio, solâque naturali appetitione ducuntur. Quo fit ut

hujusmodi appetitio, nec naturalis, nec deliberans voluntas, dici possit. Voluntas siquidem, est rationalis et naturalis atque à libera potestate manans appetitio. At in hominibus, utpotè ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit, quàm ducitur. Merà enim ac liberà potestate et cum ratione movetur: quòd videlicet vitales, et in cognitione sitæ facultates in homine conjunctæ sint. Ac proinde liberà potestate appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, judicat, afficitur, eligit, ad agendum fertur, ac denique in iis quidem rebus, quæ naturæ consentaneæ sunt agit... Porrò in Domino nostro Jesu Christo, quoniam diversæ naturæ sunt, diversæ quoque divinitatis ipsius et humanitatis naturales voluntates sunt, hoc est volendi vires ac facultates; quoniam autem una persona est, unusque qui vult, unum quoque voluntatis objectum, hoc est deliberans una voluntas, sit necesse est: humanà nimirùm ipsius voluntate divinæ ipsius voluntati obsequente, eaque volente, quæ divina ipsius voluntas eam velle volebat.

De voluntario et involuntario, cap. 24. Et quidem id quod sponte fit, omninò vel laudem, vel vituperationem comitem habet, et voluptatem in agendo..... Sed ne illud quidem nos prætereat, quòd pueri et bruta sponte quidem faciunt, at non item ex electione. Quin ea quoque omnia, quæ iracundià commoti, nullà præcunte deliberatione facimus, sponte quidem ac voluntariè facimus, cæterum non ex electione.

De eo quod in nostra potestate situm est, hoc est de libero arbitrio, cap. 25. Relinquitur itaque eumdem ipsum hominem qui agit et operatur, operum suorum auctorem esse, eaque in arbitrio suo ac potestate habere. Hùc accedit, quòd si nullius actionis auctor est homo, frustrà ei deliberandi facultas tributa erit. Quorsum enim deliberatione utetur, si nullius actionis arbitrium ac potestas penès eum existat? Omnis enim deliberatio actionis causà suscipitur.

De iis quæ fiunt, cap. 26. *pag.* 345. In nostra potestate sunt ea, quæ liberum est nobis vel facere, vel non facere, hoc est ea omnia quæ ultrò ac sponte facimus. (Neque enim ea sponte à nobis fieri dicerentur, si actio in arbitrio nostro minimè posita esset:) atque, ut uno verbo complectar; omnia ea quæ vel laudem vel vituperationem afferunt, et ob quæ consilia et leges existunt. Propriè autem in nostra potestate consistunt omnia ea, quæ ad animum spectant, et de quibus deliberamus. Consilium porrò ac deliberatio de his rebus suscipitur, quæ peræquè in utramque partem contingere possunt... Nec verò hoc ignorandum est, rerum earum quæ sub actionem cadunt, electionem quidem semper in nostra potestate sitam esse: cæterùm actionem certo quodam divinæ providentiæ modo sæpenumero impediri.

Jodoc. Clichtov. *Comment. in hunc locum.* Actio verò, et exterior operis exsecutio, interdùm quodam divinæ providentiæ modo nobis occultò impeditur. Ut de beatissimo Paulo, ejusque comitibus refert sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 16. *Transeuntes autem Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos spiritus Jesu.* (*Act.* xvi. 6. *et* 7.) Idcircò beatus Jacobus quarto cap. nos admonet: cùm quidquam facere instituimus, adjicere quemque nostrum debere: idipsum quidem nos facturos, si Dominus voluerit: quòd in ejus constitutum est potestate actionem nostram impedire, si placitum illi fuerit. *Non enim est hominis via ejus*, ut inquit (x. 25.) Jeremias, *nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* Et Sapiens Proverbiorum cap. xvi. 1. *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam:* quasi homo proponat opus, Deus autem illud disponat.

Quam ob causam libero arbitrio procreati simus, cap. 27. Arbitrii libertas rationi annexa sit necesse est. Aut enim rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penès eum quoque actionum arbitrium ac potestas futura est.

Cont. Manich. Dialog. n. 68. *Man.* Quare verò bonus sit Deus, cùm facere illum voluit, qui malus futurus esset? *Orth.* Deus cum bonum fecit; verùm ipse sponte mutatus, bonum abjecit, quippè qui liberi arbitrii compos creatus erat.

N. 69. At verò, idcircò liberum eum condidit, quia quidquid ratione

ultur, sui juris est. Quorsùm enim ratione utatur, si arbitrii libertate careat? Nam quod aut vi, aut naturæ necessitate fit, virtutis nomen nequaquam obtinet.

TERTULL. *de anima pag.* 324. Dedimus enim illi (*animæ*) et libertatem arbitrii.

Adversùs Marcion. lib. 2. *p.* 457. Liberum et sui arbitrii et suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejusmodi statûs formam. Neque enim facie et corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ ad formam Dei respondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursùs comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem: sed nec aliàs totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo, et minante, et exhortante, nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homine. Sed quoniam ex hoc jam intelligimur, eo struentes liberam hominis potestatem arbitrii sui, ut quod ei evenit, non Deo, sed ipsi debeat exprobrari, ne et tu hinc jam opponas, non ita illum institui debuisse, si libertas et potestas arbitrii exitiosa futura esset; hoc quoque priùs defendam ita institui debuisse, quo fortiùs commendem, et ita institutum, et dignè Deo institutum, potiore ostensâ eâ causâ quæ ita fecit institui. Bonitas Dei, et ratio ejus, huic quoque instituto patrocinabuntur, in omnibus conspirantes apud Deum nostrum. Nec ratio enim sine bonitate, ratio est; nec bonitas sine ratione, bonitas: nisi fortè penès Deum Marcionis irrationaliter bonum, sicut ostendimus. Oportebat Deum cognosci: bonum hoc utique et rationale. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret: quid tam dignum prospici posset, quàm imago Dei et similitudo? Et hoc bonum, sine dubio, et rationale. Oportebat igitur imaginem et similitudinem Dei, liberi arbitrii, et suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum, imago et similitudo Dei deputaretur; arbitrii scilicet libertas et potestas: in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus status esset, adflatus Dei, utique liberi et suæ potestatis. Sed et aliàs quale erat ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum dominus, sui famulus? Habes igitur et bonitatem Dei agnoscere ex dignatione, et rationem ex dispositione. Sola nunc bonitas deputetur, quæ tantum homini largita sit, id est, arbitrii libertatem. Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi institutionem. Nam bonus naturâ Deus solus. Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed naturâ. Homo autem, qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam quâ esset: atque ita non naturâ in bonum dispositus est, sed institutione; non suum habens bonus esse, quia naturâ in bonum dispositus est, sed institutione, secundùm institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi à Deo, et fieret proprietas jam boni in homine, et quodammodo naturâ, de institutione adscripta est illi, quasi libripens emancipati à Deo boni, libertas et potestas arbitrii, quæ efficeret, bonum, ut proprium, jam sponte præstari ab homine; quoniam et hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercendæ; ex libertate scilicet arbitrii, non favente institutioni, non serviente: ut ita demum bonus consisteret homo, si secundùm institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturæ: proindè ut et contra malum (nam et illud utique Deus providebat) fortior homo prætenderet, liber scilicet et suæ potestatis: quia si careret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proindè et malo sicut bono famulus. Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando: quoniam et aliàs positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum

illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm, nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc et lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda; ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii. Igitur si et bonitas et ratio Dei invenitur circa libertatem arbitrii concessam homini, non oportet omissâ primâ definitione bonitatis atque rationis, quæ ante omnem tractatum constituenda est, post factis præjudicare, non ita Deum instituere debuisse, quia aliter quàm Deum deceret evasit; sed dispecto quia ita debuerit instituere, salvo eo quod dispectum est, cætera explorare. Cæterùm, facile est offendentes statim in hominis ruinam, antequam conditionem ejus inspexerint, in auctorem referre quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique, et bonitas Dei à primordio operum perspecta, persuadebit nihil à Deo mali evenire potuisse, et libertas hominis recogitata se potiùs ream ostendet, quòd ipsa commisit. Hac definitione omnia Deo salva sunt; et natura bonitatis, et ratio dispositionis, et præscientiæ et potentiæ copia. Exigere tamen à Deo debes et gravitatem summam, et fidem præcipuam in omni institutione ejus, ut desinas quærere an Deo nolente potuerit quid evenire. Tenens enim gravitatem et fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus ejus vindicandas, nec illud miraberis, quòd Deus non intercesserit adversùs ea, quæ noluit evenire; ut conservaret ea, quæ voluit. Si enim semel homini permiserat arbitrii libertatem et potestatem, et digne permiserat, sicut ostendimus, utique fruendas eas ex ipsa institutionis auctoritate permiserat; fruendas autem quantùm in ipso, secundùm ipsum, id est, secundùm Deum, id est, in bonum: quis enim adversùs se permittet aliquid? Quantùm verò in homine, secundùm motus libertatis ipsius? Quis enim non hoc præstat ei, cui quid semel frui præstat, ut pro animo et arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat, uti Deus secederet à libertate, semel concessa homini; id est, contineret in semetipso et præscientiam et præpotentiam suam, per quas intercessisse potuisset, quominus homo malè libertate suâ frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione et bonitate permiserat. Denique, puta intercessisse, puta rescidisse illum arbitrii libertatem, dum revocat ab arbore, dum ipsum circumscriptorem colubrum à congressu feminæ arcet, nonne exclamaret Marcion? O dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit! Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? cur intercedit, si permisit? Eligat ubi semetipsum erroris notet, in institutione, an in rescissione. Nonne tunc magis deceptus ex impræscientia futuri videretur, cùm obstitisset? et quòd quasi ignorans quomodo evasurum esset indulserat, quis non diceret? Sed etsi præscierat malè hominem institutione suâ usurum, quid tam dignum Deo, quàm gravitas, quàm fides institutionum qualiumcunque? Vidisset homo, si non benè dispunxisset quod benè acceperat; ut ipse legi reus fuisset cui obsequi noluisset, non ut legislator ipse fraudem legi suæ faceret, non sinendo præscriptum ejus impleri. Hæc dignissimè peroraturus in creatorem, si libero arbitrio hominis ex providentia et potentia, quas exigis, obstitisset, nunc tibi insusurra pro creatore et gravitatem, et patientiam, et fidem: institutionibus suis functo, ut et rationalibus et bonis.... Homo imago Dei, id est, spiritus: Deus enim spiritus. Imago ergo spiritus, flatus. Porrò, imago veritati non usquequaque adæquabitur. Aliud est enim secundùm veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. Sic et adflatus, cùm imago sit spiritus, non potest ita imaginem Dei comparare, ut quia veritas, id est spiritus, id est Deus, sine delicto est; ideò et adflatus, id est imago, non debuerit admisisse delictum. In hoc erit imago minor veritate, et adflatus spiritu inferior, habens illas utique lineas Dei, quà immortalis anima, quà libera et sui arbitrii, quà præscia plerumque, quà rationalis, capax intellectûs et scientiæ: tamen et in his imago, et non usque ad ipsam vim divinitatis; sic nec usque ad integritatem à delicto; quia hoc soli Deo cedit, id est veritati; et hoc solum imagini non licet. Sicut enim imago, cùm omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsa caret, non habens motum: ita et anima imago spiritûs, solam vim ejus exprimere

non valuit, id est, non delinquendi felicitatem... Hoc ipsum ergo potuit adflatus Dei admittere. Potuit, sed non debuit. Potuisse enim habuit per substantiæ exilitatem, quâ adflatus, non spiritus : non debuisse autem, per arbitrii potestatem, quâ liber, non servus ; adsistente amplius demonstratione non delinquendi sub comminatione moriendi, quâ substrueretur substantiæ exilitas, et regeretur sententiæ libertas. Itaque non per illud jam videri potest anima deliquisse, quod illi cum Deo affine est, id est, per adflatum : sed per illud quod substantiæ accessit, id est, per liberum arbitrium ; à Deo quidem rationaliter attributum ; ab homine verò, quâ voluit agitatum. Quod si ita se habent, omnis jam Dei dispositio de mali exprobratione purgatur.

S. Cæcil. Cyprian. *Testim. lib.* 3. *ad Quirin. n.* 52. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam, in Deuteronomio : Ecce dedi ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum : elige vitam, tibi ut vivas. (*Deut.* xxx. 19.) Item apud Isaïam : * *Et si volueritis et audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, et non audieritis me, gladius vos consumet* (*Isai.* i. 19. *et* 20.) ; os enim Domini locutum est ista. Item in Evangelio *cata* Lucam : * *Regnum Dei intra vos est.* (*Luc.* vi. 20.)

Julii Firm. Matern. *de errore profan. Relig. cap.* 29. *pag.* 476. *Tom.* 4. *Biblioth. PP. Lugd.* Liberum te Deus fecit, in tua manu est, ut aut vivas aut pereas.

S. Hilar. *in Psal.* ii. *n.* 16. Sed qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine suâ non sine ratione ac modo usus est. Nam unicuique nostrûm libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret ; sed qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id per meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret ? Voluntati ergo permissa bonitas est ; ut præmium sibi voluntas bonitatis acquireret ; et esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quanquam nos ad voluntatem bonitatis, id est, ad benè honestèque vivendum per spem promerendæ et utendæ suæ bonitatis illiceret, pœnam tamen devitatæ et contemptæ bonitatis adjecit : ut cùm libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum naturæ necessitas non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita et per rationem æqui atque justi ad meritum præmii permissa libertas est, et per bonitatem Dei vis libertatis metu constitutionis arctata est : ut benè velle meriti spes moveret, malum nolle propositæ ullionis pœna suaderet.

Tract. in Psal. cxviii. *litt.* 22. *n.* 4. *Fiat manus tua ut salvum me faciat : quoniam mandata tua elegi.* (*v.* 173.) Aliis gloriam seculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum capessentibus, aliis terrenas opes expetentibus, sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis : quia unicuique ad id quod volet via est proposita, vivendi, et appetendi atque agendi permissa libertas. Et ob id uniuscujusque aut pœnâ aut præmiis afficietur electio. (*Deut.* xxx. 19.)

Comment. in Matth. cap. 10. *n.* 23. Tria tantùm in homine reperimus, id est, et corpus et animam et voluntatem. Nam ut corpori anima data est, ita et potestas utrique utendi se ut vellet indulta est : atque ob id lex est proposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi à Deo figurati sunt, in quibus cœptæ originis ortus effectus est, non traductus aliundè. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animæ infidelitas ; ab his enim ortum per transgressionem primi parentis accepimus. Nam voluntas unicuique sua adjacet. Ergo jam unius domûs quinque sunt : pater corporis peccatum, mater animæ infidelitas, et accedens voluntatis arbitrium, quod totum hominem quodam conjugii sibi jure distringit. Hinc infidelitas socrus est, quæ nos ex ea natas atque à fide metuque Dei peregrinantes accipiens, ut inter infidelitatem voluptatemque possessos, et in ignoratione Dei et in omnium viliorum oblectatione detineat.

Acta Martyr. *SS. Tarachi, Probi et Andr. ann.* 304. *apud* Theodor. Ruinart. *pag.* 480. Probus dixit : Deus noster amator hominum est. Nulli hominum malè vult : sed unusquisque, prout est illi, facit, habens liberum arbitrium.

D. Hieron. *Comment. in Ecclesiast. cap.* 8. *pag.* 38. * *Hominem unum de mille inveni : et mulierem in omnibus his non inveni. Solummodo hoc inveni quia fecit Deus hominem rectum : et ipsi quæsierunt cogitationes multas.* (*Eccle.* vii. 29. *et* 30.) Et ne videretur communem hominum damnare naturam, et Deum auctorem mali facere, dum talium conditor est qui malum vitare non possunt : argutè præcavit et ait, bonos nos à Deo creatos : sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad pejora labi : dum majora quærimus, et ultra vires nostras varia cogitamus.

Lib. 1. *in Isaiam cap.* 1. *pag.* 4. *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis : si nolueritis et non audieritis, etc.* (*Isai.* i. 19. *et* 20.) Liberum servat arbitrium : ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna vel præmium sit.

Cap. 57. *paulò post initium.* In nostro consistit arbitrio bonum malumve eligere.

Lib. 10. *in Ezech. cap.* 33. *pag.* 231. * *Si ergo me dicente ad impium, Impie morte morieris, non fueris locutus ad eum ut se custodiat, et de interitu liberetur : et ille quidem in sua iniquitate morietur* (*Ezech.* iii. 18.), quam priùs commiserat, et de qua si annuntiasses potuit liberari : *sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (*Ibid.* 20.) Quod *si tu annuntiaveris* atque præceperis impio ut convertatur à viis suis pessimis, et ille hoc facere noluerit, *ille quidem in sua iniquitate morietur, tu autem liberasti* de interitu negligentiæ *animam tuam.* Ex quibus verbis discimus, posse hominem quamvis iniquum, et impium, si magistri verba audierit, et egerit pœnitentiam, à sua impietate salvari : nec minus magistrum subire discrimen si docere noluerit : vel timore discriminis, vel desperatione peccantis, dum reus est sanguinis ejus qui liberari potuit, et de morte erui, nisi magistri silentio concidisset : et in utroque liberum servari arbitrium, dum et in magistri voluntate est vel tacere vel loqui : et in auditoris arbitrio vel audire, et facere atque salvari, vel contemnere, et proprio perire contemptu. Nec statim sequitur : ut quia Propheta prædicit, veniat quod prædixit : non enim prædicit ut veniat, sed ne veniat : nec quia Deus loquitur, necesse est fieri quod minatur ; sed ideò comminatur, ut convertatur ad pœnitentiam cui minatur, et non fiat quod futurum est si verba Domini contemnantur.

In Malach. cap. 1. *pag.* 132. Israël... rectissimus Dei, diligitur à Domino et vult dilectionis ejus in se scire rationem. Dominusque respondit, Esaû et Jacob de una stirpe genèratos : hoc est, vitia atque virtutes ex uno cordis fonte procedere : dum ex arbitrii libertate in utramque partem ut volumus, declinamus.

Lib. 3. *in Epist. ad Galat. cap.* 5. *pag.* 290. *Persuasio vestra non est ex eo qui vocavit vos.* (*Galat.* v. 8.) Aliud quippe Dei opus est, vocare : hominum vel credere, vel non credere : Et sicubi alibi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, ut ibi, *si volueritis et audieritis me* (*Isai.* i. 19) ; et iterùm, *Et nunc Israël, quid petit à te Dominus Deus tuus* (*Deut.* x. 12.) ; et ex hoc loco vel maximè comprobatur. Verùm simpliciores quippè (*lege* quique) putantes se deferre Deo, ut persuasio quoque nostra in ejus sit potestate, abstulerunt partem orationis, *non :* et sensum contrarium Apostolo reddidere. Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est : quia persuasio nostra non est ex eo qui vocavit nos, sed ex nobis : qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti. Aliter : Persuasio hæc quam nunc sequimini, non est ex Deo, qui in principio vos vocavit : sed ex his qui vos posteà turbaverunt.

Pag. 298. *Caro enim concupiscit adversùs spiritum : spiritus autem adversùs carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur : ut non quæcunque vultis illa faciatis.* (*Galat.* v. 17.) Caro præsentibus delectatur et brevibus : spiritus perpetuis et futuris. Inter hoc jurgium media anima consistit, habens quidem in sua potestate bonum et malum, velle ac nolle ; sed non habens hoc ipsum velle ac nolle perpetuum : quia fieri potest, ut cùm carni consenserit, et opera ejus fecerit, rursùm per pœnitentiam se re-

mordens, spiritui copuletur, et opera ejus efficiat. Hoc est ergo quod ait: *Hæc enim sibi invicem adversantur*, id est caro et spiritus, ut non quæcunque vultis, illa faciatis: non quò proprium nobis tulerit arbitrium, quo vel carni vel spiritui assentiamur: sed quia quod facimus, non est nostrum propriè, sed opus ipsum vel carni vel spiritui deputatur.

Epist. ad Damas. Tom. 4. edit. BB. pag. 151. *Qui divisit eis substantiam.* {*Luc.* XV. 12.} Id est, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut à cæteris animantibus distaremus, dum ad exemplum Dei, permissum est nobis facere quod velimus. Undè et in peccatores æquum judicium, et in sanctos aut justos, justum præmium retribuitur.

S. AUG. *lib. de quantit. animæ cap.* 36. *n.* 80. Datum est enim animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeò cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propriâ voluntate se dicere intelligant. Nec tamen ila liberum arbitrium animæ datum est, ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. Datum est enim à sapientissimo atque invictissimo totius creaturæ Domino.

De agon. Christ. cap. 10. *n.* 11. {*Deus*} nostræ imbecillitatis misertus est; quam imbecillitatem non ejus opere, sed nostrâ voluntate meruimus. Nam *Deus hominem inexterminabilem fecit* {*Sap.* II. 23.}, et ei liberum voluntatis arbitrium dedit. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret.

De diversis Quæst. 83. *lib.* 1. *Quæst.* 2. Hominem ergo Deus cùm fecit, quanquam optimum fecerit; non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est qui voluntate, quàm qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda homini fuit.

Quæst. 24. Justus autem regens et gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; et meritum præmii, rectè factum est. Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur et peccatum et rectè factum in libero voluntatis arbitrio.

In Psal. XXXI. *Enarrat.* 2. *n.* 16. Cum libero arbitrio me creavit Deus: si peccavi, ego peccavi: ut non solùm pronuntiem iniquitatem meam Domino, sed adversùm me, non adversùs eum. *Ego dixi, Domine miserere mei* {*Ps.* XL. 5.}; clamat æger ad medicum, Ego dixi. Quare, Ego dixi? Sufficeret, Dixi; ego cum emphasi dictum est; Ego, ego, non fatum, non fortuna, non diabolus; quia nec ipse coëgit, sed ego persuadenti consensi.

In Psal. CXLVIII. *Enarr. n.* 2. In tuo autem arbitrio Deus esse voluit, cui pares locum, Deo, an diabolo.

Serm. 152. *alias de divers.* 5. *in diebus Pasch.* 23. *cap.* 6. *n.* 6. Homini autem Deus dedit liberum arbitrium. Et si vult homo heri fuit palea, hodie fit frumentum.

De act. cum Felice Manich. lib. 2. *cap.* 3. Veritas autem dicit, rationalem creaturam, etiam ipsam factam, sive in Angelis sive in hominibus accepisse liberum arbitrium: quo libero arbitrio si Deo servire vellet, secundùm voluntatem ac legem Dei, haberet apud eum æternam felicitatem: si autem legi ejus subdi noluisset, sed potestate suâ usa contra ejus fecisset imperium, secundùm ejus justitiam pœnæ debitæ subjaceret. Hæc omnipotentia Dei in creandis omnibus, hæc justitia in remunerandis peccatoribus.

Cap. 4. Sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt.... Condidit {Deus} animam habentem liberum arbitrium, sub seipso et supra cætera collocavit; ut si serviret superiori, dominaretur inferiori; si autem offenderet superiorem, pœnam ex inferiore sentiret. Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate quid faceremt. ipse securus et certus in se tanquam Deus: et quia si bonum eligerent, præmium ejus acciperent, si malum eligerent, pœnam ejus sentirent: semper autem ille justus est aut remunerator, aut damnator.

Contra Fortunat. Manich. Disput. 2. *n.* 20. Nostra fides hæc est... mala esse voluntario peccato animæ, cui dedit Deus liberum arbitrium. Quod liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum rectè faciendi, nec præceptum divinum ut ageretur pœnitentia de peccatis; nec ipsa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum nostrum Jesum Christum donavit. Quia qui non voluntate peccat, non peccat. Hoc arbitror omnibus apertum esse atque perspicuum..... Quæ peccata, ut dixi, nisi liberâ voluntate esset in nobis, peccata non essent. Si quis enim verbi causâ ligaretur ab aliquo cæteris membris, et de manu ejus falsum scriberetur sine ejus propriâ voluntate; quæro si hoc judici patefieret, posset hunc hominem falsitatis crimine condemnare? Quare... manifestum est, peccatum non esse ubi non est liberum voluntatis arbitrium.

De Civit. Dei, lib. 5. *cap.* 9. *n.* 2. Fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis: quod si concedimus, inquit, omnis humana vita subvertitur; frustrà leges dantur; frustrà objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ullà justitiâ bonis præmia, et malis supplicia constituta sunt. Hæc ergo ne consequantur indigna et absurda et perniciosa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum: atque in has angustias coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli; si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus et doctus, et vitæ humanæ plurimùm ac peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium: quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat.

Lib. de gratia et lib. arbitr. cap. 2. *n.* 4. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri et fieri jubet Deus; quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?... Nempe ubi dicitur, Noli hoc, et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi impulet quisque, cùm peccat. Neque cum aliquid secundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est, *qui reddet unicuique secundùm opera sua.* (*Matth.* XVI. 27.)

Cap. 3. *n.* 5. Et utique cui dicitur, *noli vinci* (*Rom.* XII. 21.), arbitrium voluntatis ejus sine dubio convenitur. Velle enim et nolle, propriæ voluntatis est.

Cap. 4. *n.* 8. Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes et adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, quâ divinis præceptis obediret: et tamen Dei donum est, sine quo servari castitatis præcepta non possunt. Undè ait ille in libro Sapientiæ: *cùm scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* (*Sap.* VIII. 21.) Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus et illectus.* (*Jacob.* I. 14.) Ubi si dixerit, Volo servare, sed vincor à concupiscentia mea: respondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam superiùs dixi; *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* (*Rom.* XII. 21.) Quod tamen ut fiat, adjuvat gratia: quæ nisi adjuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, et majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiæ.

Cap. 18. *n.* 37. Hæc ergo præcepta charitatis inaniter darentur hominibus, non habentibus liberum voluntatis arbitrium: sed quia per legem dantur et veterem et novam... undè est in hominibus charitas Dei et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos

Judex Apostolus Joannes, et dicat nobis: *charissimi, diligamus invicem.* (1. *Joan.* IV. 7.) In his verbis Joannis cùm se illi extollere cœperint et dicere, Ut quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus ut invicem diligamus: sequitur continuò idem Joannes, confundens eos et dicens, *quia dilectio ex Deo est* (*Id. ibid.*): Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, *diligamus invicem? quia dilectio ex Deo est*, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum?

S. FULGENT. *de Remiss. peccat. lib.* 2. *cap.* 13. Cæterum miserorum, atque infelicium, qui de malo ad bonum negligunt istius vitæ tempore commutari, sicut David sanctissimus contumaciam culpat: sic futuram pœnam divinæ retributionis prænunciat dicens: *non enim illis est commutatio, et non timuerunt Deum.* (*Ps.* LIV. 20.) Ac ne sibi qui commutari noluerint, frustra promittant peccatorum indulgentiam transacto hujus vitæ limine conferendam, secutus adjunxit: *Extendit manum suam in retribuendo.* (*Ibid.* 21.)

Venerab. BEDA *in princip. Genes. lib.* 2. *pag.* 168. *apud* D. EDM. MARTENNE *Thesauri Anecdot. novi Tomo* 5. *Sub te ergo*, inquit, *erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius* (*Genes.* IV. 7.); tu quia liberi es arbitrii, moneo ut appetitum peccati quo impugnaris compescas, et non illud tui ampliùs crescendo, sed tu magis illius correctiùs vivendo domineris.

MAG. ALBIN. FLACC. ALCHUIN. *Interrog. in lib. Gene.* pag. 9. *Interrog.* 63. Cur homo factus est in liberum arbitrium? *Resp.* Quia noluit Creator hominem cujuslibet servum creare, quem ad imaginem suam fecit, qualenus ex voluntario bono laudabilis appareret, vel appetitu malo damnabilis.

Interrog. 64. Quæ est libertas vera? *Resp.* Maxima libertas est, servire justitiæ, et à peccato esse liberum.

AMOLO Lugdun. Archiep. *Opus* 2. *de præscientia seu prædest.* Oportet etiam ut credamus, liberum et rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini à Deo naturaliter insitum, ita primæ prævaricationis merito esse viliatum, infirmatum, et depravatum, ut ad amorem veritatis et justitiæ assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum, ac vegetatum, et à suæ pravitatis vitio liberatum. Hinc enim Scriptura dicit, *creavit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* (*Eccle.* VII. 30.) Et post hunc humanæ depravationis lapsum quid subjectum sit, eadem Scriptura sic dicit: *Sensus enim et cogitatio humani cordis prona est ad malum.* (*Genes.* VIII. 21.) Hunc itaque liberi arbitrii languorem, quo sensus hominis et cogitatio, ex vitio damnatæ originis, prona, et intenta est ad malum, et ipsum liberum arbitrium tenetur captivum, solus ille sanat medicus, solus ille liberat, et reddit liberum liberator, qui de seipso ait, *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* (*Matth.* IX. 12.) Et iterùm: *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Ipse liberum arbitrium reddit suâ gratiâ liberatum: ut sicut erat pronum et promptum ad malum, multò attentiùs et delectabiliùs efficiatur pronum et promptum ad bonum. De qua libertate Apostolus ait, *ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas...* (2. *Cor.* III. 17.) Humiliatâ omni humanâ superbia, et omni de suis viribus præsumptione depositâ, subjiciat se unusquisque et commendet fideliter Deo regendum, et ejus virtute protegendum, ejus bonitate juvandum, ejus gratiâ conservandum et perficiendum. Quæ nulla est alia, nisi misericordia et benignitas redemptoris.

LACTANT. FIRM. *Divin. instit. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 16. *pag.* 180. Excogitavit tamen Deus inenarrabile opus, quemadmodum in finitam multitudinem crearet animarum, quas primò fragilibus, et imbecillis corporibus illigatas constitueret inter bonum, malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicatè assequerentur, ac molliter, sed ad illud æternæ vitæ ineluctabile præmium summa cum difficultate, ac magnis laboribus pervenirent. Cur igitur cum mortalem finxit, et fragilem, cùm illius causâ mundum ædificasset... Deinde ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum, ac laborum, per quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat, corpore atque animâ, quorum alterum terrenum

est, alterum cœleste, duæ vitæ homini attributæ sunt, una temporalis, quæ corpori assignatur, altera sempiterna, quæ animæ subjacet. Illam nascendo accepimus, hanc assequimur laborando, ne immortalitas homini, ut antè diximus, sine ulla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus, et ideò finitur; hæc verò cœlestis, sicut anima, et ideò terminum non habet. Illam primam nescientes accepimus, hanc secundam scientes; virtuti enim, non naturæ datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare. Idcircò hanc præsentem dedit, ut illam veram, et perpetuam aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur... Homo autem rectus in cœlum spectat, quia proposita est illi immortalitas; nec tamen venit, nisi tribuatur homini à Deo. Nam nihil interesset inter justum, et injustum, si quidem omnis homo natus immortalis fieret. Ergo immortalitas non sequela naturæ, sed merces, præmiumque virtutis est... Ratio docet, mortalem nasci hominem, posteà verò immortalem fieri, cùm cœperit ex Deo vivere, id est, justitiam sequi, quæ continetur in Dei cultu, cùm excitaverit hominem Deus ad aspectum cœli, ac sui. Quod tum fit, cùm homo cœlesti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris; et incremento divini vigoris acceptò fit homo perfectus, ac plenus... Propterea igitur coli se Deus expetit, et honorari ab homine tanquam pater, ut virtutem, ac sapientiam teneat, quæ sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet, pietatem hominis quâ Deum honoraverit, hoc afficit præmio, ut sit in æternum beatus, sitque apud Deum, et cum Deo semper.

Venerab. HILDEBERT. *Tract. Theolog. cap.* 22. *de libero arbitrio.* Præter alias pœnalitates pro peccato illo incurrit homo pœnam de passione liberi arbitrii. Ut enim Augustinus dicit in Enchiridio (*Cap.* 30. *n.* 9.) *Homo male utens libero arbitrio, et se perdidit et ipsum.* Videndum est itaque quid sit liberum arbitrium, et quale ante peccatum fuerit, et qualiter depressum sit per peccatum. Sic potest definiri. Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis, quâ bonum eligitur gratiâ cooperante, vel malum eâ deserente, et consistit in duobus, scilicet in voluntate et ratione; liberum namque dicitur quantùm ad voluntatem; arbitrium quantùm ad rationem. Rationis est videre quid sit eligendum, vel non; voluntatis est appetere; et ita ratio tanquam pedissequa monstrat viam consulendo illud quod videt faciendum, dissuadendo contrarium. Voluntas tanquam domina ducit secum rationem ad quodcunque fuerit inclinata. Non enim trahitur voluntas à ratione, sed solùm monstrat ratio quid appetere debeat voluntas: ratio verò trahitur à voluntate, et ducitur etiam illis quæ fiunt contra rationem. Naturaliter namque ratio contradicit, hoc est, non esse illud faciendum judicat, et tamen vincitur, et consentit; et quoniam in istis duobus consistit liberum arbitrium, soli rationali creaturæ datum est.

Cùm itaque habeamus communem cum pecoribus sensum et appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penès quod omne meritum consistit. Cùm enim nullâ vi, nullâ necessitate cogatur, non meritò beatitudinem seu miseriam promeretur, sensus autem et appetitus, nec beatum, nec miserum faciunt... Sola itaque voluntas, quæ semper libera est, et nunquam cogi potest, meritò apud Deum judicatur; ea semper à necessitate libera est. Ubi enim necessitas, ibi non est libertas, nec voluntas, et ideò nec meritum... Possunt in homine quatuor status liberi arbitrii considerari. Ante peccatum ad bonum nihil impediebat, ad malum nihil compellebat. Tunc sine errore ratio judicabat, sine difficultate voluntas bonum appetebat. Post peccatum verò antequam per gratiam sit reparatum, premitur à concupiscentia, et vincitur. Post reparationem ante confirmationem, quæ erit in futuro, premitur, sed non vincitur. Post confirmationem nec poterit premi, nec vinci. Est namque triplex libertas; à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate et ante peccatum, et post peccatum, æqualiter liberum est. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita et modò est. Hæc libertas æqualiter est in omnibus, non minor in malis, quàm in bonis; tam plena est post peccatum, quàm ante peccatum. Est alia libertas, à peccato scilicet, de qua dicit Apostolus: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas....* (2. *Cor.* III. 17.) Istam liberta-

tem homo peccando amisit, et hoc est quod Augustinus ait: *Homo malè utens libero arbitrio se perdidit et ipsum.* Non est amissa libertas à necessitate, sed libertas à peccato. *Qui enim facit peccatum servus est peccati.* (*Joan.* VIII. 34.) Hanc libertatem, quæ est à peccato, illi soli habent qui per gratiam reparantur, non quòd penitùs sine peccato sint, sed quòd non dominatur eis peccatum; et hoc propriè appellatur libertas.

Quæst. 38. *per* S. HILDEG. *solut. pag.* 588. *Tom.* 23. *Bibl. PP. Lugd.* Gratia Dei et liberum arbitrium hoc commune habent, quòd homo in scientia boni et mali, utrumque et bonum et malum ad operandum eligere potest: et quòd per proprietatem liberi arbitrii secundùm gustum et desiderium carnis, quæ nunquam coactus dimittere potest, elegerit, hoc diabolo adjuvante perficit, et quòd secundùm voluntatem animæ elegerit, hoc gratiâ Spiritûs sancti adjuvante perficit.

HUGON. Archiepisc. *Dialog. lib.* 3. *n.* 3. *pag.* 922. *apud* EDM. MARTENNE *Thes. Anecdot. novi Tom.* 5. Ipse qui essentialiter vita et æternitas et beatitudo est, pro sua ineffabili charitate liberum arbitrium Angelo et homini largitus est, quo utique consequi posset ex gratia quod non acceperat in natura, Angelus scilicet beatitudinem, homo verò æternitatem et beatitudinem. Quia ergo uterque liberum arbitrium habuit, debuit uterque ac potuit eum à quo est et cui debet quod est præ omnibus singulariter amare, et amoris merito beata manere, non quidem in se, sed in eo qui summè est, qui essentialiter vivens, et æternus beatus est. Hic amor, hæc charitas sive dilectio, tam in homine quàm in Angelo, propriè bonum eorum esse dicitur, quo supra se ad Deum humiliter elevantur. Angelus itaque vel homo, dum collato sibi libero benè utuntur arbitrio, rectè boni dicuntur et inhærentes ei qui summus est, dum plenâ charitate ad eum elevantur, exutâ mutabilitate suâ, immutabili gloriæ Dei sociantur. E contrà, si indebitâ concupiscentiâ homo vel Angelus avertit se ab eo qui summus est, dum retrogrado amore inclinat se ad id quod minus est, mox arbitrii gratiâ miser abutitur, summàque justitiâ, quam non potest effugere, non arbitrio, sed arbitrii libertate privatur, ita ut non possit quod antè potuit, quia voluit quod velle non debuit. Sentit quidem ratione se cecidisse in culpam, et ad redeundum non esse liberum. Declinare quidem à bono per seipsum potuit, si tamen hoc posse fuit. Defectus est enim ab eo quod benè potuit. Potuit quidem cum gratia creatoris; quo contempto, ad non posse devenit. Hic contemptus, hæc negligentia seu malevolentia propriè malum ejus esse dicitur. Undè malus et ipse propriè nuncupatur.

N. 4. Peccatum omninò nihil aliud est nisi rationalis creaturæ vitium. Quæ enim declinat à bono sibi à suo Conditore proposito, quo ipsum qui summè est, debuit amare, et amando percipere, et percipiendo beata manere, non in aliud ipsa convertitur, sed arbitrii sui libertate privatur, dum propriam voluntatem, quam creatura habere non debet, creatori suo præponere nititur... Privilegium sanè voluntatis propriæ soli convenit Creatori, qui nihil debet alicui, sed prout vult, omnia facit. Creatura verò, quæ omne quod habet et quod potest et quod ipsa est debet Creatori, suam quoque voluntatem omni modo debet illi *per quem omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (*Joan.* I. 3.) Creatura itaque rationalis seu intellectualis, bona, quia à bono conditore benè condita, et libertate arbitrii dotata, conditorem suum jure debito debet diligere, et ejus instituta studiosè servare: quæ si servare contempserit, contemptus meritò arbitrii libertate carebit, amissamque sibi reddere non poterit. Hanc enim à semetipsa non habuit, sed à Conditore suscepit, et abutendo perdidit.

N. 5. *Int.* Liberum, de quo agis, arbitrium ferè sonat in ore omnium. Sed fateor, quid sit illud ipse nescio. *Resp.* Liberum, ut sentio, arbitrium est quidam motus intelligentiæ rationalis, habens possibilitatem quod judicat exsequendi. Hoc itaque libero rationalis voluntatis judicio tam homo quàm Angelus accepto, dum super omnia Creatorem attendit, et creaturam inferiùs respicit, judicat verè factori omnimodis obsequendum et factis pro voluntate factoris utendum. Sed hoc ejus judicium minimè constat liberum, nisi cùm efficit quod novit agendum. Efficit autem dum Creatorem diligit, et ejus voluntatem, suâ postpositâ, ser-

vando cognoscit. Quòd si servare detrectat quam singulariter servandam verè judicat, suo ipse judicio contradicit, meritoque libertatem judicandi transgressor amittit. Ut verò justitiæ libertatem servare deserit, jure debito traditur vitiis. Amissâ itaque arbitrii libertate, captivus remanet sub peccati compede. Libertatem enim quam proprio vitio deserit, reparare sibi ipse nullo modo sufficit. Hæc enim nisi à quo dari potuit, reddi non poterit. Hinc veritas ait : *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 26.) Post lapsum ergo non possunt esse liberi, nisi per unicum Filium Dei liberati. Videant quid dicant qui vociferando asserunt liberum arbitrium à Deo datum ad bonum pariter et ad malum. Peccando namque amittitur, amissumque nisi per gratiam minimè reparatur.

N. 10. Verè ergo juxta Dei providentiam facta est Angeli et hominis rationalis natura, et utrisque data liberi arbitrii facultas. Quare sicut Deus prævidit, utrumque præditum arbitrii libertate condidit, quâ libertate Angelus et homo benè uti debuit et potuit. Quòd si tanto abusus munere neglexit, jure culpandus est qui benè potuit, sed malè voluit. Habens itaque à Deo posse bonum, non debuit apponere velle malum : quod quia transgressor apposuit, justo Dei judicio miser accepit, ut per velle malum amitteret bonum posse. Factus itaque sub velle malo captivus, se non posse quod velit dolet : qui si obediens mansisset sub Deo, posset omne quod vellet. Qui ergo contempsit Dominum, jure perdidit posse bonum sibi à Domino præstitum ; et miser tenuit non posse quod velit, qui velle malum perversè concepit. Non itaque necessariò cecidit. Non enim eum Deus omnium præscius casurum necessitate sed propriâ voluntate prævidit. Minimè ergo Dei providentia cadere eum facit, quem proprio casurum vitio prævidit... Inter omnia autem provisa pariter est liberi arbitrii facultas : quam sicut Deus prævidit, sic eam et Angelo et homini dedit. Quapropter tam homo quàm Angelus pro facultate liberi arbitrii inter omnia quæ facta sunt currit absolutus, quandiu facultate liberi arbitrii benè sub Deo utitur. Servatâ igitur istâ sibi ab eo præstitâ libertate, non cogitur necessitate : qui si negligendo declinat à bono, culpâ suâ exuitur libertate, et servus remanet sub vinculo culpæ.

PETR. LOMBARD. Episc. Paris. *Sentent. Lib.* 2. *Distinct.* 25. *pag.* 160. Possunt in homine notari quatuor status liberi arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nihil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum, et habuit adjutorium ad bonum. Tunc sine errore ratio judicare, et voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. Post peccatum verò ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia et vincitur, et habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono : et ideò potest peccare, et non potest non peccare : etiam damnabiliter. Post reparationem verò, ante confirmationem premitur à concupiscentia, sed non vincitur : et habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono : ut possit peccare propter libertatem et infirmitatem, et possit non peccare ad mortem propter libertatem, et gratiam adjuvantem : nondum tamen habet posse omninò non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfectè absorptam, et propter gratiam nondùm plenè consummatam. Post confirmationem verò infirmitate penitùs consumptâ, et gratiâ consummatâ, nec vinci poterit, nec premi, et tunc habebit non posse peccare.

De corruptione liberi arbitrii per peccatum. Undè manifestum est, quòd præter alias pœnalitates pro peccato illo, incurrit homo pœnam in corruptione et depressione liberi arbitrii. Per illud namque peccatum naturalia bona in ipso homine corrupta sunt, et gratuita detracta. Hic est enim ille qui à latronibus vulneratus est et spoliatus. Vulneratus quidem in naturalibus bonis quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatio : spoliatus verò gratuitis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerant. Hæc sunt data optima, et dona perfecta (*Jacob.* I. 17.) ; quorum alia sunt corrupta per peccatum, id est naturalia ; ut ingenium, memoria, intellectus : alia subtracta, id est gratuita, quanquam et naturalia ex gratia sint : Ad generalem Dei quippe gratiam pertinent. Sæpè tamen hujusmodi fit distinctio, cùm gratiæ vocabulum ad speciem non ad genus refertur. Corrupta est ergo libertas arbitrii per peccatum : et ex parte perdita. Undè August. in Enchir. (*Cap.* 30.) *Libero arbitrio malè utens*

homo, et se perdidit et ipsum. Cùm enim libero arbitrio peccaretur victore peccato, amissum est et liberum arbitrium. " *A quo enim quis devictus est, huic servus addictus est.* (2. *Petr.* II. 19.) Ecce liberum arbitrium dicit hominem amisisse : non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrii perdidit : non quidem omnem, sed libertatem à miseria et à peccato.

De tribus modis libertatis arbitrii. Est namque libertas triplex, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria. A necessitate : et ante peccatum et post æquè liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Ideoque voluntas meritò apud Deum judicatur : quæ semper à necessitate libera est, et nunquam cogi potest. Ubi necessitas, ibi non est libertas : ubi non est libertas, nec voluntas, et ideò nec meritum. Hæc libertas in omnibus est, tam in malis quàm in bonis. Est et alia libertas, à peccato, scilicet de qua dicit Apostolus, *ubi spiritus Domini, ibi libertas.* (2. *Cor.* III. 17.) Et veritas in Evangelio, *Si filius vos liberavit, verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Hæc libertas à servitute peccati liberat, et servos justitiæ facit : sicut e converso servitus peccati liberos justitiæ facit : undè Apostolus, *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.* (*Ibid.* 20.) Hanc libertatem peccando homo amisit. Ideoque Augustinus dicit, (*Enchir. cap.* 30.) *quòd homo malè utens libero arbitrio, et se perdidit et ipsum ;* quia perdita est per peccatum libertas non à necessitate, sed à peccato. *Qui* enim *facit peccatum, servus est peccati.* (*Joan.* VIII. 34.)

RICHARDUS à S. VICTORE *part.* 1. *Tract.* 1. *de statu inter. hominis, cap.* 23. Sed si diligenter attendimus, puto quia invenimus hominem non modò libertate non carere, sed magnam (imò summam) libertatem possidere. Primus siquidem libertatis gradus est nulli coactioni subjacere ; secundus autem nulli subjici debere ; tertius verò (et ipse summus) nulli penitùs subjici posse. Quomodo ergo arbitrium hominis verè (immò summè) liberum non est, quod suâ libertate nullâ vi, nullâ potestate privari potest. Nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet. Sed quomodo vel Creator hoc potest, qui nihil quod non decet facere potest ? Si igitur nullâ violentiâ arbitrium potest suâ privari libertate, constat illud summam libertatem habere. Nihilominùs tamen (ut superiùs monstratum est) voluntas voluntati contradicit, et voluntas voluntati resistit, et alia ab alia impugnatur, et nunc hæc, nunc illa captivatur. Sed in hujus congressionis certamine sicut voluntas est quæ oppugnat et voluntas quæ oppugnatur, sic voluntas est quæ superat, et voluntas quæ superatur. Sed in his omnibus manet libertatis integritas, quia semper triumphat voluntas. Hæc itaque arbitrii libertas nec in bonis major, nec in malis est minor, quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur. Quæ enim in omnibus summum gradum obtinet, sicut nec crescere, sic nec decrescere habet. Sed sicut est miranda, arbitrii libertas, ab alio cogi non posse, sic miseranda prorsùs infirmitas in seipso, ad omne bonum torpere.

ADAM. PRÆMONST. *lib.* 3. *de Tripart. Tabern. Part.* 3. *cap.* 5. *n.* 146. *pag.* 421. Mens namque secundùm voluntatem suam se movet, ex se, et per se movetur ; quia ejus est, se movere, sive benè moveatur, sive malè. Benè movetur, quando ad bonum movetur, id est, ad justitiam : et malè quando ad malum, id est, ad culpam. Ejus est utrumque, et ad bonum videlicet, et ad malum moveri ; quia ad volendum, sive ad nolendum nullâ violentiâ impellitur : sed propriæ voluntatis libertate ex se, et per se graditur. Corporis verò motus motum mentis et promptè subsequitur, et efficaciter exsequitur : talisque succedit in actione, qualis ille præcedit in voluntate. Motus autem sensualitatis utrique huic prædicto motui favens, inter utrumque medius in delectatione discurrit, utrumque amplectens, et in utroque sibi placens. Cùm igitur hæc ita sint, australis tabernaculi paries bonum mentis exprimit motum ; quia mens (ut jam dictum est) ex se quidem moveri habet : sed ut bonus esse possit, secundùm se moveri non debet, sed potiùs secundùm illum, qui per australem accipitur, conditorem videlicet, et dispositorem suum Spiritum sanctum, ut tunc et ad id in voluntate se moveat, quando et ad quod bonorum omnium infusorem, et ordinatorem Spiritum sanctum velle cognoverit : quatenùs ejus voluntati nullatenùs vel superbè contraire, vel subdole eam

audeat prævenire. Malum namque nunquam volens ; et si malum aliquando esse volens, bonorum omnium inspirator, et prosecutor Spiritus sanctus, semper quidem vult, ut bonum semper, et malum nunquam faciamus : nec tamen vult, ut idem semper bonum faciamus ; quia, sicut malum nunquam, nisi illicitè potest admitti ; ita et bonum aliquando licitè potest omitti : in tantum, ut, cùm omnia tempus habeant, suam nimirùm bonitatem, ipsum etiam nonnunquam bonum in aliquo omittat, si congruo tempore factum non est. Vergit itaque in tabernaculo paries iste ad austrum ; quia, ut in nobis, qui Dei tabernaculum esse debemus, ordinatus sit motus mentis, necesse est, ut tam in volendo, quàm in nolendo imitetur Spiritûs sancti inspirationem ; ut diligenter (inquam) quid ipse, et quando velit, vel nolit exquirat, et in utroque eum obedienter sequi studeat, quatenùs ejus... voluntatem nec fraudulenter prævenire, nec arroganter ei audeat contraïre.

S. THOM. *part.* 1. *quæst.* 83. *art.* 1. Conclusio. *Cùm homo sit rationalis, liberi etiam arbitrii necessariò est.*

Respondeo dicendum, quòd homo est liberi arbitrii ; alioquin frustrà essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, et pœnæ. Ad cujus evidentiam considerandum est quòd quædam agunt absque judicio ; sicut lapis movetur deorsùm.... Sed homo agit judicio ; quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum : sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero judicio, potens in diversa ferri : Ratio enim circa contingentia habet viam ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis : et rheloricis persuasionibus : Particularia autem opera sunt quædam contingentia : et ideò circa ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum : et pro tanto necesse est quòd homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso quòd rationalis est.

Ad tertiam, dicendum quòd liberum arbitrium est causa sui motûs ; quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum : Non tamen hoc est de necessitate libertatis quòd sit prima causa sui id quod liberum est ; sicut nec ad hoc quòd aliquid sit causa alterius, requiritur quòd sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias : Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales ; ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit : Operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.

Ad quartum, dicendum quòd dicitur *non esse in homine via ejus* (*Jerem.* x. 23.), quantùm ad exsecutiones electionum, in quibus homo impedirì potest, velit, nolit. Electiones autem ipsæ sunt in nobis ; supposito tamen divino auxilio.

JOAN. GERSON. *lib. de peccato actuali, etc. tit. de libero arbitrio.* Liberum arbitrium secundùm Aug. dicitur facultas rationis et voluntatis, quâ eligitur bonum gratiâ existente, et malum gratiâ desistente. In qua definitione ponitur ratio ut consiliarius, et voluntas ut imperans. Ratio enim dicit aliquid esse bonum vel malum, et voluntas facere vel non facere imperat. Ex qua etiam definitione ac etiam ipsa liberi arbitrii denominatione, clarum est quòd liberum arbitrium rationem et voluntatem comprehendit. Arbitrium est ipsius rationis, libertas autem est ipsius voluntatis. Est tamen circa hoc advertendum quòd liberum arbitrium dupliciter considerari potest. Uno modo simpliciter secundùm se et suam essentiam, et tunc liberum arbitrium nihil addit supra rationem et voluntatem, et isto modo considerando non propriè sibi competeret definitio suprà posita, nec propriè tunc deberet dici vis animæ rationalis imperativa. Alio modo potest considerari secundùm quid et secundùm quamdam relationem, et tunc aliquo modo addit ultra rationem et voluntatem, non quidem quòd in ratione et voluntate ponat aliquam novam qualitatem esse, sed solùm quamdam liberam et naturalem aptitudinem et facultatem concurrentiæ rationis et voluntatis ad aliquem actum, et tunc propriè sibi competit definitio prædicta, quòd scilicet est facultas sive consensus voluntatis et rationis, et importat seu dicit illa facultas quoddam dominium ad aliquid disponendum et faciendum quod non est rationis tantùm, nec voluntatis

tantùm, nisi aliâ concomitante et contradicente. Sicut per quoddam exemplum ex concursu virtutis manûs et virtutis oculi resultat potestas scribendi, ad quod tamen altera ipsarum virtutum per se non sufficeret. Sic ex concursu rationis et voluntatis resultat quædam libertas sive quoddam dominium ad aliquid disponendum et faciendum, ad quod altera ipsarum per se non sufficeret. Et istud propriè dicitur liberum arbitrium, et tunc propriè dicitur vis motiva animæ rationalis imperativa.

Tract. de Castit. Ecclesiast. pag. 499. Datum est et insitum hominibus liberum arbitrium quo reliqua carent omnia (animalia.) Est autem liberum arbitrium facultas rationis et voluntatis, quasi liberum de ratione judicium. Hinc dominium accepit super irrationabilia quælibet, quasi servilia sub libero. Hinc semetipsum per illud liberum arbitrium regere debet sub quo est appetitus suus sensualis, ut dominetur illius... Hinc deviando per plus et minus debito jure culpatur.

In Descript. terminorum ad Theolog. utilium. Liberum arbitrium est facultas rationis atque voluntatis, potens imperare cæteris viribus cognitivis et affectivis, immò rationi et quandoque voluntati cum cæteris respectibus. Imperium liberi arbitrii, est dominium rationis dictantis aliquem motum et voluntatis exsequentis illum in vires inferiores, vel tanquam inferiores in hoc obedientes.

De Consolat. Theol. prosa 2. *lib.* 2. Superest alia perfectior operatio rationalis animæ supra brutales, in qua convenit cum Angelis, quam operationem dicimus intellectualem, in qua radicatur libertas arbitrii, quæ libertas est facultas rationis et voluntatis, quia nec voluntas sine ratione eligeret, nec ratio sine voluntate vellet; libertas idcircò complectitur utramque vim.

Ad Paginam **134**, *lin.* 34.

(M) CONCIL. ARAUSIC. II. *Capitul.* 1. *ann. Christ.* 529. *pag.* 1667. *Tom.* 4. *Concil. edit. Labb.* Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundùm corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti: *anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII. 4.), et, *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis?* (*Rom.* VI. 16.), et, *à quo quis superatur, ejus et servus addicitur.* (2. *Petr.* II. 19.)

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decreto de Justificat. cap.* 1. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (K)

Can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè et per se, adeò ut sit ejus proprium opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.

PALLAVICIN. *Hist. Concil. Trid. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 7. Pergit Decretum, *in eis liberum arbitrium minimè exstinctum esse, viribus licet attenuatum et inclinatum.* Dicebatur anteà, humanum arbitrium esse *vulneratum*: optabant aliqui ut hoc deleretur: alii ut adderetur ad rem explicandam, *subtractis donis gratuitis*: nam in reliquum, aiebant illi, naturalem volendi nolendive libertatem æquè ac anteà inesse homini: quòd si nomine libertatis intelligeretur ea, per quam anteà homo liber à peccato fuerat; hanc non esse modò vulneratam sed exstinctam. Verumtamen priori parti à delectis Patribus responsum, docuisse Magistrum Sententiarum, hominem vulneratum esse in dotibus naturæ debitis, et naturam superantibus spoliatum; et S. Augustinum inter originariæ noxæ detrimenta connumerasse difficultatem honestè agendi. (*De liber. arbitr. lib.* 3. *cap.* 18.) Alteram etiam partem falsam esse, quoniam homo suo libero arbitrio aliquid simul agit cum Deo, cùm per ipsius gratiam à peccato resurgit. Posteà pro voce *vulneratum*, repositæ sunt eæ quas retulimus, *attenuatum et inclinatum* quæque hodie leguntur, et æque cunctis Scholasticorum sententiis aptari possunt: quarum sententiarum altera hanc attenuationem inclinationemque contrahit ad solam donorum gratuitorum jacturam; altera verò eam ampliat ad aliquam in deterius mutationem illius statûs, qui naturâ suâ homini convenisset.

S. HIERON. *Epist.* 43. *ad Ctesiph. adv. Pelag. pag.* 480. A me nunquam

audies malam esse naturam. Sed quomodo sit carnis fragilitas disserenda, ipso qui scripsit docente, discamus. Interroga eum quare dixerit : *Non enim quod volo bonum hoc operor : sed quod odi malum, illud facio.* (*Rom.* VII. 15.) Quæ necessitas illius impediat voluntatem, quæ tanta vis, odio digna imperet facere : ut non quod vult, sed quod odit et non vult, facere compellatur ? Respondebit tibi : *ô homo, tu quis es qui respondeas Deo.* (*Rom.* IX. 20.)

Pag. 481. Novi me multa velle, quæ facienda sunt, et tamen implere non posse. Spiritùs enim fortitudo ducit ad vitam ? sed carnis fragilitas ducit ad mortem.

S. AUG. *lib. de vera Relig.* Defectus autem iste quod peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, rectè injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, et quæ damnatio nuncupatur. Nunc verò usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium : et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui et pœnitendo eam corrigi fatetur, et veniam pœnitenti dari, et perseverantem in peccatis justà lege Dei damnari. Postremò, si non voluntate malè facimus, nemo objurgandus est omninò, aut monendus. Quibus sublatis Christiana lex et disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

Confession. lib. 7. *cap.* 3. *n.* 5. Et intendebam ut cernerem quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium causam esse ut malè faceremus, et rectum judicium tuum pateremur, et eam liquidè cernere non valebam. Itaque aciem mentis de profundo educere conatus mergebar iterùm, et sæpe conatus, mergebar iterùm atque iterùm. Sublevabat enim me in lucem tuam quòd tam me sciebam habere voluntatem quàm me vivere. Itaque cùm aliquid vellem aut nollem, non aliud quàm me velle ac nolle certissimus eram, et ibi esse causam peccati mei jam jamque animadvertebam. Quod autem invitus facerem, pati me potiùs quàm facere videbam, et id non culpam, sed pœnam esse judicabam ; quâ me non injustè plecti te justum cogitans citò fatebar.

De Genes. ad litt. lib. II. *cap.* 4. *n.* 6. Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset benè vivere, quia nemo malè vivere suaderet ; cùm et in natura posse, et in potestate haberet velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* IV. 6.) Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat, cùm id facturus esset propriâ voluntate per culpam, et ordinandus esset illius æquitate per pœnam : ut etiam sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quàm rectè ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cùm illæ perversè uterentur naturis bonis.

Enarr. in Psal. CI. *Serm.* 1. *n.* 11. Idcò sequitur me pœna, quia dedisti mihi liberum arbitrium. Si enim mihi non dedisses liberum arbitrium, et per hanc rationem pecoribus me non faceres meliorem, non me sequeretur damnatio justa peccantem. Ergo per arbitrium liberum levasti me, et per justitiæ judicium elisisti me.

Act. cum Felice Manich. lib. 2. *cap.* 11. Aug. dicit : Quos Christus redemit à diabolo, per consensionem suam tenebantur à diabolo, et in ejus conditione constituti erant per justum Dei judicium, cui seducenti consenserant per liberum arbitrium. Sicut autem in hominis potestate fuit diabolo consentire, ut captivaretur : sic in ipsius diaboli potestate fuit, cùm Angelus esset, peccare, ut in deterius mutaretur. Peccator ergo Angelus per liberum arbitrium, suasit peccatum homini habenti liberum arbitrium ; ut diabolus si noluisset non peccasset, et homo si noluisset non consensisset. Cùm autem jam ab illo cui consenserat teneretur, non quia diabolus aliquid potuit, sed quia justum Dei judicium fuit et ejus legi obtemperare noluit.

S. PROSPER *Carm. de Ingratis part.* 2. *cap.* 27.

In primo cuncti fuimus patre...
Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus....
Hinc animi vigor obtusus, caligine terra
Induitur, nec fert divinæ fulgura lucis
Lumen iners : tunc arbitrium per devia lapsum
Claudicat, et cæcis conatibus inque ligatis
Motus inest, non error abest. Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid quò se ferat ; et labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis tumet et timet, omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.
Hoc itaque arbitrium sanat gratia...
Hujus ope et fructu vescendum est, ut revalescens
Languida mens, etiam propriis benè viribus uti
Possit, et in Christo inveniat quod perdidit in se.

S. GAUDENT. Brixiens. Episc. *ad Neophyt. de Machab. Mart. et eor. nat. die serm.* 15. *pag.* 967. Audi modò generalem de creatis omnibus divinæ Scripturæ sententiam, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et erant bona valdè*, (*Genes.* I. 31.) Tamen quia veritatis ratio postulabat, et servilis humana conditio legem Dei damnantis acceperat, proprii arbitrii libertati permissa ; unam Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradisi, non utique mala, sed in qua esse scientia boni et mali videretur, in qua servorum suorum obedientiam pertentaret ; ut libertas arbitrii vel immortalitatis præmium possideret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam. Manducavit homo, quia voluit ; mandatum non custodivit, quia noluit : morte mulctatur, quia mandatum servare potuit et non studuit. Arbor quidem bona et fructus quidem bonus ; sed prævaricatio mandati mala, et contemptus Dei malus : atque ita, malum non in fetu arboris est, sed in voluntate hominis transgressoris.

D. BRUN. *Exposit. in Psal.* LXXVII. *pag.* 316. Et postquam eos repellit, tradit, id est tradi permittit virtutem eorum in captivitatem, scilicet liberum arbitrium eorum quod priùs erat firmum, et ut ita dicam virtuosum, permisit captivari, id est, infirmum et impotens ad benè agendum, fieri, ad similitudinem captivi qui virtute suâ nequit uti.

GILLEBERT. Abbat. *Epist. ad Frat. de Monte Dei, cap.* 15. *n.* 50. Spiritus enim hominibus in appetitu boni subtilis et efficacis naturæ conditus, et in arte creatricis sapientiæ omni corpore melior, omni etiam luce corporeâ lucidior ac dignior, ob imaginem Conditoris, et capacitatem rationis ; vitio tamen carnalis originis implicitus, peccati servus effectus est, et captivus in lege peccati, quæ est in membris. Nec tamen omninò amisit arbitrium, id est judicium rationis in judicando et discernendo, quanquam libertatem suam amiserit in volendo et agendo. Nam in pœnam peccati, et testimonium amissæ dignitatis naturalis, positum est in signum ei arbitrium, sed captivum. Quod etiam ante conversionem et liberationem voluntatis, nunquam perdere potest ex toto ullâ aversione ipsius voluntatis. In quo etiam cùm eo abutitur in eligendo malum pro bono, sicut dictum est, melior est et dignior omni corporeâ creaturâ, et in se, et in arte creatricis veritatis. Liberatur verò voluntas, quando efficitur charitas : cùm *charitas Dei* diffunditur *in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datur nobis.* (*Rom.* V. 5.) Et nunc verè est ratio, hoc est habitus mentis per omnia conveniens veritati. Cùm enim liberatâ voluntate per liberantem gratiam, spiritus agi incipit liberâ ratione, tunc suus est, hoc est seipso liberè utens efficitur, et fit animus, et bonus animus. Animus, inquam, in quantum benè animans, et perficiens animal suum supplemento liberæ rationis. Bonus autem, in quantum jam amans bonum suum, quo bonus fit, et sine quo nec bonus, nec animus esse potuit.

Venerab. GUIB. Abbat. *de Pignorib. sanct. lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 347. Primus, inquam, homo ante peccatum, si dicere audeam, passibilis et impassibilis, mortalis etiam et immortalis fuit : quia ad passiones et mortem per peccatum suo, sed non libero, abusus arbitrio labi potuit : et si intra veram se libertatem non peccando continere voluisset, impassibilis proculdubio perseverans mori nullatenùs potuisset.

F. Anton. Marinar. Carmelit. *Orat. ad Trid. Synod. habit.* 4. *pag.* 999. Porrò lex illa naturæ, similitudo quædam divinæ legis, descriptio æternæ illius mentis rerum omnium principis, juris et injuriæ regula, humano cordi, ut lumen oculis indita, quanquam ante lapsum clara erat, cui etiam arbitrii vires congruebant, quæ ab illius ordine non retrahebantur, tamen post lapsum deformata est : accessit enim ei propter peccati labem, velut caligo quædam priorem detrahens claritatem, arbitriumque ob contrarios membrorum impetus tyrannide peccati effrenatos ab ea deficere cœpit.

Ad Paginam **134.** *lin.* 36.

(N) **Conc. Valent. III.** *Can.* 6. *pag.* 137. *Tom.* 8. *Concil. edit. Labb.* Item de gratia per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit : et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato, et sanato, idipsum constantissimè patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum relinquerunt ; quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholicæ fide tenuerunt.

Concil. Tull. I. *apud Saponar. ann. Christ.* 859. *Can.* 6. *pag.* 691. Item de gratia per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, etc. *ut in Synodo Valentina, can.* 6.

Concil. Tull. II. *ann.* 860. *apud Tusiac. Vill. Epist. Synod. pag.* 707. *Tom.* 8. *Concil. edit. Labb.* Duas quoque harum creaturarum suarum rationales creaturas, scilicet Angelicam et humanam, imaginis et similitudinis suæ dote ditatas, cum libero arbitrio condidit : ut sicut ipse non necessitate, sed naturâ est bonus et voluntariè, et ita ipsæ rationales creaturæ non constrictæ necessitate, sed bonæ essent, ut naturâ, ita et voluntariè. Quia si tales essent, ut liberæ voluntatis arbitrio malum vitare, et bonum non possent agere, lapidibus, et cæteris rebus insensibilibus, atque irrationalibus potiùs quàm Deo similes essent, et meritò illius retributione carerent, nec esset undè pro qualitate voluntatis et actionis remunerarentur à Deo. Qui idcò bonus est, quia vult, non quia cogitur : quique bonum velle non ex accidenti, sed ut et bonus et omnipotens esset essentialiter habet.... Sic ad omnipotentis hoc vel magis omnipotentiam pertinet ; quia aliud non potest quàm bonum velle, et aliud quàm bonus et omnipotens esse, et seipsum negare, peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miser fieri, seu vinci non potest. Hæc atque hujusmodi absit ut possit omnipotens. Sed quia non vult, non potest, quia et velle non potest. Non enim potest justitia velle facere quod injustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Ac per hoc non solùm ostendit veritas omnipotentem non esse, quòd ista non possit : sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse, qui hæc possit. Volens enim est Deus quidquid est. Æternus ergo, et incommutabilis, et verax, et beatus, et insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est. Est autem omnipotens : ergo quidquid vult potest : et ideò quod non vult, esse non potest, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult potest. De quo et Psalmus dicit : *in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit fecit.* (*Ps.* **cxxxiv.** 6.) Nihil enim in cœlo vel in terra fit, nisi quod ipse aut propitius facit, aut fieri justè permittit. *Qui vult omnes homines salvos fieri* (1. *Tim.* **ii.** 4.), *et neminem vult perire.* (2. *Petr.* **iii.** 9.) Sed justus Dominus justitiam diligens, et iniquitatem non volens, eis quod ad imaginem et similitudinem suam fecit, nec post primi hominis casum vult tollere violenter suæ voluntatis arbitrium liberum ; quibus reddere paratus est meritum, ut Scriptura demonstrat : *Quis est*, inquiens, *homo qui vult vitam* (*Ps.* **xxxiii.** 13.) ? et acsi respondenti, Ego, Dominus dicit : *Diverte à malo, et fac bonum.* (*Ibid.* 15.) Et è regione volens salvari dicit : *voluntariè sacrificabo tibi* (*Psal.* **liii.** 8.) : et, *Ex voluntate mea confitebor illi.* (*Psalm.* **xxvii.** 7.) De quo scriptum est : *Quia non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* (*Ps.* **lxxxiii.** 13.) Ut autem ambulantes ambulent et perseverent in innocentia, sanat et adjuvat eorum arbitrium gratia, attestante Apostolo : *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi : non autem ego, sed gratia Dei mecum.* (1. *Cor.* **xv.** 10.) Quibus et aliis

Scripturæ sententiis, quoniam post casum primi hominis inest homini ad bene volendum, et ad bonum incipiendum et perficiendum, atque in bono perseverandum, liberum arbitrium, gratiâ liberatum, et gratiâ de corrupto sanatum, gratiâ præventum, adjutum, et coronandum. A bono autem deficiens, et in malo proficiens homo, post casum primi hominis habet arbitrium liberum, scilicet justitiæ liberum, peccati servum: quo qui se elongant à Deo volente congregare filios nolentis Jerusalem, peribunt. Undè quia gratia Dei est, salvatur mundus: et quia inest liberum arbitrium homini, judicabitur mundus.

JOAN. HIEROSOL. *in Matth. cap.* 21. *pag.* 252. Antequàm peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quòd si semel peccantes obligaverimus nos operibus ejus, jam nostrâ virtute evadere non possumus. Sed sicut navis fracto gubernaculo illùc ducitur, ubi tempestas voluerit; sic et homo divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus validâ manu misericordiæ suæ solverit eum, usque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostrâ quidem voluntate et negligentiâ alligamur; sed per Dei misericordiam absolvimur... Homines seculares et peccatores dicere solent, Nunquid nolumus esse sancti? Et quis non vult esse justus? sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem; quia primùm potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent: Postquàm verò posuerint thronum diaboli in cordibus suis, jam nemo potest eos de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus.

S. MARC. Erem. *de Baptism. pag.* 919. *Biblioth. Græc. PP. R. P. Combefis.* Ex prædictis intelligite, purgationem mysticè quidem per baptismum fieri, re autem ipsâ mandatorum observatione reperiri. Atqui si baptizati, non simus à peccato paterno liberati, neque scilicet opera libertatis edere possumus: sin ea possumus efficere, clarum est, nos esse mysticè ereptos à servitute peccati, juxta id quod scriptum est: *Lex spiritus vitæ liberavit me à lege peccati et mortis* (*Rom.* VIII. 2.); sed ob neglectum mandatorum ejus qui purgavit nos, obsidemur à peccato. Quapropter aut demonstra mihi, baptizatos exsequi non posse mandata libertatis, et ea de causa baptismum non esse perfectum: aut si demonstremus, eos accepisse talem facultatem, confiteantur, liberari quidem gratiâ Christi, at seipsos tradidisse vitiorum servituti, eò quòd non impleant omnia mandata: ideoque rursùm mancipatos esse. Sumant autem argumentum à propriis testimoniis: *Mundemus* nos ipsos *ab omni inquinamento carnis et spiritûs.* (2. *Cor.* VII. 1.) Servus ergo peccati, qui potest se ipsum purgare ab omni inquinamento carnis et spiritûs, si talem libertatem ac potestatem non habeat, sed teneatur sub dominio peccati? Sin adversùs affectiones polles facultate, scilo, te non vi et auctoritate regi, sed à fonte voluntatis. Quæcunque igitur Scriptura divina de purgatione disserit, tanquam libertatem habentibus loquitur, tanquam liberis suadet, non esse permanendum in hujusmodi cogitationibus, sed colendam esse libertatem, cùm habeamus facultatem inclinandi quò libuerit, sive ad bonum, sive ad malum.

Pag. 490. Solam ergo mortem ab Adamo suscepimus, quoniam ex mortuis viventes effici non poteramus, donec venit Dominus, qui cunctos vitæ restituit. Atqui primam conceptionem habemus ex dispensatione, quemadmodum et ille: et perinde ac ille, pro arbitrio possumus obtemperare, vel non obtemperare.

PHILON. CARPATH. Episc. *in Cantic. Canticor. interp. pag.* 690. Creatus igitur et homo, rerum omnium quæ sub cœlo sunt princeps ac rector, isque animâ ad imaginem, et bonitate ad similitudinem Creatoris nobilissimè formatus ac liber, relictusque in manu consilii sui, bono sibi maloque appositis (vitâ scilicet et morte) brevi, heu miser! quod gratis acceperat, suâ culpâ ingratissimus, amisit sine spe ulla et vi propria recuperandi quod semel amiserat... Sed illum miseratus idem qui sua bonitate condiderat è cœlo descendens et humanâ carne vestitus, universum genus humanum suâ morte redemptum et in melius reformatum æterno Patri reconciliavit, eamque rursùs legem vitæ dedit, cui qui parere volet (omnes autem velle debent) eâ tandem immortalitate dona-

bitur, quam Redemptor ipse primus omnium devictâ morte recepit. Quare parendum est illi soli, si id consequi optamus, quod propriis viribus adipisci nullo modo valemus. Hinc est, quod ipse clementissimus servator noster ait: *sine me nihil potestis facere, manete in me et ego in vobis:* et, *qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* (*Joan.* XV. 4. *et* 5.); et, *si quis sermonem meum servaverit, ego et Pater meus ad eum veniemus, etc.* (*Joan.* XIV. 23.) Et, *qui in me consenserit coram hominibus, consentiam et ego in eum coram Patre meo* (*Matth.* X. 32.); et alia id genus multa. Ecce invitat hominem ad vitam. Ecce allicit ad salutem: Ecce donat gratiam promerendi: offert, ut capias: hortatur accipere; ostentat accurrere; pulsat, ut aperias: ait enim, * *Sto ad ostium et pulso: si quis mihi aperuit, ingrediar ad eum et cœnabo.* (*Apoc.* III. 20.) Ecce ille immobilis sol justitiæ, qui ut hic mobilis, semper illucet: aperta et patentia illuminat, clausa et obstructa percurrit. Quid ergo dicemus? Trahamur oportet, præveniamur à gratia, eaque semper adjuvemur. Idipsum fatemur utique: sed collaboremus omninò necesse est, ne in illud incidamus quod de negligentibus et pervicacibus dicitur, *Ex te perditio tua Israël.* (*Osee* XIII. 9.) Duo igitur ad salutem sunt nobis maximè necessaria, quorum unum supra nos, alterum nobis inest ex munificentia Conditoris. Divina gratia scilicet nos præveniens, et liberum de voluntate judicium. Gratia alliciendo incipit, admissa consequitur, benè retenta ac fota perficit: ut enim oviculæ vel alii cuivis è cicuribus animanti prænonstratum aliquid, eam propriùs allicit ac movet, nec tamen cogit: ita menti humanæ divinæ gratiæ lumen infusum, voluntatem nostri animi seu rationis (quem appetitum appellat) illicit ac trahit, nec ullâ vi cogit, sed solâ charitate benignissimè invitat. Tunc Deo nostro acceptabile est et perjucundum quidquid agimus, cùm ad cœlestes nuptias invitati, nihil (ut illi reprobi, malæ voluntatis ac vitæ) causamus, nihil opponimus: sed libenter oblatum gratiæ munus accipimus. Nam undè quæso tot et tanta illa divina præcepta, undè tot justitiæ merita ac pœnæ, si nihil homo de se conferre potest ad salutem? At Apostolus clamat: *Non sumus sufficientes excogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed omnis nostra sufficientia à Deo est.* (2. *Cor.* III. 5.) *Deus est qui operatur in nobis, et velle, et posse pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.); et, *quem vult, indurat; et cujus vult, miseretur* (*Rom.* IX. 18.); et, *Jacob elegi, et Esaù odio habui* (*Id.* 13.); et, * *Deus vivificat et occidit* (1. *Reg.* II. 6.); et *quos prædestinavit, elegit* (*Rom.* VIII. 30.); et alia quæcunque contrà citari possunt: omnia ad prævenientem gratiam divinumque auxilium referenda sunt, et liberum arbitrium. Jam enim suprà diximus prævenîri hominem oportere, divinoque auxilio semper adjuvari: *alioqui gratia non esset gratia.* (*Rom.* XI. 6.) Sed nunquid otiosum gratia conservabit? Fugiet astutum, et veluti sol clausâ fenestrâ se colliget: cumque hunc amare et illum odisse dicitur, intelligendum est, quòd hunc amore, illum odio dignum fore prævideriit. Nam idem Paulus asseverat, neminem coronandum, nisi qui voluntariè et rectè certaverit: ait enim: *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* (2. *Tim.* II. 5.) Quare collaborandum est prorsùs divinæ gratiæ acceptæ, nec ullâ nostrâ culpâ perdendum quod gratis infunditur ac datur.

S. OPTAT. MILÆVIT. *de Schism. Donatist. lib.* 2. *n.* 20. *pag.* 49. Etiam vos ipsi, qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, undè est ista sanctitas, quam vobis licentiùs usurpatis? quam Joannes Apostolus profiteri non audet, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* (1. *Joan.* I. 8.) Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle; et in eo, quod benè voluerit, currere: sed homini non est datum, perficere; ut post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat; quia ipse est solus perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri semiperfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere; Dei, perficere. Undè beatissimus Apostolus ait: * *neque volentis neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis.* (*Rom.* IX. 16.)

D. HIERON. *lib.* 2. *Comment. in Jerem. cap.* 10. *pag.* 133. *Hæc dicit Dominus, etc.* Omnis hominum aufertur superbia, dum et sapientia, forti-

tudo et opes eorum reputantur in nihilum, et ista est sola gloriatio, ut sciat et intelligat quòd ipse sit Dominus, qui facit misericordiam et judicium et justitiam super terram, quòd omnia Dei providentiâ et justitiâ gubernentur: et quæ nobis videntur non habere rationem, justitiæ plena sint atque rationis. Hæc enim sola placent Deo, et in his voluntas illius est. Ubi sunt ergo qui dicunt hominem proprio regi posse arbitrio, et sic datam liberi arbitrii potestatem, ut Dei misericordia tollatur atque justitia? Undè et Apostolus assumens hoc testimonium, ponit exemplum: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (2. *Cor.* x. 17.)

Et paulò post. Scio Domine quia non est hominis via ejus, etc. (*Jerem.* x. 23.) Erubescant novi prædicatores, qui aiunt unumquemque suo arbitrio regi: cùm et hic Propheta dicat; *non est hominis via ejus;* et David in lyrico canat carmine, *à Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet nimis.* (*Ps.* xxxvi. 23.)

Lib. 4. *in Jerem. cap.* 18. *pag.* 142. Statimque Dominus ad Prophetam: "*si figulus*, ait, *hanc habet potestatem, ut ex eodem luto vursùm faciat quod fuerit dissipatum: ego in vobis, qui quantum in vobis est periisse videmini, hoc facere non potero?* (*Jer.* xviii. 6.) Et ut liberum significaret arbitrium, dicit se et mala annuntiare genti et regno illi, vel illi, et rursùm bona: nec tamen hoc evenire quòd ipse prædixerit, sed è contrariò fieri, ut et bona malis eveniant, si egerint pœnitentiam, et bonis mala, si post repromissiones fuerint ad peccata conversi. (*Ibid.* 7. *et* 8.) Et hoc dicimus, non quòd ignoret Deus hoc vel illud, gentem aut regnum esse facturum, sed quòd dimittat hominem voluntati suæ, ut vel præmia vel pœnas suâ voluntate et suo merito recipiat. Nec statim totum erit hominis quod eveniet, sed ejus gratiæ qui cuncta largitus est: ita enim libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris: juxta illud propheticum: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam.* (*Ps.* cxxvi. 1.) *Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei...* (*Rom.* ix. 16.) *Et post cogitationes*, inquit, *nostras ibimus.* (*Jer.* xviii. 11.) Ubi est ergo absque Dei gratia liberi arbitrii potestas, et propriæ judicium voluntatis: cùm grandis offensa sit Dei, sequi cogitationes suas, et pravi cordis facere voluntatem.

Epist. 43. *ad Ctesiph. adv. Pelag. pag.* 481. Frustrà blasphemas et ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat. Cæterùm non ex eo differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrii conditi sumus, sed ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget, quod vos non vultis. Sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, et non statim ex libero arbitrio homo facit: sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.

In prolog. Dialog. adv. Pelag. pag. 485. Appetitum propriæ voluntatis, Dei semper credamus auxilio gubernari.

Lib. 1. *Dialog. adv. Pelag. pag.* 497. Oro te, non legisti: *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* (*Rom.* ix. 16.) Ex quibus intelligimus nostrum quidem esse velle et currere; sed ut voluntas nostra compleatur et cursus, ad Dei misericordiam pertinere: atque ita fieri, ut et in voluntate nostra et in cursu liberum servetur arbitrium; et in consummatione voluntatis et cursûs, Dei cuncta potentiæ relinquantur: Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt; quomodo per singula, Dei à sanctis flagitetur auxilium, et in singulis operibus suis, illo adjutore et protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces, nihil erit, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio. Ex quo perspicuè ostenditur, te aut Dei negare gratiam, quam tollis in partibus: aut si in partibus dederis, quod nequaquam te velle manifestum est, in nostram sententiam transire; qui sic liberum homini servamus arbitrium, ut Dei per singula adjutorium non negemus.

Lib. 1. *in Epist. ad Ephes. cap.* 2. *pag.* 342. *Gratiâ enim estis salvi facti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* (*Ephes.* ii. 8. *et* 9.) Idcò, inquit, abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate in superventuris seculis ostensurus est; quia gratiâ salvi

facti estis per fidem, non per opera. Et hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocavit vos. Hoc autem ideò, ne forsan nobis cogitatio occulta subreperet: si per opera nostra salvati non sumus, certè vel per fidem salvati sumus; et alio genere nostrum est quòd salvamur. Addidit itaque et dixit: Fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris: non quòd liberum homini tollatur arbitrium: et secundùm illud Apostoli ad Romanos, *non sit currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Verùm quòd arbitrii ipsa libertas Deum habeat auctorem; et ad illius beneficium cuncta referantur, cùm etiam bonum nos velle ipse permiserit. Hoc autem totum propterea, ne quis glorietur à semetipso, et non à Deo se esse salvatum, *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II. 10.) Reddidit causas quare gratiâ salvati sumus per fidem: et hoc ipsum non ex nobis, sed ex munere Dei, dicens: *Ipsius enim factura sumus*, hoc est, quòd vivimus, quòd spiramus, quòd intelligimus, et credere possumus, ipsius est: quia ipse conditor noster est.... Unusquisque Sanctorum per varia dogmata atque virtutes, in semetipso mundus est totus, propterea nunc creati in Christo dicimur; et creati in operibus bonis, sive quæ ipsi fecimus, vel facturi sumus: sive in aliis creaturis ad quæ nostra conversatio transferenda est; ut quæ præparavit Deus in illis ambulemus, spe magnâ jam nobis datâ, dum in his ambulaturi sumus quæ Deus magnopere præparavit.

S. AUG. *Retract. lib.* 1. *n.* 6. Cùm enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est et magna, et media, et minima: in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia et malè illo uti possumus; sed tamen tale est, ut sine illo rectè vivere nequeamus: Bonus autem usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, et magna, et media, et minima ex Deo sunt; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est, et in magnis numeratur bonis. Deindè dictum est, ex qua miseria peccantibus justissimè inflicta, liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est, libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere: ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ; nec ab isto malo, nisi Dei gratiâ, quisquam liberatur.

Cap. 26. *n.* 24. Utrùm et peccatum et rectè factum in libero sit voluntatis arbitrio? Quod ita esse omninò verissimum est. Sed ut ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratiâ liberatur.

Lib. 2. *cap.* 66. Propter eos, qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundùm merita nostra dari, scripsi librum, cujus titulus est *de Gratia et libero arbitrio.*

Ad Hilar. Epist. 157. *aliàs* 59. *cap.* 2. *n.* 4. Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ et Spiritûs sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omninò anathematizandum est, et omnibus exsecrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratia Dei penitùs alieni sunt: quia *ignorantes Dei justitiam*, sicut Judæis dicit Apostolus, *et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* (*Rom.* X. 3.) *Plenitudo quippe legis non est nisi charitas.* (*Rom.* XIII. 10.) Et utique *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* V. 5.)

N. 5. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitùs adjuvetur, quod sit humiliter petendo et faciendo. Desertum verò divino adjutorio quâlibet scientiâ legis excellat, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, et exitiosum tumorem. Docet hoc eadem ipsa Dominica oratio. Frustra enim rogantes Deum dicimus, *ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI. 13.); si hoc in nostra sic positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere. Dictum est enim, *ne nos inferas in tentationem*, quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. *Fidelis enim Deus*, ait Apostolus, *qui non vos permittet tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.* (1. *Cor.* X. 13.) Ut quid hoc dixit Deum facere, si hoc sine ipsius adjutorio in sola nostra est potestate?

N. 7. *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores.* (*Matth.* IX. 13.) Justos ergo sanos, peccatores autem dixit ægrotos. Non itaque de suis viribus præsumat ægrotus; quia in multitudine virtutis suæ non erit salvus. Nam si indè præsumit, videat ne vires istæ non sint quales solent esse sanorum, sed quales solent esse phreneticorum, qui cùm sint insani, adeò se sanos putant, ut nec medicum quærant, et tanquam importunum insuper cædant: sicut isti Christum insanâ superbiâ quodammodo cædunt, cujus gratiæ tam benignum adjutorium ad faciendam justitiam dato legis præcepto necessarium non esse contendunt. Desinant ergo sic insanire, et ad hoc se intelligant habere, quantùm possunt, liberum arbitrium, non ut superbâ voluntate respuant adjutorium, sed ut piâ voluntate invocent Dominum.

N. 8. Hæc enim voluntas libera tantò erit liberior, quantò sanior: tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. Ipsa enim fideliter orat et dicit, " *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas.* (*Psal.* CXVIII. 133.) Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas?

N. 9. De ipsa continentia vide quid scriptum sit: *Et cùm scirem*, inquit, *quia nemo potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum.* (*Sap.* VIII. 21.) Nunquid dixit, Et cùm scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire à me ipso esse hoc bonum? Non planè hoc dixit, quod quidam in sua vanitate dicunt, sed quod fuit in sanctæ Scripturæ veritate dicendum, *Cùm scirem*, inquit, *quia nemo esse potest continens, nisi Deus det.* Jubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, dat per spiritum. (2. *Cor.* III. 6.) Lex enim sine gratia facit abundare delictum, et littera sine spiritu occidit. Jubet ideò, ut facere jussa conati, et nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus, et si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adjuvat non simus ingrati: hoc et iste fecit. Id enim eum sapientia docuit, cujus esset hoc donum.

N. 10. Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia juvatur: sed ideò juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit, *adjutor meus esto* (*Ps.* XXVI. 9.), confitetur se velle implere quod jussit, sed ab eo qui jussit, adjutorium poscere ut possit. Sic et iste cùm sciret neminem esse posse continentem, nisi Deus det, adiit Dominum et deprecatus est: utique volens adiit, volens deprecatus est, nec petiisset nisi esset voluntas. Sed nisi petiisset, quantùm posset voluntas? Quia etsi possit antequam petat, quid ei prodest, nisi illi agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est quod nondum potest? Undè etiam qui jam continens est, non habet utique continentiam, nisi adsit voluntas: sed nisi accepisset, quid haberet voluntas? *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1. *Cor.* IV. 7.)? id est, Quid gloriaris quasi à teipso habeas, quod si non accepisses, à teipso habere non posses. Hoc autem dictum est, ut *qui gloriatur*, non in seipso, sed *in Domino glorietur* (2. *Cor.* X. 17.); et qui nondum habet undè glorietur, non à seipso speret, sed Dominum precetur. Satius est enim minus quemque habere quod à Deo petat, quàm plus habere quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quàm ex alto cadere. *Deus enim*, scriptum est, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* IV. 6.) Ad abundantiam igitur delictorum lex nos docet quid velle debeamus, nisi adjuvet gratia, ut quod volumus valeamus, et quod voluerimus, impleamus. Adjuvabit autem, si non de nostris viribus præsumentes, alta sapiamus, sed humilibus consentientes, et de iis quæ jam possumus, gratias agamus, et pro iis quæ nondum possumus, Deum suppliciter inhiante voluntate poscamus, adminiculantes orationem nostram misericordiæ fructuosis operibus; dando ut detur nobis; dimittendo ut dimittatur nobis.

De Genes. ad litt. lib. 10. *cap.* 14. *n.* 24. Undè paulatim evigilans (*homo*) in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam? Quod quidem non poterit nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem.

In Psal. XXVI. *Enarr.* 2. *n.* 17. Fortè dices mihi, Nitere, ambula, liberum arbitrium tibi dedi : voluntatis tuæ es, prosequere viam, quære pacem et sequere eam (*Ps.* XXXIII. 15.) ; noli à via declinare, noli ibi remanere ; noli retrò respicere : persevera in ambulando, quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* X. 22. XXIV. 13.) Jam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis undè ambules : noli de te præsumere, si te dereliquerit, in ipsa via deficies, cades, aberrabis, remanebis : dic ergo illi, Voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus : *Adjutor meus esto ne derelinquas me : neque despicias me Deus salutaris meus.* (*Ps.* XXVI. 9.) Tu enim adjuvas qui condidisti, tu non deseris qui creasti.

N. 18. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me.* (*Ibid.* 10.) Fecit se parvulum Deo : ipsum fecit patrem, ipsum fecit matrem. Pater est quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit : mater, quia fovet, quia nutrit, quia lactat, quia continet.

In Psal. CXXXVIII. *Enarr. n.* 13. Nemo trepidet, sed nemo de pennis suis præsumat : quia et pennatos nisi ipse erigat, nisi ipse deducat, præcipitabimur in profunda maris, lassati et fatigati, quasi præsumentes de viribus nostris. Opus ergo est ut habeamus pennas, et opus est ut ipse deducat : adjutor enim noster est. Habemus liberum arbitrium : sed illo ipso libero arbitrio quantùm possumus, nisi nos adjuvet ille qui jubet ? *Etenim illuc manus tua deducet me, et adducet me dextera tua.* (*v.* 10.)

In Joan. Evang. cap. 12. *Tract.* 53. *n.* 8. Tantùm ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem quâ dicimus, *ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI. 13.) conetur auferre : rursùs ne quisquam neget voluntatis arbitrium, et audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, et præcipientem, et opitulantem ; et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus. Nam et quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam ; et quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate ? Isti dicunt, Ut quid conamur benè vivere, quod in Dei est potestate ? O Domine, ò Pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo ! Audiamus Dominum dicentem, *Rogavi pro te*, Petre, *ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII. 32.) ; ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus et Evangelistam dicentem, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I. 12.) ; ne omninò existimemus in nostra potestate non esse quòd credimus, verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam et agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas : et orandum ne succumbat infirmitas. Ipsa est *fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V. 6.), sicut ejus mensuram Dominus cuique partitus est, ut *qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino gloietur.* (1. *Cor.* I. 31.)

N. 9. Non itaque mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut *ignorantes Dei justitiam, suam vellet constituere :* sicut dicit de illis Apostolus. *Justitiæ Dei non sunt subjecti.* (*Rom.* X. 3.) Quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt, ipso suo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est *non poterant*, ubi intelligendum est quòd nolebant : quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, *si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* (2. *Tim.* II. 13.) De omnipotente dictum est, non potest. Sicut ergo quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ : ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.

N. 10. Ecce dico et ego quòd qui tam superbè sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium ad benè vivendum, non possunt credere in Christum. Non enim aliquid prosunt syllabæ nominis Christi, et sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi est, *credere in eum qui justificat impium* (*Rom.* IV. 5.) ; credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo : credere in salvatorem, qui *venit quod perierat quærere atque salvare* (*Luc.* XIX. 10.) ; credere in eum qui dixit, *sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.) Quia ergo ignorans Dei

justitiam quâ justificatur impius, suam vult constituere quâ convincatur superbus, in hunc non potest credere. Hinc et illi *non poterant credere:* non quia mutari in melius homines non possunt; sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excæcantur, et indurantur; quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur. Hoc de Judæis qui excæcati et indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus spiritu Propheta prædixit.

Proposit. ex Epist. ad Rom. Exposit n. 44. Quod autem ait, * *non enim quod volo hoc ago, sed quod nolo hoc facio. Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi, quoniam bona est* (*Rom.* VII. 19. *et* 20.), satis quidem lex ab omni criminatione defenditur: sed cavendum, ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis justè vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat Liberatori, et accipiat gratiam, ut jam illo qui eam donat liberante et adjuvante non peccet.

Serm. 161. *aliàs* 18. *de verb. Apost.* 1. *Cor.* 6. *cap.* 9. *n.* 9. Vir autem bonus, vir justus, homo liber (nam solus justus est liber; *omnis enim qui facit peccatum, servus peccati est* (*Joan.* VIII. 34.), delectatur ipsâ justitiâ.

Serm. 278. *aliàs de divers.* 34. *cap.* 1. *n.* 1. Gratiâ enim salvi efficimur à peccatis nostris, et in quibus ægrotamus. Illius, illius medicina est, quæ sanat animam, Nam seipsa vulnerare potuit, sanare non potuit.

N. 2. Namque et in ipso corpore in potestate habet homo ægrotare, convalescere autem non ita habet in potestate.

Cap. 2. Sic etiam secundùm animam, ut peccando in mortem caderet homo, ut ex immortali mortalis fieret, ut subderetur diabolo seductori, fuit in ejus libero arbitrio; quo ad inferiora declinando superiora deseruit, et aurem præbendo serpenti aurem clausit ad Deum, atque constitutus inter præceptorem et seductorem, magis seductori quàm præceptori obtemperare delegit. Undè enim audivit Deum, indè audivit diabolum. Quare ergo non potiùs meliori credidit? Ideoque invenit verum esse quod prædixerat Deus, falsum quod promiserat diabolus. Hæc prima origo malorum nostrorum, hæc radix omnium miseriarum, hoc semen mortis ex propria et libera voluntate primi hominis, qui sic est factus, ut si obediret Deo, semper beatus et immortalis esset; si negligeret et contemneret præceptum ejus, qui volebat in illo salutem perpetuam custodire, in morbum mortalitatis irrueret. Tunc ergo medicus à sano contemptus est, nunc curat ægrotum.

De Cantic. novo, cap. 8. *n.* 8. Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, et posuit ante eum Deus, sicut Scriptura dicit, *ignem et aquam: ad quod volueris*, inquit, *porrige manum tuam.* (*Eccli.* XV. 17.) Elegit ignem, reliquit aquam. Videte justum judicem. Quod elegit homo liber, accepit: malum voluit, hoc illum secutum est. Videte rursùm illum justum judicem misericordiam facientem. Cùm videret quòd homo totam stirpem suam, malè usus libero voluntatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset, ipse non rogatus de cœlo descendit et hominem superbia pereuntem, suâ humilitate sanavit: errantes perduxit ad viam, peregrinos perducit ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur qui fecit se.

Enchirid. de fide, spe et charit. cap. 106. *n.* 28. Illam (*immortalitatem*) natura humana perdidit per liberum arbitrium, hanc est acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit, nemo est enim qui non se ipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere; ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcunque tutamînum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo

justitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret. Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando et ipsum arbitrium liberandum est à servitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omninò per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est liberatur: ut voluntas ipsa, sicut scriptum est (*Proverb.* VIII. 35. *sec.* LXX.), à Domino præparetur, quâ cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad munus æternum.

Cap. 107. Undè et ipsam vitam æternam, quæ certè merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus; *stipendium enim*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* (*Rom.* VI. 23.) Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideò dixit, *stipendium peccati mors;* ut mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis est, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera; quibus cùm vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur (*Joan.* I. 16.)? Sic ergo factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio divino, et suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia suam maluit facere quàm Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Rom.* IX. 21.); in honorem, per misericordiam: in contumeliam, per judicium; ut nemo glorietur in homine; ac per hoc, nec in se.

Lib. de Fide et operib. cap. 23. *n.* 43. Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritûs sancti per Jesum Christum Dominum nostrum, quæ diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ delectationem, quâ immoderatio concupiscentiæ superetur.

Enchirid. de Fide, Spe et Charitat. cap. 30. *n.* 9. Verùm hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operatur perditus, nisi quantùm fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio malè utens homo, et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo, non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium: * *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est.* (2. *Petr.* II. 19.) Petri certè Apostoli est ista sententia: quæ cùm vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est. Undè ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus... Sed ad benè faciendum ista libertas undè erit homini addicto et vendito, nisi redimat cujus illa vox est, *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Quod antequàm fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum benè, nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat? quam cohibet Apostolus dicens, *Gratiâ salvi facti estis per fidem.* (*Ephes.* II. 8.) Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitùs esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco dicit, se ut fidelis esset misericordiam consecutum (1. *Cor.* VII. 25.), hîc quoque adjunxit, atque ait, *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur.* (*Ephes.* II. 9.) Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursùs adjecit, *Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (*Ibid.* 10.) Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, formatet creat, non ut homines, quod jam fecit: sed ut boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit; ut simus in Christo Jesu nova creatura (*Galat.* VI. 15.), secundùm quod dictum est, *Cor mundum crea in me Deus.* (*Psal.* L. 12.) Neque enim cor ejus, quantùm pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus. Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium, benè operandi ipsa libertas;

audiat eumdem gratiæ præconem dicentem, *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.); Et alio loco: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Cùm procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire * *ad palmam supernæ vocationis Dei* (*Phil.* III. 14.), nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nisi quia et ipsa *voluntas*, sicut scriptum est (*Prov.* VIII. 35. *sec.* LXX.), *à Domino præparatur*? Alioquin si propterea dictum est, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quia ex utroque fit, id est, et voluntate hominis, et misericordia Dei: ut sic dictum accipiamus, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si rectè dictum est, *non volentis hominis, sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non et è contrario rectè dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus dicere Christianus audebit, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat ut propterea rectè dictum intelligatur, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, et, *Misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII. 11.); et, *Misericordia ejus subsequetur me.* (*Psal.* XXII. 6.) Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustrà velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus piè vivere (*Matth.* V. 44.), nisi ut Deus in illis operetur et velle? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus (*Matth.* VII. 7.), nisi ut ab illo fiat quod volumus, quo factum est ut velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit et nos: Oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos.

Contr. Fortunat. Manich. Disp. 2. *n.* 22. Dicit idem Apostolus quem tu ipse commemorasti: *sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic et per unius obedientiam justi constituentur multi.* (*Rom.* V. 19.) *Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* (1. *Cor.* XV. 21.) Quandiu ergo *portamus imaginem terreni hominis* (*Ibid.* 49.), id est, quandiu secundùm carnem vivimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus necessitatem consuetudinis nostræ, ut non quod volumus faciamus. Cùm autem gratia Dei amorem nobis divinum inspiraverit, et nos suæ voluntati subditos fecerit, quibus dictum est, *vos in libertatem vocati estis* (*Galat.* V. 13.); et gratia Dei *liberavit me à lege peccati et mortis.* (*Rom.* VIII. 2.) Lex autem peccati est, ut quicunque peccaverit, moriatur. Ab ista lege liberamur, cùm justi esse cœperimus. Lex mortis est, quâ dictum est homini: *Terra es, et in terram ibis.* (*Genes.* III. 19.) Ex ipso enim omnes sic nascimur, quia terra sumus, et in terram ibimus propter meritum peccati primi hominis. Propter autem gratiam Dei, quæ nos liberat à lege peccati et mortis, ad justitiam conversi liberamur: ut postea eadem ipsa caro quæ nos pœnis torsit in peccatis manentes, subjiciatur nobis in resurrectione, et nullà adversitate nos quatiat, quominùs legem Dei et divina præcepta servemus.

Contra Faust. lib. 22. *cap.* 78. Sive autem iniquitas, sive justitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna justa esset: quod nemo sapit, nisi qui desipit. Ignorantia verò et infirmitas, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit, ex occulto pœnarum ordine venit, et illis inscrutabilibus judiciis Dei, apud quem non est iniquitas. (*Rom.* IX. 14.) Proditum est enim nobis peccatum Adam fideli eloquio Dei, et quia in illo omnes moriuntur, et quia per illum *peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* V. 12.), veraciter scriptum est. Et quia ex hac pœna *corpus corrumpitur et aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX. 15.), verissi-

mum nobisque notissimum est : et quia de hac justa pœna non liberat nisi misericors gratia, certum est. Et hinc Apostolus gemebundus exclamat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (*Rom.* VII. 24. *et* 25.)

De Civitat. Dei, lib. 14. *cap.* 11. *n.* 1. Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatisque non servit. Tale datum est à Deo : quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Undè veritas dicit, *si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* (*Joan.* VIII. 36.) Idipsum est autem, ac si diceret, Si vos Filius salvos fecerit, tunc verè salvi eritis.

De Lib. arbitr. lib. 3. *cap.* 18. *n.* 51. Non enim quisquam injustus dominator aut surripere hominem potuit, velut ignoranti Deo : aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel compellendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo, ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat.

N. 52. Nec mirandum est quòd vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat : vel resistente carnali consuetudine, quæ violentiâ mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, et velit nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti noluit, cùm sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit : et qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit.

Cap. 19. *n.* 53. Quiescant (*homines*) et adversùs Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret : cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem : non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras ; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.

CASSIAN. *de trib. abrenuntiat. collat.* 3. *cap.* 12. Itaque sicut occasionem salutis diversis modis Deum cognoscimus operari, ita nostrum est occasionibus à divinitate concessis, vel enixiùs vel remissiùs famulari. Nam sicut Dei fuit vocantis oblatio, *Exi de terra tua* (*Genes.* XII. 1.), ita Abrahæ fuit exeuntis obedientia : et quemadmodum illud quod dicitur, *Et veni in terram*, obtemperantis fuit opus ; ita illud quod additur, *quam tibi monstravero*, jubentis Dei, vel promittentis est gratia. Certos tamen nos esse convenit, quòd omnem virtutem indefessis conatibus exercentes, nequaquam diligentiâ vel studio nostro perfectionem possimus attingere ; nec sufficiat humana sedulitas laborum merito ad tam sublimia beatitudinis præmia pervenire, nisi ea Domino nobis cooperante, et cor nostrum ad id quod expedit dirigente fuerimus adepti ; ideoque debemus cum David orantes momentis singulis dicere, *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI. 5.) ; et, *statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX. 3.) ; ut nostrum arbitrium quod proclivius vel ignoratione boni vel oblectatione passionum fertur ad vitia, ille invisibilis rector mentis humanæ ad virtutum potiùs studia contorquere dignetur. Quod uno versiculo per Prophetam manifestissimè legimus decantari, *Impulsus versatus sum, ut caderem* (*Psal.* CXVII. 13.) : in quo liberi arbitrii infirmitas designatur : *et Dominus suscepit me* (*Id. Ibid.*) ; rursùm adjutorium Domini junctum eidem semper ostenditur, quo jam ne penitùs libero collabamur arbitrio, cùm litubasse nos viderit, porrectione quodam modo manuum suarum sustentat atque confirmat. Et iterùm : *si dicebam, Motus est pes meus*, lubricâ scilicet arbitrii facultate, *misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII. 18.) ; iterùm mobilitati suæ Dei conjunxit auxilium : quia ne moveretur pes idei suæ, non industriæ propriæ fuisse, sed misericordiæ Domini confitetur. Et iterùm : *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo*,

qui libero utique mihi nascebantur arbitrio, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Ibid.* 19.), per tuam scilicet inspirationem venientes in cor meum, et reserantes contemplationem futurorum bonorum (quæ pro tuo nomine laborantibus præparasti) non solùm abstulerunt omnem anxietatem cordis mei, verùm etiam summam lætitiam contulerunt. Et rursùm: *Nisi quia Dominus adjuvit, paulominùs habitaverat in inferno anima mea* (*Ibid.* 17.): liberi utique arbitrii pravitate se in inferno habitaturum fuisse testatur, nisi Domini fuisset adjutorio ac protectione salvatus. *A Domino* enim, non à libero arbitrio *gressus hominis dirigentur.* (*Psal.* XXXVI. 23.) Et *cùm ceciderit* justus, libero duntaxat arbitrio, *non collidetur.* Quapropter? *Quia Dominus supponit manum suam.* (*Ibid.* 24.) Hoc est apertissimè dicere: Nullus justorum sibi sufficit ad obtinendam justitiam, nisi per momenta singula titubanti ei et corruenti, fulcimenta manûs suæ supposuerit divina clementia, ne prostratus intereat penitùs cùm fuerit liberi arbitrii infirmitate collapsus.

Cap. 21. *Germanus:* Hoc testimonium apertissimè liberum demonstrat arbitrium, quo dicitur: *si populus meus audisset me* (*Ps.* LXXX. 14.), et, *non audivit populus meus vocem meam.* (*Ibid.* 21.) Cùm enim dicit, *si audisset*, ostendit in potestate illius fuisse, vel acquiescendi, vel non acquiescendi judicium. Quomodo igitur non in nobis nostra salus est collocanda, cùm vel audiendi, vel non audiendi ipse nobis concesserit facultatem.

Cap. 22. *Paphnutius:* Aculè quidem considerasti hoc quod dicitur, si audisset me; sed nequaquam quis sit, qui ad audientem vel non audientem loquatur, attenditis: nec illud quod sequitur, *pro nihilo utique inimicos ejus humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.* (*Ibid.* 15.) Nemo igitur hæc, quæ protulimus, ut nihil geri sine Domino probaremus, pro interpretatione detorquens ad defensionem liberi arbitrii ita conetur assumere, ut ab homine gratiam Dei provisionem quotidianam tentet auferre... sed respiciat quòd sicut liberi arbitrii facultas populi inobedientiâ comprobatur, ita quotidiana circa eum provisio Dei clamantis quodammodo et monentis ostenditur.... Utrumque ergo potest hoc testimonio comprobari quod dicitur: *si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo utique inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.* (*Ibid.* 14. *et* 15.) Nam sicut liberum arbitrium per inobedientiam populi demonstratur, ita dispensatio Dei et auxilium ejus versiculi ipsius initio declaratur, ac fine, cùm et priorem locutum fuisse testatur, et postea inimicos ejus humiliaturum, si ab eodem fuisset auditus. Nos enim per hæc quæ protulimus, non liberum arbitrium hominis volumus submovere, sed huic adjutorium et gratiam Dei per singulos dies ac momenta necessariam comprobare.

De Protect. Dei, collat. 13. *cap.* 12. Dubitari ergo non potest inesse quidem omnia animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire, quia secundùm beatum Apostolum: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* III. 7.) Adjacere autem homini in quamlibet partem, arbitrii libertatem, etiam liber ille (qui dicitur Pasioris) apertissimè docet, in quo duo Angeli unicuique nostrùm adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus; in hominis verò optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcircò manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. Non enim præcepisset Apostolus, dicens: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (*Philip.* II. 12.), nisi scisset eam vel excoli à nobis posse, vel negligi. Sed ne crederent se ad opus salutis divino auxilio non egere, subjungit: *Deus est enim qui operatur in vobis, et velle, et perficere pro bona voluntate.* (*Ibid.* 13.) Et idcircò Timotheum monens; *Noli*, inquit, *negligere gratiam Dei quæ est in te.* (1. *Tim.* IV. 14.) Et iterùm: *ob quam causam moneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te.* (2. *Tim.* I. 6.) Inde est quòd etiam Corinthiis scribens hortatur et commonet, ne indignos se gratiâ Dei infructuosis operibus exhiberent, dicens: *Adjuvantes autem obsecramus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (2. *Cor.* VI. 1.) Quam sine dubio, quia in vacuum receperat Simon, non profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Non enim præceptis B. Petri maluit

obedire, dicentis : *pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et ora Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* (*Act.* VIII. 22. *et* 23.) Prævenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, de qua dicitur : *Deus meus misericordia ejus præveniet me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Et rursùs, Dominum remorantem atque utiliter quodammodo subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium, voluntas prævenit nostra, cùm dicitur : *Et manè oratio præveniet te.* (*Ps.* LXXXVII. 14.) Et iterùm : *Prævenì in maturitate, et clamavi, et prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* (*Psal.* CXVIII. 147. *et* 148.) Advocat etiam nos et invitat cùm dicit : * *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem mihi et contradicentem.* (*Isaï.* LXV. 2.) Et invitatur à nobis cùm dicimus ei, *Totâ die expandi manus meas ad te.* (*Ps.* LXXXVII. 10.) Exspectat nos cùm dicitur per Prophetam : *Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri* (*Isai.* XXX. 18.) ; et exspectatur à nobis cùm dicimus, *Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me* (*Ps.* XXXIX. 1.) : et *Exspectavi salutare tuum Domine.* (*Psal.* CXVIII. 166.) Et confortat nos cùm dicit : *Et ego erudivi et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam.* (*Osee.* VII. 15.) Et ut nosmetipsos confortemus hortatur cùm dicit, *confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate.* (*Isaï.* XXXV. 3.) Clamat Jesus : *si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* (*Joan.* VII. 37.) Clamat etiam ad eum Propheta, *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi dum spero in Deum meum.* (*Ps.* LXVIII. 4.) Quærit Dominus dicens : *Quæsivi et non erat vir, vocavi et non erat qui responderet* (*Isaï.* LXVI. 4.), Quæritur et ipse à sponsa flebiliter conquerente, « In cubili meo in » noctibus quæsivi quem dilexit anima mea, quæsivi eum et non inveni, » vocavi eum et non respondit mihi. » (*Cant.* III. 1.)

S. LEON. MAGN. *Serm.* 40. *de Quadrag.* 3. *cap.* 1. Nam nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est, et quâ nimirùm vincitur, qui vinci ab eadem non veretur.

Serm. 79. *de jejun. Pentecost.* 4. *cap.* 2. Cùm caro concupiscens adversùs spiritum spiritali cupiditate superatur, libera obtinetur sanitas, et sana libertas : ut et caro mentis judicio, et mens Dei regatur auxilio.

ISID. HISPAL. Epis. *Comment. in Genes. cap.* 2. *pag.* 417. Lignum autem scientiæ boni et mali, proprium est voluntatis arbitrium, quod in medio nostri est positum, ad dignoscendum bonum vel malum. De quo, qui relictâ Dei gratiâ gustaverit, morte morietur.

Ven. BEDA Presbyt. *lib. Quæst. Quæst.* 13. *de libero arbitrio.* Deus hominem fecit perfectum, et talem scilicet quòd posset et velle bonum, et non velle. Et hoc est liberum arbitrium, velle scilicet et nolle, et absolutum. Hoc est velle suum hominis per naturam, sicut dicitur in Sapientia : *nostrum est velle, Dei autem perficere,* nostrum scilicet, per naturam. Et Apostolus : *velle quidem adjacet mihi* per naturam. (*Rom.* VII. 18.) Sed hoc velle, et hoc bonum depravavit homo peccando, et quasi exstinxit, non tamen omninò : quia semper remansit in ea aliqua scintilla boni : et quando Apostolus dixit, *Deus operatur velle* (*Philip.* II. 13.), sic non intelligimus quòd modo primùm ponat in eo velle, sed voluntatem quæ in eo est per naturam depravatam, et quasi exstinctam suscitet et revivisccre faciat. Sic facimus convenire ista duo, quod Scriptura dicit : *nostrum est velle*, et quod Apostolus, *Deus operatur velle* cum libero arbitrio. Deus vel eliam quod necessariò facit, fecit hominem talem, scilicet ut posset velle bonum, et non velle bonum ; quia si talem fecisset ut nunquam posset nisi velle bonum, inconvertibilem fecisset eum. Inconvertibile autem nihil est nisi Deus, quia non potest nisi velle bonum... Bona natura rationabilis creaturæ, cooperari quidem bonum appositâ sibi gratiâ potest. Si verò relicta, nihil operatur boni, imò præcipitat se in malum.

In 1. *Epistol. Joan. cap.* 5. *pag.* 743. Et vicistis eum, inquit, sed undè vicerunt ? Nunquid liberi virtute arbitrii ? Non utique. Taceat Pelagius, dicat ipse Joannes, *Quoniam major est, qui in vobis est, quàm qui in hoc mundo.* (1. *Joan.* IV. 4.) Docet itaque eos servare humilitatem, ne victoriam suis viribus tribuant, et arrogantiâ superbiæ vincantur. Docet inter adversa fiduciam spemque semper habere vincendi, memoriâ retinentes, quia major est Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.

SEDUL. HYBERN. *in Epist. ad Roman. Collectan. cap.* 9. *pag.* 522. *Tom.* 6. *Biblioth. PP. Lugd. Ergo si cui vult miseretur, et quem vult obdurat.* (*Rom.* IX. 18.) Hoc est, inquit, quod asseverasti qui contradicis; quòd sine causa conqueritur, et arguit homines Deus. Si enim ipse quem vult eligit, et quem vult abjicit, *voluntati ejus quis resistet* (*Psal.* LXXV. 8.)? Per quæ omnia illud sine dubio contradictio ista molitur, quòd sit libertas arbitrii, nec habeat unusquisque sui potestatem ut salvetur, aut pereat. Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum. *Non volentis, neque currentis*, etc. (*Rom.* IX. 16.) Cùm procul dubio si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, neque ad palmam supernæ vocationis Dei pervenire, nisi voluntate cucurrerit: Quomodo *non volentis, neque currentis est* (*Rom.* IX. 16.), nisi quòd ipsa *voluntas*, sicut scriptum est, *à Domino præparatur* (*Prov.* VIII. 35. *Sec.* LXX.)? Et in alio loco Apostolus dicit: *Deus est enim, qui operatur in nobis, et velle et operari.* (*Philip.* II. 13.) Alioqui si propterea dictum est, non volentis, quia ex utraque sit, id est, ex voluntate hominis, et Dei misericordià; ut sic dictum accipiamus, *non volentis, neque currentis*, tanquam diceretur, Non sufficit hominis voluntas sola, si non sit etiam misericordia Dei: non ergo sufficit sola misericordia Dei, nisi sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si rectè dictum est: Non volentis hominis, sed miserentis Dei est, quia id voluntas hominis sola non implet: cur non è contrario rectè dicitur: Non miserentis Dei, sed volentis est hominis? quia id misericordia Dei non implet. Porrò si nullus dicere Christianus audebit: non miserentis Dei est, sed volentis hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat, restat ut propterea rectè dictum intelligatur: *non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam præparat ad adjuvandum, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa: Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: *Et misericordia ejus præveniet me* (*Ps.* LVIII. 11.); et, *misericordia ejus subsequetur me* (*Ps.* XXII. 6.); nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique volentibus piè vivere, nisi ut Deus operetur in eis et velle? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus, à quo factum est ut velimus? Oremus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia ejus præveniat eos, sicut prævenit nos. Oremus pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos. Item *non volentis, neque currentis*: Nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, neque seipsum poterit resuscitare cùm occiderit: Ita cum libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est liberum arbitrium; *à quo* enim *quis devictus est, huic et servus addictus est* (2. *Petr.* II. 19.): sed ad benefaciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat, cujus illa vox est: *si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis* (*Joan.* VIII. 36.): *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* (1. *Cor.* III. 6.) Qui vult et qui currit, hoc videtur esse, quod est ille qui plantat; et cum qui rigat nil esse dicit Apostolus, non quò nihil habeant, sed quò ad comparationem Dei, qui incrementum operi vel effectum dat, illi nihil esse ducantur.

HINCMAR. Remens. *Opusc. et Epist.* 25. *ad Egil. eumd. Archiepisc. pag.* 294. Liberi arbitrii opera sive bona sive mala, nihil valere ad meritum, sed sive ad vitam, sive ad mortem, cuncta Dei prædestinationem agere, ab ista prava doctrina enucleatur: à qua et reprobis tollitur meritum damnationis, et justis meritum aufertur salutis. Ac per hoc nec illi justè damnantur, qui justi esse non possunt: nec isti justè remunerantur, quia aliud quàm justi esse non possunt. Nec injustis ergo quiddam acquirit meritum, nec in electis aliquid gratia operatur: sed in utraque parte et perditio et salus non est ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio Domini voluntatis, totumque Dei opificio reputabitur. Non enim potest dicere figmentum ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? Non igitur aliquis libero arbitrio condemnabitur, nec quisquam pro gratia misericordias Domini in æternum cantabit. Si enim, quòd cæcus iste in meridie pal-

pans non videt, liberum non esset arbitrium, undè totus in massa perditionis Adam perditus, cum suis etiam additis justè judicaretur mundus? Et rursùm, nisi Dei gratia esset, quomodo ex eadem massa perditionis electus, id est, gratiâ lectus salvaretur mundus? *Misericordia*, inquit Psalmus, *et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* (*Ps.* LXXXIV. 11.) Misericordia quidem est, quâ salvantur electi: veritas autem est, quâ in massa perditionis deseruntur relicti. Justitia quidem est, quia non assumuntur reprobi: pax verò his est, quâ de una eademque massa perditionis gratiâ fiunt probi. Undè Paulus dicit, *stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* (*Rom.* VI. 23.)

MARBODI Episc. Rhed. *lib. de cent. Capitul. Capit.* 6. *de Fato et Gencs.*

Ne tamen omninò fatum genesimque repellam,
Esse meum fatum summi Patris assero Verbum,
A quo cuncta regi debent quicunque fateri,
Ingenitamque mihi dico genesis rationem,
Et libertatem quâ quò volo tendere possum,
Sponte bonum, vel sponte malum sine sidere patrans.
Ergo si fuerit rationi juncta voluntas,
In signo libræ Christo se respiciente,
Prospera cuncta mihi contingent hic et ubique.
Hæc est cunctorum genesis bona Christicolarum.

S. ANSELM. *Meditat.* 196. *pag.* 238. Constat autem homo ex duabus naturis, ex natura animæ, et ex natura carnis. Natura autem animæ, quia anima spiritualis est, naturaliter tendit ad superiora. Natura autem carnis, quia caro ex desiderio in carnales appetitus exit, quasi naturaliter ad infima tendit. Est verò inter has duas naturas, ex quibus homo constat, voluntas quasi media habens liberum arbitrium. Quo libero arbitrio si se junxerit cum anima quæ naturaliter tendit ad superiora; tunc anima et voluntas (opitulante tamen divinâ gratiâ) carnem sursùm ad excelsa secum elevant, et in æterna felicitate sine fine victuram locant; ut jam ampliùs non sit inter carnem et animam ulla repugnantia, sed semper idem amor, eademque voluntas. Et tunc erit una voluntas creatoris et creati hominis, quem creavit ad imaginem et similitudinem suam; cùm Deus omnia in omnibus erit. Si verò eodem libero arbitrio se junxerit desideriis carnis, quæ quasi naturaliter ad infima tendit; tunc voluntas malè utens libero arbitrio, et caro animam superno auxilio destitutam ad inferiora trahunt: et peccata hominis totum ipsum hominem, scilicet animam, et carnem in perditionem mergunt; ut jam amplius non habeat nisi malum, vel quod patiatur nisi tormentum.

HUGON. Archiepisc. Rothom. *Dialogor. lib.* 3. *n.* 13. *pag.* 929. Inter omnia quæ facta sunt rationalis creatura præcellit. Liberum quidem arbitrium à Conditore suscepit, quo ipsum super omnia amare debuit, quique eam legibus informavit, cui Dominus præcepta dedit, quæ ipsa pro ratione quâ præeminet servanda decernit, quæ decernens servare debuit et liberè potuit, ipso adjuvante qui dedit à quo et esse et posse habuit. Hanc libertatem si peccando amittimus, nobis eam reparare non possumus, sed gratiâ indigemus, quæ sola potest lapsos erigere, et erectis pristinam libertatem reparare. Undè benè et Apostolus ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Arbitrium rationis remanet ad condemnationem, his dico qui peccando perdunt ejus libertatem. Ipsum quidem verò attestatur quòd à Deo quem injustè deseruit justè condemnatur, dum et ipsa cogunt tormenta pensare quid sit inter bonum obedientiæ et malum inobedientiæ. Quòd si superna gratia in tuis te peccatis aliquando respicit, quantùm in te est vocantem suscipe, miserenti miserum te propone; reddet tibi, si voluerit libertatem, quâ poteris surgere ad justificationem. Vocantem si audieris, non deerit qui vocavit, qui nulli unquam defuit. Suscipiet redeuntem qui vocavit fugientem. Manum porrigendo lapsum suscitat, nisi lapsus se avertat; sanat ægrotum, nisi refugiat; glorificat sanum, nisi deficiat. At si bonis ejus abutimur et beneficiis ipsius ingrati manemus, justo tandem judicio induramur et à Deo deserimur. Causam istam penès nos invenimus, ipsi enim peccando meruimus. Si verò ejus misericordiâ relevamur, collatam nobis gratiam meritò miramur. Causa namque hæc penès ipsum est, quâ

gratuitò salvamur : Non enim meruimus. Secundùm has causas Dominum dixisse legitur : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX. 13.), cùm teste Apostolo nondum nati nihil egerant boni vel mali. Quòd itaque Jacob diligit, gratia est ; quòd Esau odit, justitia est, cùm uterque sub originali culpa genitus est. Cur autem gratia hunc magis quàm illum assumat, non solvit Apostolus, sed exclamat : *ô altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI. 33.) ! Quid igitur ? Cui vult miseretur ; gratia est. Quid ? quem vult indurat, justitia est. Causam hanc quâ damnamur in nobis habemus et gerimus. Causam verò illam quâ salvamur non in nobis, sed in Deo aspicimus et laudamus. Ipse est enim *qui vult omnes homines salvos fieri.* (2. *Tim.* II. 4.)

Lib. 5. *n.* 2. *pag.* 947. Nonne boni essent omnes, si Deus vellet ? Non benè videtur fecisse Deus, qui cùm bonos omnes fecerit, non semper bonos custodit : qui non solùm eos cadere permittit, sed etiam post lapsum punit.

Resp. Quid dicis ? visne culpam refundere in Deum quam non fecit ? Dic, quæso, quid eligis de te ? Meliusne tibi videtur contrahi necessitate quàm ut vivas in libertate ? Sed te velle necessitati servire, et libertatem non amare ridiculum est credere. Melius ergo Deus eos fecit, quibus libertatem arbitrii contulit, ut hoc esse possint quod velint.

ENNOD. Episc. *Epist.* 19. *lib.* 2. Inventus est homo, qui servos Christi, quemadmodum ipse promisit esse faciendum, sub hac occasione cribraret, asserens de arbitrii libertate homini in una tantùm parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam ?... Quæ ista libertas est, si valet, edisseral, ubi hoc datur solùm velle, quod puniat ; aut quare electionem nominet, ubi unam tantùm partem asserit fuisse concessam. Quòd si veritate subsisteret, locum divina judicia non haberent. Quid enim boni à nobis Deus noster rectè quæreret, qui appetentiam ejus de voluntate subtraxerat ? Sed juxta Apostolum, * *Nunquid iniquus Deus ? Absit.* (*Galat.* II. 17.) Inter homines à recti discordat affectu, qui à subjectis exigit, quod in potestate non tribuit. Hoc de Deo quâ conscientiâ sentiatur, advertite. Ubi est illud Apostoli clamantis, et pro arbitrii libertate testantis, *velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (*Rom.* VII. 18.) ? quid est aliud, nisi dicere, Novi dextrum iter eligere ; sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor ? Nemo dubitat, nemo condemnat, quòd auctore gratiæ præstante et ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum et præcessor est gratia, quando cœlitùs multiplici ad requiem invitamur hortatu : quando nobis dicitur : *Venite filii, audite me* (*Psal.* XXXIII. 12.) : *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum.* (*Matth.* XXV. 34.) *Ubi ego sum, ibi erit et minister meus.* (*Joh.* XII. 26.) Sed nisi talibus monitis, et voluntas nostra, quæ libera est, et labor præstet obsequium, ad periculum et gehennam non imperio aliquo, sed sponte devolvimur. Itaque aut præmium devotio, aut pœnam contemptus operatur. Alioquin non erit justa retribulio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi, ad quod trahuntur invili. Ergo debemus gratiæ quòd vocamur : debemus gratiæ quòd occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur ; nostræ tamen electionis est, quòd beneficia demonstrata sectamur. Via enim scelerum non imperatrix nostra esse legitur, sed famula : cùm de peccatis dicitur, *sub te erit appetitus eorum.* (*Gen.* IV. 7.) Quid enim sibi vult universa Prophetæ, quasi sertis redimita elocutio : *Noli æmulari inter malignantes* (*Ps.* XXXVI. 1.) : *nolite confidere in principibus* (*Ps.* CXLV. 2.) : *nolite fieri sicut equus et mulus* (*Ps.* XXXI. 9.) : et Apostolus, *nolite fieri servi hominum* (1. *Cor.* VII. 23.) ? Tolies *noli* in superna admonitione, quò respicit, si aliud velle non licuit ? Deinde quamvis in persona Christi, tamen pro arbitrii adstipulatur ejusdem Prophetæ nobis libertate testimonium, *ut faciam voluntatem tuam Deus meus, volui* (*Ps.* XXXIX. 9.) : et alibi, *voluntariè sacrificabo tibi* (*Ps.* LIII. 8.) : et, *vota mea Domino reddam* (*Ps.* CXV. 18.) : et iterùm, *vovete et reddite.* (*Ps.* LXXV. 12.) Illud autem B. Apostoli, quo se munire credit, exemplum nobiscum facit, si quæ sequuntur advertat, cùm inimicus arrogantiæ dixit, *Gratia Dei sum, id quod sum.* (1. *Cor.* XV. 18.) Mox enim, ne sic fugax gloriæ crederetur, ut longo intervallo à veritate descisceret,

sapiens architectus adjunxit, *abundantiùs omnibus laboravi, et gratia Dei in me egena non fuit* (*Ibid.*) : quod dixisse est, Christus in me, quem dignè aut abundanter muneratur, invenit. Non enim pauper est divina gratia, sed meritorum nostrorum putatur quadam macie aut exilitate tenuari. Quæ tunc non suis æstimatur meatibus fluere, quando de ejus cursibus ariditatis nostræ vena nihil recipit.

S. Bern. Abbat. *in Cant. Serm.* 81. *n.* 6. Arbitrii libertas hæc est, planè divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem et malum, necnon inter vitam et mortem, sed et nihilominùs inter lucem et tenebras et cognitio judicii, et optio eligendi; et si qua sunt alia, quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur : nihilominùs inter ipsa censorius quidam arbiter (is animæ oculus) dijudicat et discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Undè et liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Indè homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum fuit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, et non fecit; sed et qui potuit non facere bona, et fecit; ita malo non caret merito tamis qui potuit non facere mala, et fecit, quàm is qui potuit facere bona, et non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur; quia sicut deliberatione, ita et libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent, quo se dijudicent sive regant : sed ne instrumentum quidem judicii, id est rationem. Indè est quod non judicantur, quia non judicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?

N. 7. Hanc vim à natura solus homo non patitur, et ideò solus inter animalia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quamdam vim et ipse : sed, à voluntate, non à natura, ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur. Quod enim voluntarium, et liberum. Et quidem peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam; sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se jam non potest quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens et jacens, amorem pariter justitiæ non amittit. Ita nescio quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit : ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam, premendo blandiens, et blandiendo premens : undè sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenùs de ratione queat. Indè querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus : *Domine*, inquit, *vim patior, responde pro me.* (*Isaï.* xxxviii. 14.) Sed rursùs sciens, quòd non justè causaretur adversùs Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid secutus intulerit : *Quid dicam, aut quid respondit mihi, cùm ipse fecerim* (*Ibid.* 15.)? Premebatur jugo, non alio tamen, quàm voluntariæ cujusdam servitutis; et erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se, cùm esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo : voluntas nihilominùs est, quæ se sub peccato tenet, voluntariè serviendo.

N. 8. Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tunc voluntarium dicis, quod jam necessarium constat esse? Verum quidem est, quòd voluntas seipsam addixerit : sed non ipsa se retinet; magis retinetur et nolens. Benè hoc saltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem esse, quam relineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quòd si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicet, aut quid respondebit ei, cùm ipsa fecerit? Quid fecit? Servam se fecit. Undè dicitur : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* (*Joan.* viii. 34.) Propterea cùm peccavit (peccavit autem cùm peccato obedire decrevit) servam se fecit. Sed fit libera, si non adhuc facit. Facit autem, in eadem servitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur : voluntas enim est. Ergo quia

volens, servam seipsam non modò fecit, sed et facit: Meritò proindè (quod sæpè memorandum est) quid respondebit illi, cùm ipsa fecerit ipsa et faciat.

N. 9. Sed non me, inquis, decredere facies necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam et assiduè luctor. Ubinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parùm firmiter vis, quod et necessariò vis. Multùm vis quod nolle nequeas, nec multùm obluctans. Porrò ubi voluntas, et libertas. Quod tamen dico de naturali, non de spirituali, *quâ libertate* (ut dicit Apostolus) *Christus nos liberavit.* (*Galat.* IV. 31.) Nam de illa idem ipse dicit: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* (3. *Cor.* III. 17.) Ita anima miro quodam et malo modo sub hac voluntaria quadam ac malè libera necessitate, et ancilla tenetur, et libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: et quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. (*Rom.* VII. 24.) *Miser ego homo, quis me liberabit* à calumnia hujus pudendæ servitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo: miser, quia servus. Liber, quia similis Deo: miser, quia contrarius Deo. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi* (*Job.* VII. 20.)? Posuisti enim, cùm non prohibuisti. Alioquin ipse me posui, *et factus sum mihimetipsi gravis.* Justissimè quidem, ut hostis tuus, hostis sit et meus; et qui tibi repugnat, repugnet et mihi. Ego verò, qui tibi, ego, qui mihimet contrarius factus sum, atque in membris meis invenio quod contradicat, et menti meæ, et legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? *Non enim quod volo, hoc ago* (*Rom.* VII. 15.), sed me, non alio prohibente: *et quod odi illud facio*, sed me, non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc, et hæc compulsio ita esset violenta, ut non esset voluntaria; forsitan enim sic possem excusari: aut certè ita esset voluntaria, ut non violenta; profectò enim sic possem corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem et voluntas, ut dixi inexcusabilem, et incorrigibilem necessitas facit. Quis me eripiet *de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui*? (*Ps.* LXX. 4.)

N. 10. Quærit quis, de quo querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccavi: exlex, quia voluntate persisto agere contra legem. Nam mea voluntas ipsa est lex in membris meis legi divinæ recalcitrans. Et quoniam lex Domini lex mentis meæ, sicut scriptum, *Lex Dei ejus in corde ipsius* (*Ps.* XXXVI. 31.): per hoc et mihi ipsi mea ipsius voluntas contraria invenitur, quæ est iniquitas maxima. Cui enim non iniquus, qui mihi sum? *Qui sibi nequam*, ait, *cui bonus?* (*Eccli.* XIV. 5.) Fateor non sum bonus, quia non est in me bonum. Consolabor me tamen, quia et sanctorum vox ista est: *Scio quia non est in me bonum*, inquit. (*Rom.* VII. 18.) Discernit tamen quod dicit, *in se*, in carne sua interpretans, propter contradictoriam legem, quæ in ea est.

Serm. 82. *n.* 5. Sed et voluntaria illa necessitas, et contraria lex inflicta membris (de qua proximo sermone disserui) eidem incubat libertati, et liberam naturâ creaturam per propriam ipsius voluntatem, dum allicit, subjicit servituti, implens faciem ejus ignominiâ, ita ut vel carne serviat legi peccati, et non volens. Quia ergo naturæ ingenuitatem morum prebitate defensare neglexit; justo auctoris judicio factum est, non quidem ut libertate propriâ mutaretur, sed tamen superinduceretur, *sicut diplois confusione sua...* (*Ps.* CVIII. 29.) Manente libertate propter voluntatem, servilis nihilominùs conversatio necessitatem probat... Quadam quasi acu peccati assuta est... necessitas libertati... non arbitrii libertati necessitas voluntariæ servitutis præscribit. Ita bonis naturæ mala adventitia, dum non succedunt, sed accedunt, turpant utique ea, non exterminant; conturbant non deturbant. Indè anima dissimilis Deo, indè dissimilis est et sibi: indè *comparata jumentis insipientibus, et similis facta est illis.* (*Psal.* XLVIII. 13.)

N. 7. Quò sibi plus displicet in malo quod in se videt, eò se ardentiùs ad bonum, quod æquè in se conspicit trahat, cupiatque fieri ad quod facta est, simplex et recta, et timens Deum, ac recedens à malo. Quidni recedere possit, ad quod accedere potuit? Quidni accedere, à quo recedere potuit? Quod tamen utrumque dixerim de gratia præsumendum, non de

natura, sed ne de industria quidem. Nempe *sapientia vincit malitiam* (*Sap.* VII. 30.), non industria vel natura. Nec deest occasio præsumendi: ad verbum est conversio ejus.

In fest. S. Martini Episc. serm. De exempl. obedient. n. 3. Frustra glorietur de libertate arbitrii, quæ in mente est; captivus ducitur in legem peccati, quæ in carne est... Jam triplicatus inferior ille et deorsùm trahens peccato equidem accedente funiculus, nisi illinc quoque occurrerit gralia, non rumpetur. Sanè ubi illa adfuerit, haud dubium quin solvatur facilè gravis iste quo trahimur, immò quem trahimus, funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos et Deum non separans intervenit, sed reparans et conjungens.

S. AELRED. *Specul. Charit. lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 96. Inter hanc ergo concupiscentiam, quæ cupiditas congruentissimè appellatur, et illam spiritûs quam charitatem non immeritò dicimus, quæ utique spiritûs est, non nostri, sed Dei; *charitas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V. 5.); inter hæc, inquam, duo, id quod in homine liberum dicitur arbitrium medium quodammodo locum tenet, ut ad quodlibet eorum se verterit anima, libero nimirùm fiat arbitrio. Nemo sanè ita desipiat, ut æqualem homini, et ad bonum, et ad malum, ex libero arbitrio adscribere audeat facultatem; cùm *non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis* (2. *Cor.* III. 5.); cùm Deus sit, *qui operatur in nobis, et velle, et perficere, pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.); cùm denique *neque volentis, neque currentis, sed miserentis sit Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Quid ergo? His omnibus liberum in homine negatur inesse arbitrium? Absit. Est quippe liberum arbitrium ea animæ vis, sive natura, vel si quid aliud congruentius dici potest, id hominis, quo cuilibet rei non sine judicio rationis consentit; non hujus, aut illius rei, boni, malive consensus, sed id quo consentitur. Sicut enim aliud est visus, aliud visio; nam visus quidem sensus est corporis unus de quinque, visio autem ipsius sensûs actus; ita aliud dicimus ipsum consensum, aliud id quo consentitur. Nam consensus quidem quædam animæ actio est; liberum arbitrium quædam animæ vis, atque natura, quâ consentit habens judicium sibi insitum, quo eligit cui rei consentiat. Sed quia consensus fit voluntate, judicium ratione, hæc duo voluntas et ratio liberum constituunt arbitrium. Ratio bona vel mala, justa et injusta, sive ea quæ media sunt, quasi proponit; voluntas consentit: cuicunque autem rei consentiat, nonnisi voluntate; ubi autem voluntas, ibi et quædam libertas. Ex his ergo duobus, ut diximus, liberum videtur constare arbitrium, ex libertate scilicet voluntatis, et arbitrio rationis. Vides igitur quæ non libero præscribat arbitrio, undecunque homini bona oriatur voluntas; quandoquidem nec in bona, nec in mala voluntate amittit voluntatem, ac per hoc nec libertatem, sed nec rationem, ideò nec rationem, ideò nec judicium. Quid enim? Quia *Deus est, qui operatur in nobis velle*, ideò amisimus velle? aut quia Dei est, quòd ratione benè utimur, ideò ratione non utimur? vel quia ex Deo nobis est quidquid boni perficimus, ideò bonum non perficimus? aut quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, quoniam ex Deo est nostra sufficientia* (2. *Cor.* III. 5.), ideò non est sufficientia. Hæc omnia, licèt ex Dei gratia est quod agimus, tamen agimus: nec sine voluntate, nec sine ratione agimus, ac per hoc non sine libero arbitrio agimus.

Cap. 11. Quidquid autem boni Deus per nos, vel de nobis sine nostra operatur voluntate, tantùm Dei est, non etiam nostri; quidquid autem cum nostra voluntate, et illius est, et nostrum. *Si enim volens id facio* (ait Apostolus), *mercedem accipio; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* (1. *Cor.* IX. 17.) Quocirca ut opus quod in nobis, sive per nos operatur, etiam nostrum sit, inclinat voluntatem ut consentiamus; sicque ex ejus gratia, merces fit nostra: *si enim volens id facio, mercedem accipio.* Ut autem sim volens in bono opere, *Deus est, qui operatur et velle:* ipse deindè voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulsandum, dat *gratiam pro gratia* (*Joan.* I. 16.); *perficere* scilicet *pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 13.) Postremò, quia via æterna bonorum operum merces est, ipsam dans coronat dona sua, quæ voluit esse merita nostra. Vide hoc totum in Paulo. *Qui fui* (inquit) *blasphemus, et persecutor, et*

contumeliosus. (1. *Tim.* I. 13.) Hic voluntas, sed mala; merita, sed pessima. *Sed misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Ecce voluntas bona, sed vide undè. Non quia aliquid boni in me præcessit, sed quia ejus misericordia me prævenit: *misericordiam enim consecutus sum, ut fidelis essem.* Nempe, ut ait Beatus Augustinus, *ire ad Ecclesiam, audire verbum Dei, sacramentum percipere Christi aliquis potest nolens, credere nemo potest nisi volens.* Audi et de opere: *Plus illis omnibus laboravi.* (1. *Cor.* xv. 10.) Hoccine habes Paule quod non accepisti? Imò accepi; et quidem *plus illis omnibus laboravi, non autem ego.* Quomodo utrumque verum, ego, et non ego? Non ego, quia non ex me, non viribus, non sapientiâ meâ, non denique meritis meis, sed gratiâ Dei. Quid ergo? itane ut liberum tibi tollat arbitrium, destruat voluntatem, judicium rationis absumat? Absit. Dixi, Non ego, quia gratia Dei; sed tamen ego, quia *gratia Dei mecum.* Quomodo mecum? Agens scilicet, ut consentiam operanti, et sic ipse cooperer, ne si me invito, de me aut per me operetur, non sim qui dicam, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* (2. *Tim.* IV. 7.) Non ergo liberum arbitrium ad aliquod bonum sufficit, sed in ipso, vel cum ipso, vel per ipsum, Deus multa bona perficit. In ipso, quando illud occultâ inspiratione ad aliquod bonum erigit; cum ipso, quando ipse liberum arbitrium sibi per consensum jungit: per ipsum, quando Deo operante, aller per alterum proficit. *Reposita est mihi* (inquit), *corona justitiæ.* Quæ corona nisi vita æterna? *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* (*Ibid.* 8.) Reddet, inquit, ergo quia redditur, merces est vita æterna, merces planè quia bonum opus præcessit: *bonum* enim *certamen certavi.* Sed hoc opus undè? *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Merita itaque nostra Dei est gratia, propter quæ merita dat vitam æternam; *gratiam pro gratia.* (*Joan.* I. 16.) Denique *reddet unicuique secundùm opera sua.* (*Rom.* II. 6.) Sed illa tantùm opera cœlesti mercede donantur, quæ priùs ejus munere largiuntur. Nam quòd vita æterna gratia sit, ipsum iterum audi: (*Rom.* VI. 23.) *Stipendium* enim *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Gratia, inquam, vita æterna, et duplex gratia: Gratia, quia pro gratia data; gratia, quia meritis præponderat gloria; *non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (*Rom.* VIII. 18.)

Cap. 12. *pag.* 97. E quibus quotquot salvantur, evidentiori fit gratiâ, quippè quibus liberum deest arbitrium, cui possint adscribi merita: cæterum in illa mihi videtur cumulatior, quâ et merita donantur et præmia. Igitur in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est. (*S. Cyprian.*) Quis enim te discernit, ô homo? liberum arbitrium? Ita planè, sed à jumentis, non ab injustis. Nam et injusti liberum habent arbitrium, sine quo non possent esse vel injusti: excepto duntaxat originali peccato, quod aliâ ratione etiam invitos quosque constringit; nemo nisi voluntate justus, nemo nisi voluntate potest esse injustus, ac proindè nec sine libero arbitrio. Sed voluntatem ad justitiam sola gratia erigit, in injustitiam ipsa se dejecit. Porrò ubicunque voluntas, ibi et libertas. Ubicunque enim voluntate est, ibi non cogitur ut sit necessitate. Habet ergo innatam sibi quodammodo voluntas libertatem, quia nullam potest pati necessitatem. Vis audire quamdam etiam in injustitia libertatem? Audi Apostolum. *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* (*Rom.* VI. 20.) Videsne quòd non desit libertas voluntati, etiam in servitute peccati... Patet ni fallor ratio, quòd nec gratia liberum arbitrium destruat, nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim gratia liberum arbitrium auferat, cùm gratia non nisi in libero operetur arbitrio? Neque enim gratia ista de qua loquimur, aut in brutis animalibus, aut in rebus operatur insensibilibus, sed in his tantùm, quæ præceptionis, aut prohibitionis capaces audiunt, Fac hoc, et fac illud; et, Noli hoc, et noli illud: quæ proculdubio non dicuntur nisi suis, quibus inest liberum arbitrium, quo possint velle hoc aut illud. Ut autem bonum velint, Dei gratia operatur, non liberum destruens arbitrium, ut nihil velint, sed ad hoc inclinans ut bonum velint. Quocirca cùm aliquid boni facis, noli existimes hoc tuis viribus agere, nec tamen à tua id alienes voluntate; quandoquidem non dicendum est opus bonum, nisi sit et voluntarium.

Cap. 13. Cùm omnis creatura de nihilo sit facta, et mutabilis facta, na-

turali quodam suæ mutabilitatis impulsu semper ad id, de quo facta est, id est ad nihilum vergit... Quapropter ut in inferiora suâ mutabilitate non defluat, ut in eo quod est, suam mutabilitatem cohibeat; ut ad altiora auspicio feliciori se subrigat; semper illius eget gratiâ, cujus est creata potentiâ.

Cap. 14. *pag.* 98. Undè et in cœlis Angelo, et homini in Paradiso, licèt nulla eos coarctaret infirmitas, quibus nulla dominabatur iniquitas, quia tamen uterque mutabilis naturâ, utrique hæc gratia necessaria; quæ utique si collata non esset, excusabiliter uterque peccasset. At quia ex creante gratiâ, bona eis erat collata voluntas; ex adjuvante gratiâ, si ipsi vellent, in ea perseverandi facilitas; nulla superest de mutabili natura causatio, cui sustentandæ, ac promovendæ non deesset divina bonitas, si eam propria illorum non deseruisset iniquitas... Sed quod, inquis, hominis vitium, si bonam non habuerit voluntatem, quam nec propriis viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus acquirere, nec adeptam suis poterit viribus retentare? At qui bonæ voluntatis conditus, cujus est vitio pejoratus? Cur non justissimè ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei Creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit? Et si fortè æquum non videtur ut hinc culpetur, si nunc bonam non habeat voluntatem, quam quidem habere non poterit si non acceperit; injustumne ut imputetur ei, quòd acceptam amisit? injustum ut imputentur mala, quæ nullo cogente deliquit?

RADULPH. FLAVIAC. *in Levitic. lib.* 12. *cap.* 1. *pag.* 158. *Tom.* 17. *Biblioth. PP. Lugd.* Sortis autem interpositio, manifesta est divinæ gratiæ commendatio. Sicut enim ubi sors discernit, hominis deliberatio otiosa est, dum pars utraque non sibi spectat, sed sortis examen exspectat: sic in nobis omnibus qui *naturâ sumus filii iræ* (*Ephes.* II. 3.), qui sub jugo dæmonicæ nascimur servitutis, non exspectatur quis velit exire, sed quem superna clementia velit liberare. *Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Nec hoc dicentes, humani arbitrii destruimus libertatem. Libertas namque est homini, si cœlitùs adjuvetur: alioqui nulla est, si gratiâ destituatur. *Sine me*, inquit Dominus, *nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

GUIGON. Carthus. Prior. *de quadripart. exercit. cellæ*, *cap.* 28. *pag.* 1489. Est autem liberum arbitrium, judicium voluntatis liberum: quo quippè ferè modo et à Philosophis descriptum invenitur. Aiunt enim, *Liberum arbitrium est, liberum de voluntate judicium.* Id est liberum arbitrium est potestas discernendi inter bonum et malum, cum voluntaria electione boni, et reprobatione mali. Nam arbitrium ad discretionem judicii pertinet, undè arbitros Judices dicere solemus: libertas verò ad voluntatem, quam liberam habet creatura rationalis. Nam liberè bonum vult illa quæ bonum vult: et liberè malum vult illa quæ malum vult. Sed illud fit gratiâ Dei præveniente, id est, quòd creatura rationalis vult bonum: hoc autem fit gratiâ Dei deserente, id est, quòd creatura rationalis vult malum: sed semper utrumque fit voluntate. Nam nec gratia Dei adjuvans, voluntatem premit necessitate, nec deserens spoliat libertate. Indè est quòd voluntas præmium meretur et pœnam, quia liberè et absque omni coactione ad utrumque se inclinat, id est, ad bonum et malum. Non autem sine causa dictum est liberum voluntatis judicium. Sola verò voluntas semper creaturæ rationalis est. Nam ad voluntatem habendam, nullo indiget extra se posito creatura rationalis: quod in mala voluntate omnes esse novimus. Nam ad eam habendam ex se sola, creatura rationalis sufficiens est: sed ad bonum habendum, ex se sola, creatura rationalis sufficiens non est, nisi sit adjuta à gratia Dei. Sed licèt sine gratia Dei, bonam voluntatem habere non possit, non tamen aliquo extrinseco eget ad bonam voluntatem habendam. Nam nisi culpa creaturæ rationalis obsistat, nunquam gratia Dei deest ad bonam voluntatem habendam. Nihil est ergo quod sic sit potestatis creaturæ rationalis, sicut est ipsa voluntas, quam semper liberè habet, ratione discernente an bona sit vel mala. Benè ergo liberum arbitrium, dicitur liberum voluntatis judicium, vel liberum de voluntate judicium; eò quòd, ut dictum est, creatura rationalis semper habet potestatem liberè volendi bonum vel malum, cum electione hujus, id est, boni; et judicio reprobationis illius, id est,

mali. Illi verò spiritus qui ad Deum conversi sunt, glorificationis præmium acceperunt beatitudinem æternam, quâ pro meritis digni facti sunt gratiâ Dei adjuvante, absque coactione quidem, et in æternum Deum videntes, in ipso, de ipso, et cum ipso sine fine gaudent. At verò qui à Deo aversi sunt, inferni sunt rudentibus traditi, (quod ex culpâ meruerunt, Deo deserente, absque oppressione tamen,) et in æternum Deum non videbunt.

GILLEBERT. Abbat. *in Cant. Serm.* 39. *n.* 3. *pag.* 132. *Charitas* nonne et ipsa *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v. 5.)? Multa sunt aromata quæ profluunt per Spiritum, nec nisi per Spiritum, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *longanimitas*, *bonitas*, *benignitas*, *fides*, *mansuetudo*, *modestia*, *continentia*, *castitas*. (*Galat.* v. 22. *et* 23.) Hæc non modò provenerunt, sed etiam profluxerunt. Quòd profluunt, copia designatur: quòd ad flatum austri, coactio tollitur. Charitas non potest cogi, gratis fluit, non necessitate, sed arbitrio fertur, austro tamen flante. Arbitrii enim quid conferret libertas, si non adspiraret auster gratiæ? Nam etsi arbitrium ubi est, semper liberum est; non tamen liberum ad omnia id esse damus: nec electionem, nec executionem omnium liberam habet. In eligendo semper est libertas, sed non est semper ad eligendum. Eligere namque nisi libere non potest: sed est aliquid, quod non eligere per se potest. Sui juris voluntas est; libera est cùm adest: sed non est animus ad omnem quam oportet adesse voluntatem liber, cùm abest. Nec magis sui juris est, quòd intensam habeat voluntatem bonam. Sed quantum post lapsum in libertate consistit arbitrii, quod vult animus, semper liberè vult: sed non est liberum ei quodlibet, etiam quod oportet, velle. Est enim libertas, quæ sine voluntate non est, et sine qua non est voluntas: et est libertas quædam, quam non semper comitatur voluntas. Illa est in voluntate, hæc est in quadam volendi facultate. Illa est in ipsa; hæc quasi ad ipsam. Istam possumus, et illam cogimus. Visus quædam est vivendi virtus in oculo, et visus nihilominùs quædam passio in videndo. Sic et in animo dicitur intellectus et potentia naturalis ad intelligendum, et usus potentiæ. In arbitrio similiter hæc occurrit distinctio, ut uno sub nomine, et aptitudo intelligatur, et actus. Utrobique arbitrii libertas est, et ad arbitrandum, et in arbitrando: et cùm in malo est, semper serva est. Illa quidem eo ipso serva, quo infirma tam ad bonum, quàm contra malum. Libera est voluntas mala eo ipso quod mala. *Omnis enim qui facit peccatum servus est peccati.* (*Joan.* VIII. 35.) Peccatum enim quem occupat, stringit et ligat: captivat dum cogit.

N. 4. Sed tu, Domine, *converte captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* (*Ps.* CXXV. 4.) Emitte spiritum tuum, et renovabitur antiqua libertas: renovabitur, inquam, non recreabitur. Nam etsi obliterata est, ablata tamen non est. Manet quæ creata est, sed movere se nequit ad quod est data; vivit, non viget. Sic et in phreneticis non minuitur innata rationalitas, sed in sic affectis nullus ejus motus existere valet. Cùm fuerit curata gravis passio, non redditur, sed resuscitatur consopita ratio. Sic et concreata homini libertas arbitrii, non est penitùs vel ex parte ablata, sed peccato ligata: eadem est quæ facta est, sed est aliter affecta. Et (ut sic dicam) est libertas conditionis, est libertas dispositionis, est libertas affectionis. Prima naturæ est, et ideò semper bona est; sed nisi sanata fuerit, nec secunda erit ad bonum, nec tertia in bono. Prima in naturali aptitudine consistit, secunda in habitu benè vel malè constitutæ mentis, tertia in usu. Ideò nisi fuerit aptitudo naturalis adjuta per gratiam, nec habitus, nec actus voluntatis ad virtutem spectabit. Invalida est arbitrii libertas: propterea ubi arbitrium succumbit, afflet auster, et statim aromata fluent. Non habet generosam hanc libertatem et verè liberam, quæ est ad bonum et in bono, nisi Spiritus liberaverit. Idcircò, Domine, emitte spiritum tuum, ut conferat et posse, et velle per gratiam, qui primò possibilitatem ad utrumque contulit, dum naturam hominis condidit. Tres suprà enumeravimus libertates. In tertia velle quidem adest, in secunda subest, in prima consideratur ad duas reliquas potentia naturalis. Ergo prima vocetur potentia, secunda potestas, tertia voluntas. Non videtur idem, naturalem potentiam ad aliquid habere, et illud posse. Multa siquidem ad quæ naturaliter poten-

tes sumus, non statim illa possumus, ubi connata facultas, aut infirmitate præpeditur, aut arte usuque destituitur. Frequenter ad horam oculus videre non potest: cùm tamen naturali non deficitur potentiâ visus, adest habitus et abest usus. Naturaliter potens est videre, sed actualiter non potest. Sic et naturalis libertas arbitrii manet quidem, sed impedita peccato: ideoque non valet habere tertiam illam libertatem, quæ est in bono, nec secundam quæ est ad bonum. Prima manet mutata quidem, non imminuta: reliquæ nec manere dicendæ sunt. Non enim post peccatum, liberum nobis relinquitur bonum velle: ideò nec residua libertas est, quæ consistit in bona voluntate: sed per gratiam hæc ultima inspiratur, et secunda reparatur, et prima naturaliter creatur.

N. 5. Dicta hæc sint de libertate, quâ bonum volumus, quoniam est ex gratia. Sed est alia libertas nihilominùs per gratiam, quâ non modò benè volumus, sed bonum ipsum affectuosè. Illa libertas semper in voluntate est, ista non sic. Semper enim liberè volumus, affectuosè non semper. Affectus ad libertatem non spectant arbitrii. Nec tamen planè libera est bonæ voluntatis libertas, si affectuosa non fuerit... Ad ista potest adspirare libertas arbitrii, sed de arbitrii libertate non pendent. Sicut affectiones malæ contra bonam voluntatem sæpè sunt, sic bonæ cùm adsunt, etsi cum ipsa sunt, ex ea tamen non sunt: libera est sine istis, et quasi liberalis redditur ex istis. Voluntatem ipsam liberiorem efficiunt, sed ex ejus libertate non fluunt.

GUILLELM. PARIS. *de anima*, *Part.* 10. *pag.* 144. Stabilitur gratia quæ est gratuitum adjutorium Creatoris, non solùm ad vincendam et subigendam brutalitatem ejusmodi, sed etiam ad operandum sublimiùs quàm naturales vires animarum humanarum possent. Jam enim alibi didicisti quoniam supra naturam est tam nobilitate, quàm potentiâ, similiter et opera ipsius super opera naturæ, nec potest ullo modorum natura in opera gratiæ. Et hoc etiam feci te scire causam propter quam brutalitas ista, sive animalitas vincit in hominibus, et animabus prædicto adjutorio, quod est gratia, carentibus, vincit, inquam id quod naturaliter est in nobis præcellentius, et quo brutis antecedimus; illud enim est dejectum et prostratum in nobis, et adeò debilitatum ut erigere se non possit; id verò quod est brutale sive animale in nobis, non solùm forte est, et erectum fortitudine naturali, sed etiam invaluit, non modicùm corruptione originali, et propter hoc vincit spirituale minimum quòd multò debilius est ipso.... Et quoniam victoria nobis necessaria est, quâ scilicet spirituale nostrum vincat, et superet animale nostrum sibi jugiter adversans, et contra ipsum prælians, ne in mortem et exterminationem vitæ rectæ, et creatori placitæ decidentes, tandem in æternæ mortis damnationem irreparabiliter inducamur. Jam igitur feci te scire, et stabilivi tibi per hoc adjutorium quo necesse habet adjuvari à Creatore spirituale nostrum in istius vitæ miseria, adjuvari, inquam, ad hoc ut vincat et superet prænominatum quod in nobis est animale: et hoc adjutorium Dei gratia nominatur in lege et doctrina Christianorum, quoniam est donum Dei gratuitum, quod est dicere solà bonitate Creatoris, quibus ejus dignatione fuerit datum.

Part. 20. *pag.* 175. Neque gratia, neque gloria naturam destruit, aut lædit, quin potiùs illam incogitabiliter exornat, decorat, ac perficit.

Ad Paginam 134. *lin.* 40.

(O) EUSEB. CESARIENS. *Comment. in Psal.* LVII. *pag.* 257. Quoniam enim liberâ et sui arbitrii naturâ prædiți, vi internoscendi boni et contrarii instructi, atque liberam ad utrumlibet inclinationem nacti, non rectè judicio suo sunt usi, neque rectam viam, etsi notam sibi, dilexerunt, neque operibus justitiam adierunt, quam verbis duntaxat et labiis sunt professi, veterique serpenti similes, aspide surdâ deteriores evasere; ideò quæ ipsis eventura sint audite, disciteque, ab universorum judice Deo conterendos esse... Nec cum memoratis impiis et peccatoribus unà abducamini: quos præscientiâ suâ prævertens Deus antequam in lucem prodirent, tales futuros esse noverat; sed tamen concessit ut nascerentur ac in lucem venirent, gratiâ suâ ipsis quoque concessâ, ut palam eorum propositum fieret. Siquidem et ordinem justorum rectam ac minimè deflexam viam suapte voluntate initurum prævertens Deus noverat. Deindè

utrique ordini liberum arbitrii motum dimisit, concedens ut in stadio cursum conficerent. Ac cùm universos naturâ similes constituisset, voluntate propriâ quemque meliora deligere pariter permisit. Illi verò utpote qui sui ipsorum domini, sui juris, ac liberi quoad motum essent, arbitratu suo disjuncti sunt, aliis rectam, obliquam aliis viam cooptantibus. Ideò justus ille judex, utrique ordini ceu certaminis arbiter, congruenti ac debito fine dignos remunerat: non hominum ritu ex actuum eventu cujusque mores ediscens; verùm utpote Deus omnia cognoscens ante originem. Quare alii quidem antequam cæteris noti essent, ab eo alienati sunt; sancti verò, electione dignati, sicuti Jeremias Propheta, cui dixit Deus: *antequam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.* (*Jerem.* I. 5.) Idipsum Apostolus declarat his verbis: *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum* (*Ephes.* I. 4. *et* 5.); ac rursum, *in quo et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm præscientiam ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.* (*Ibid.* 11. *et* 12.) *Viden' quomodo ante mundi constitutionem, electos et prædestinatos dicat ad adoptionem filiorum, secundùm propositum ejus qui talia operatur? Eamdemque ipse sententiam profert his verbis: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* (*Rom.* VIII. 28. 29. *et* 30.) Similia de se ipse declarat dicens: *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, revelare Filium suum in me.* (*Galat.* I. 15.) Quemadmodum igitur cùm eos præscivisset, qui amaturi ipsum erant, etiam prædestinavit: sic et impios cùm prævidisset justitiam loculturos, utpote qui nossent illam; sed ipsam tamen non operibus adituros esse, quia injustitiam manibus complicaturi erant, ideò alienavit eos à vulva, et vel antequam fierent in errantium et mendacia loquentium numero in se computavit; permisitque tamen, etsi tales futuros esse nosset, ut palàm prodirent; quo præstantia justorum religiosorumque hominum ex pejorum comparatione eluceret. Nam cùm ex una omnes natura constarent; libero usi arbitrio, alii quidem sponte bonum elegerunt, alii contrariam iniere viam. At excelsus et magnus ille universorum judex, utrique ordini præsidens, pro merito cuique tribuit. Quare sui amatores gloriâ adfecit, conformes imagini Filii sui exhibens, quippe qui amorem erga se operibus comprobaverint: alios verò ipsis oppositos, utpote qui sese ab ejus gratia abalienaverint, dejicit: dentes eorum, quibus non ut par erat usi sunt, conterit, molasque eorum, queis multis perniciem intulerunt, confringit.

THEOD. STUD. *Epist. lib.* 2. *Epist.* 193. *Eudocimo Spatario.* Ex una parte ratio, ut ait, te provocat ad orationem; ex altera inhibet, tanquam sciente Deo quid petere velimus: ut proinde supervacaneum sit orare. Ad hæc quia peccator es, nihil juvat orare... Quid in his ergo dicendum est? Quod fortunæ et fati significationem habeat hæc cogitatio, atque ut totum dicatur, liberi arbitrii eversionem. Idcircò huic opinioni adhærere nos non oportet, qui prudentes sumus, et Dei cognitione locupletati: sed, quod secundùm propositionem attinet, persuasum habere, etiam peccatores, optimâ pœnitentiâ utentes, audiri à Deo: quo enim pacto, cùm super pœnitentibus gaudeat, juxta divina oracula (*Luc.* XV. 10.), horum preces non exaudiat? In præcedenti propositione sic respondendum: Divina providentia non tollit liberum arbitrium. Etenim non quia præscit, facimus quæ facimus: sed quia facturi sumus prænoscit; et confirmatur in hoc, et præscientiæ definitio, et liberi arbitrii ratio. In iis enim quæ non sunt in nostra potestate, præcedit Dei definitio, de tempore, loco, ac modo: in iis verò quæ in potestate nostra sunt, in quibus est liberum arbitrium: subsequitur quodammodo Dei præscientia, tum in virtute tum in vitio. Quare oportet nos et amare et orare meliora: ut Deum indè habeamus subsequentem nos: sed contrariis modis. Nos enim modis contrariis subsequetur, si hic quidem puniat et castiget; ibi verò coronet et regnum cœlorum nobis rependat.

S. Hieron. *Comment. in Eccles. cap.* 6. *in hæc verba : Qui futurus est jam vocatum est nomen ejus, etc.* (*Eccle.* VI. 10.) Nonnulli illud in hoc loco significari putant, quòd omnium qui futuri sunt, et hominum corpore circumdandi, jam Deus vocabulum noverit : nec possit homo respondere contra artificem suum, quare ita vel ita factus sit. Quantò enim ampliùs quæsierimus, tantò magis ostendi vanitatem nostram et verba superflua, et non ex præscientia Dei liberum tolli arbitrium, sed causas ante præcedere, quare unumquodque sic factum sit.

Comment. in Jerem. cap. 26. *pag.* 152. Forsitan, inquit, audiant et convertantur. Verbum ambiguum, forsitan, majestati Dominni non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominì servetur arbitrium : ne ex præscientia ejus, quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quòd Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est : sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum. Et tamen sciendum juxta hunc eumdem Jeremiam : et si mala prædixerit Dominus, et egerit populus pœnitentiam, quòd et ipse acturus sit pœnitentiam super nis quæ facere comminatus est. Et si prospera pollicitus fuerit : et egerit populus negligenter, mutet Deus sententiam : et pro bonis mala inferat. Tale quid et illud in evangelio est : *Mittam filium meum, forsitan verebuntur eum.* (*Luc.* XX. 13.) Quod utique ex persona Dei omnipotentis dicitur. Denique et in præsenti ait : *si fortè audiant et convertantur unusquisque à via sua mala* (*Jerem.* XXVI. 3.) : ut cùm illi conversi fuerint, et meæ sententiæ me pœniteat : et non faciam quod eis facere cogito. Cogito autem facere propter malitias studiorum illorum : quæ si fuerint immutatæ, et mea sententia commutabitur. Legamus historiam Jonæ et Ninive. Et dices, etc. In nostra ergo positum est potestate, vel facere quid, vel non facere : ita duntaxat ut quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus : qui juxta Apostolum *dedit nobis, et velle et perficere.* (*Philip.* II. 13.)

S. Leo. *Serm.* 65. *de Pass. Dom.* 16. *cap.* 2. *Vide suprà hujusce Operis Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 9. *litt.* (A)

Venerab. Hildeb. *Serm.* 31. *in Dom. Psal. serm.* 3. *pag.* 370. Ille terror desperantibus, et non pœnitentibus, qui nolentes pœnitere, in peccatis suis sunt mortui ; et tunc mors Christi utrisque erit finitima, et utrisque, *si vellent*, profutura ; mors enim Christi nullum cogit.

Amolon. Lugd. Archiepisc. *Epist. ad Gothesc. pag.* 1146. Fides Catholica firmissimè teneat, nec ipsum diabolum et Angelos ejus, ad hoc unquam prædestinatos ut tales essent : sed quia tales suo vitio esse voluerunt, idcircò eis æterni ignis supplicia præparata. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum Angelorum : sed ipsi sibi sunt auctores mali, quod propriâ voluntate gesserunt ; Deus autem justus ultor et judex in his, quæ ejus æquitate passuri sunt. Præscivit ergo æternaliter futura mala merita ipsorum : sed præscientia ejus non eis intulit necessitatem, ut aliud esse non possent ; sed tantùm prævidit quòd aliud esse nolent. Prædestinavit eisdem malignis Angelis, et reprobis hominibus, perpetuas pœnas : non quia malignos et reprobos ipse eos facit, sed quia malignos et reprobos suo vitio futuros illos prævidit. Quid mirum si eos justo judicio suo æternis pœnis et incendiis prædestinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur ? Non itaque in illis prædestinavit omnipotens Deus quæ sibi erant facturi iniquâ voluntate suâ, sed quæ ipse de iis erat ordinaturus æquissimo judicio suo. Nulla enim prædestinavit injusta, sed tantùm justa : injusta verò præscivit ut Deus, futura prædestinavit ut judex justus damnanda. Nec præscientiâ tamen, nec prædestinatione suâ, cuiquam malorum hominum, vel Angelorum, necessitatem imposuit malè agendi, sed tantummodò pro malis gestis æternas pœnas luendi. Undè verissimè ad eum Scriptura dicit, *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII. 42.) ; et iterum de illo, *Domino enim Deo antequam crearentur omnia fuerunt cognita : similiter et post perfectum respicit omnia* (*Eccli.* XXIII. 29.) ; et alio loco, *à seculo*, inquit, *usque in seculum respicit, et nihil est novum in conspectu ejus.* (*Eccli.* XXXIX. 25.) Sunt quidem in malis et damnandis aliqui reputati qui aliud esse non potuerunt : sicut parvuli recèns nati, sub reatu originalis peccati defuncti,

quibus per baptismum Christi non potuit subveniri. Sicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec credere ei quem non audierunt, nec audire sine prædicante, nec prædicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. (*Rom.* x. 14.) Sed et in his non est iniquitas apud Deum, quia et illos traxit ad mortem originale peccatum, et istos et originale pariter et actuale. Ipso tamen ubique justo judice, qui de tota humani generis massa, ob primæ prævaricationis meritum justè damnatos; alios facit vasa misericordiæ gratuità gratià, alios permisit esse vasa iræ justo judicio. Sin autem hoc quæritur ubi in Scripturis prædestinatio in malam partem dicatur, ipsum quidem proprie verbum tali sensu positum forsitan non facilè invenitur: sensus tamen verbi manifestè in pluribus locis apparet. Sicut imprimis de Angelis refugis, Judas B. Apostolus dicit, " *Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, carceribus caliginis damnatos tradidit in judicium cruciandos reservari.* (*Jud.* 6.) Et de Antichristo Paulus Apostolus dicit, *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* (2. *Thess.* II. 3. *et* 4.) Et post pauca, *Quem Dominus interficiet spiritu oris sui, et destruxit illustratione adventûs sui.* (*Ibid.* 8.) De Juda quoque proditore ipse Dominus cùm pro Apostolis oraret, *Et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* (*Joan.* XVII. 12.) De quo etiam Apostoli, orantes pro electione successoris ejus Matthiæ, ad Dominum dicunt, *ostende quem ex his duobus elegeris, accipere locum ministerii hujus, et Apostolatum, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* (*Act.* I. 24. *et* 25.) Tale est illud, quod per Salomonem dicitur, *universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* (*Prov.* XVI. 4.); et quod in libro Job scriptum est, *Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducitur...* (*Job.* XXI. 30.) Sed hæc omnia ita fideliter pensanda sunt, ut in eis et malorum, sive Angelorum, sive hominum, iniquitas, et Dei vindicantis incontaminabilis justitia cognoscatur. Præordinavit atque tradidit Angelos malignos in judicium cruciandos reservari: sed exigente eorum impietate, quia non servaverunt ordinem et honorem suum, quem sub Deo et cum Deo habere potuerunt. Et Judas præcognitus et prædictus est filius perditionis, sed merito impiæ proditionis. Abiit in locum suum, id est sibi in pœnis destinatum et præparatum: sed quia prævaricatus est de loco ministerii et Apostolatûs. Ita non est mirum, si Antichristus, quia præscitus est homo peccati, præcognitus etiam et prædictus est filius perditionis et furoris: sed quia ipse suâ sponte et malus et impius existit... Paravit ergo et præordinavit istiusmodi transgressorem ad romphæam, id est, ad mortem et interitum: sed justè, quia ipse ultrò trangressus est à justitia ad peccatum. Juxta hunc igitur divinæ auctoritatis sensum, omnipotens Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat ut sit malus: quia non malorum sed bonorum auctor est bonus, et malorum gestorum ultor est justus, et, si mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius.

Opusc. primo de præscientia vel prædestinatione pag. 1156. Omnipotens Deus, quia verissimè verus et solus Deus est, omninò in sua æterna et incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens: *Deus æterne, qui nosti omnia antequam fiant.* (*Dan.* XIII. 42.) Præscivit ergo sine dubio, et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit suâ gratiâ ut boni essent; in malis verò, non ipse fecit ut essent mali, quod absit: sed tantùm præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantùm quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Undè Scriptura, incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo, *nemini mandavit impiè agere, et nemini dedit spatium peccandi.* (*Eccli.* XV. 21.) Quòd ergo impiè agunt impii et iniqui, et spatium temporis vitæ hujus, quod eis dedit Deus ad benè agendum, ipsi et è contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, et ideò rectè damnantur ipsius justitiâ. Præscivit autem

idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injustè constituit, et qui reddit unicuique secundùm opera sua, id est, et benè agentibus bona æterna, et malè agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omninò, et per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos, id est, et in præsenti seculo benè victuros, et in futuro feliciter remunerandos. Utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Undè Apostolus vasa misericordiæ eos appellat, dicens, *ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* (*Rom* IX. 23.) E contrario autem malos, et præscivit per propriam malitiam malos futuros, et præscivit per suam justitiam æternâ ultione damnandos... Hoc modo et de prædestinatione Dei omninò sentiendum est. Quia in bonis prædestinavit, et ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, et pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Undè ait Apostolus, *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* (*Ephes.* I. 5.); et alio loco, *Quo præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* (*Rom.* VIII. 29.) Prædestinavit utique electos suos, ut et nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, et in futuro efficiantur conformes imaginis filii Dei, per eamdem Dei gratiam secundùm imaginem ejus renovati et glorificati. Prædestinavit omninò ut et hi essent boni, non ex se, sed ex illo, et illi beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis et de eis futura præscivit et prædestinavit. In malis verò et impiis, non prædestinavit omnipotens Deus malitiam et impietatem, id est, ut mali et impii essent, et aliud esse non possent: sed quos præscivit et prævidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimetipsis exstiterunt causa perditionis: Deus autem justus judex et ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed justa: prædestinat tamen et coronas justis, et pœnas injustis, quia utrumque est justum..... Qui ergo dicit, quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, et ideò aliter evenire non potest: similiter quoque et de justis tanquam et ipsi ideò salventur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt: qui ergo hæc tam confusè et insulsè dicit, et illis tollit meritum damnationis, et istis meritum salutis. Ac per hoc quid aliud agit, nisi ut et pereuntibus secundùm illum sit imposita necessitas perditionis, et his qui salvantur, sit imposita necessitas salutis? Atque ideò nec illi justè damnentur, qui justi esse non potuerunt, nec isti justè remunerentur, qui aliud quàm justi esse nequiverunt, ut in utraque parte et perditio et salus non sit ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio divinæ præordinationis? Et ubi erit illud, *Qui reddet unicuique secundùm opera sua...* (*Rom.* II. 6.) In bonis autem, omnipotens Deus, sicut suprà satis ostensum est, utrumque præscivit et prædestinavit, ut et in præsenti vita per suam gratiam existerent boni, et in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est, præsentis et futuri ipse est auctor, et idcircò sine dubio utriusque præcognitor et prædestinator... Hoc est breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem Catholicæ fidei est tenendum. Quòd scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia *per unum hominem peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccaverunt* (*Rom.* V. 12); ita istud liberum arbitrium, in universo genere humano, illius prævaricationis merito, vitiatum et corruptum, ita obcæcatum est et infirmatum, ut sufficiat homini ad malè agendum, id est, ad ruinam iniquitatis, et ad hoc solum possit esse liberum; ad benè verò agendum, id est, ad exercitium virtutis, et fructum boni operis, nullo modo assurgat et convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu (1. *Tim.* II. 5.), et donum Spiritûs sancti, instauretur, illuminetur, atque sanetur. Sicut ipse salvator in Evangelio promittit, dicens: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis* (*Joan.* VIII. 36.); et Apostolus ait: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* (2. *Cor.* III. 17.) Ut per hanc gratiam Christi, et spiritus Christi, humanum liberum arbitrium,

illuminatum, atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ, *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* (*Ps.* XXVI. 1.) Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat; ut ad benè et piè vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandumque committat, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (*Ps.* XXXVI. 23.); illumque oret, atque supplicet dicens: *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia* (*Psal.* CXVIII. 133.); et iterùm, *Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua.* (*Ps.* LXXXV. 11.)

S. AMBR. *Epist. class.* 1. *Epist.* 37. *n.* 17. Ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est, legem sciens naturæ præscriptam esse moribus, non conditionibus; et mensuram officiorum consentaneam non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis.

N. 18. Justo non est posita lex, sed injusto: justus enim ipse sibi lex est, non habens necesse longiùs sibi accersere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habens opus legis in tabulis cordis sui, cui dictum sit: * *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus.* (*Prov.* V. 15.) Quid enim nobis tam proximum, quàm Dei verbum? Hoc est verbum in corde nostro, et in ore nostro, quod non videmus et tenemus.

N. 19. Sapiens ergo liber, quoniam qui ea facit, quæ vult, liber est. Sed non omnis bona voluntas, sed sapientis est omnia quæ bona sunt velle; odit enim malum, quia quod bonum est, elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, et eligens operationis liber est; quia quod vult facit: liber ergo sapiens.... Ubi autem nulla formido, ibi libertas: ubi libertas, ibi potestas faciendi quod vult: solus ergo sapiens liber est.

N. 20. Etenim qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam servus: sapientis autem est neque cogi, neque prohiberi: non est igitur servus sapiens. Prohibetur enim, qui non fungitur iis, quæ desiderat: quæ autem desiderat sapiens, nisi ea quæ virtutis et disciplinæ sunt, sine quibus esse non potest? In ipso enim sunt, nec divelluntur ab eo. Quòd si divelluntur, jam non sapiens, qui sit sine virtutis usu ac disciplina, quibus ipse se fraudet, si non sit voluntarius virtutis interpres. Quòd si cogitur, manifestum est quòd invitus faciat. In omnibus autem factis aut à virtute correctiones sunt, aut à malitia prolapsiones, aut media, aut indifferentia. Virtutis non coactus, sed voluntarius exsecutor est sapiens; quoniam omnia quæ placent, agit malitiæ fugitans, nec sommium ejus admittit. Indifferentibus ita non movetur, ut nullis momentis sicut vulgus hominum hùc atque illùc inclinetur, sed tanquam in statera meus ejus æquà lance pendeat, ut neque ad voluptaria propendeat, neque omninò ad ea, quæ sunt aversanda, vel leviter studium inclinet suum, sed immobilis maneat affectu. Undè liquet quia nihil invitus facit sapiens, neque cogitur; quia si servus esset, cogeretur: liber igitur est sapiens.

N. 21. Apostolus quoque sic definit dicens: *non sum ego liber, non sum Apostolus* (1. *Cor.* IX. 1.)? Sed adeò liber, ut cùm subintrassent quidam tentare libertatem ejus, nec ad horam, ut ipse ait, cederet subjectioni, ut veritas Evangelii prædicaretur. Qui ergo non cessit, volens prædicavit. Ubi voluntas, ibi merces voluntatis: ubi necessitas, ibi obsequium necessitatis. Melior ergo voluntas quàm necessitas. Velle ergo sapientis est, parere et servire insipientis.

N. 22. Hæc etiam est Apostoli definitio dicentis: *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* (1. *Cor.* IX. 17.) Sapienti igitur merces defertur, sapiens autem ex voluntate facit: liber itaque secundùm Apostolum sapiens. Unde et ipse clamat: *vos enim in libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis.* (*Galat.* V. 13.) Sequestrat à lege Christianum, ne invitus videatur legi succumbere: vocat in Evangelium, quod volentes et prædicant et operantur. Judæus sub lege, Christianus per Evangelium: in lege servitus, in Evangelio libertas, ubi cognitio sapientiæ. Omnis ergo qui Christum recipit, sapiens: qui autem sapiens, liber: omnis igitur Christianus et liber et sapiens.

N. 23. Docuit me tamen Apostolus quod ultra ipsam libertatem sit, ut servire libertas sit : *Cùm liber*, inquit (1. *Cor.* IX. 19.), *essem, omnium me servum feci ; ut plures lucrifacerem.* Quid est ultra libertatem, nisi habere spiritum gratiæ, habere charitatem ? Libertas enim liberum facit hominibus, charitas amicum Deo.

S. AUG. *Enarr. in Psal.* XCIX. *n.* 7. *Servite Domino in jucunditate.* (*v.* 1.) Libera servitus est apud Dominum, libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. *Vos*, inquit, *in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritûs servite invicem.* (*Galat.* V. 13.) Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. * *Si manseritis*, (inquit), *in verbo meo, verè discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* (*Joan.* VIII. 31. *et* 32.) Simul es et servus et liber ; servus, quia factus es ; liber, quia amaris à Deo à quo factus es : imò etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es.

Enarr. in Psal. CXXXIV. *n.* 11. Invenimus aliquid quod liberà voluntate faciamus ? Invenimus planè, cùm ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim liberà voluntate facis, quando amas quod laudas : non enim ex necessitate, sed quia placet. Unde justis et sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet, placuit illis ; et sub flagello ejus, in ærumna, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti laudaverunt Deum : non eis displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi propositâ acceptione mercedis ; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis : et sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet ; sicut Philippus desiderabat, cùm diceret, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* (*Joan.* XIV. 8.) Meritò, quia hoc de libera voluntate facimus, et de libera voluntate facere debemus, quia delectati facimus, amando facimus : quia etsi corripimur ab illo, nobis nunquam displicere debet, qui semper est justus.

De Civit. Dei, lib. 22. *cap.* 30. *n.* 3. Nec ideò (*sancti in cœlo*) liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum, à delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare : hoc autem novissimum eò potentiùs erit quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim, esse Deum ; aliud, participem Dei. Deus naturâ peccare non potest ; particeps verò Dei ab illo accepit, ut peccare non possit. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo ; novissimum, quo peccare non posset : atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura, cùm peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori : ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis et æquitatis, quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem verò felicitatis nec perditâ felicitate perdidimus. Certè Deus ipse nunquid quoniam peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est ? Erit ergo illius civitatis et una in omnibus, et inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni bono.

Venerab. HILDEB. *Serm. in adventu Domini serm.* 4. *pag.* 225. *Si filius vos liberaverit, verè liberi estis.* (*Joan.* VIII. 36.) Libertas triplex est, naturæ, gratiæ, et gloriæ. Libertas naturæ est libertas à necessitate, quia ante peccatum nulla necessitas, nulla difficultas homini incumbebat. Libertas gratiæ dicitur libertas à peccato, quia per ipsam consequimur remissionem peccatorum, sub quorum jugo quasi servi tenebamur. Libertas gloriæ est illa quæ ab omni liberat corruptione, quæ habebitur in cœlesti beatitudine. Libertas naturæ, naturam hominis nobilitat : libertas gratiæ reconciliat ; libertas gloriæ sublimat. Satis audistis qualiter Rex Salomon egressum nobis expediat, quam libertatem præbeat ad

§. 4. De merito operum, et de effectibus Gratiæ Christi.

I. Possumusne gratiam Christi mereri propriis viribus?

R. Non possumus. Alioqui gratia jam non esset gratia, sed debitum et justitia. At nihil debetur nobis à Deo. (A)

I. In quo ergo positum est meritum hominis peccatoris?

R. In recto usu gratiæ. Si quis enim gratiæ Dei cooperetur (B), quod quidem et à Christo est, novam gratiam impetrat (C), atque ita de gratia in gratiam pervenitur per Christum ad vitam æternam, quam reddit tandem justus judex, et misericors Pater *cumulans sua dona coronis.* (D)

I. Nullius ergo meriti sunt opera Dei gratiâ destituta?

R. Nullius sunt ad salutem promerendam adjumenti, nisi sint effectus gratiæ Dei per Christum. Neque enim ab humavidendam Dei gloriam. Libertas gratiæ libertatem reparat naturæ, et libertatem acquirit gloriæ. Hoc modo prosperum iter facit nobis Deus salutarium nostrorum, scilicet verus Salomon Rex pacis, qui fecit utraque unum.

MAG. ALB. FLAC. ALCHUIN. *Comm. in S. Joan. Evang. lib.* 4. *cap.* 22. *pag.* 528. Prima libertas est, non permanere in peccato, servire justitiæ, dicente Apostolo: *Cùm servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ. Nunc autem habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam.* (*Rom.* VI. 20. *et* 22.) Perfecta verò libertas est Christo servire, illum diligere, qui verè nos liberavit, qui verus est Filius Dei, et Dominus in forma servi.

Ad Paginam 154. *lin.* 49.

(P) *Vide suprà* §. 1. *litt.* (I) *et hocce* §. *litt.* (F) *Testimonia S. Scripturæ et SS. Patrum in eam rem.*

ACT. VII. 51. Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.

CONCIL. TRID. *Sess.* 6. *cap.* 5. Ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens: quippe qui illam et abjicere potest.

Can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere, anathema sit.

EUSEB. CÆSARIEN. *Comment. in Psal.* XXXV. *pag.* 144. *Verba oris ejus iniquitas et dolus* essent. (*v.* 4.) Hæc autem ipsa admodum liberè elegit, utpote liberi arbitrii, penès quem erat viam adire bonam, quod ille noluit: quamobrem dictum est: *Noluit intelligere ut benè ageret.* (*Id. Ibid.*)

Comment. in Psal. XL. *pag.* 171. Quandoquidem (*Judam*) ipsum paribus atque cæteros Apostolos donis adfecerat (*Christus.*) Confidebat autem ei Salvator, et bonam de ipso spem habebat; quia in eo liberum arbitrium esset. Neque enim Judas ex hujusmodi natura erat quæ non posset salutem consequi; sed poterat, si quidem voluisset, ut et cæteri Apostoli, à Filio Dei erudiri, ac bonus probusque discipulus effici. Nam cùm Magistro contubernalis esset, non communem modò cum eo panem comedebat; sed illius etiam qui animam nutrit particeps erat: de quo dicebat Salvator: *Ego sum panis qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI. 51.), et qui dat vitam hominibus. Hic itaque tot ornatus beneficiis, calcaneum suum quasi calcitrando contra Salvatorem extulit; quare dictum est, *Magnificavit super me supplantationem.* (*Psal.* XL. 10.)

S. AUG. *in Psal.* CXXIV. *n.* 1. Psalmus iste... docet nos ascendentes et levantes animas nostras ad Dominum Deum nostrum affectu charitatis atque pietatis, non intendere in homines, qui prosperantur in hoc seculo, felicitate falsâ atque ventosâ et prorsùs seductoriâ; ubi nihil aliud nutriunt quàm superbiam, et cor eorum congelascit adversùs Deum, et fit durum adversùs imbrem gratiæ ipsius ne fructum ferat.

nis meritis, sed à gratia Dei proficiscitur initium et progressus et consummatio et corona justitiæ. (E) Atque ita vita æterna gratia Dei est per Christum, licèt hanc bonis operibus mercamur; qui, ut mox diximus, ipsâ bona opera ex gratia Dei sunt. (F)

I. Prima itaque gratia, quam largitur Deus homini peccatori, ut ad statum justitiæ redeat, non potest unquam effectus esse meriti; nec ad eam potest peccator seipsum solis propriis viribus saltem disponere?

R. Sic se res habet. Gratia hæc mera Dei misericordia per Christum. Cùm primùm eam largitur Deus, nihil in homine reperit nisi peccatum et corruptionem et miseriam, in ordine ad vitam æternam. (G)

I. Quibus ergo gradibus pervenitur ad justificationis gratiam?

R. Sex velut gradibus ad gratiam justificationis adultos peccatores de lege ordinaria disponi et pervenire docet Concilium Tridentinum. (*Sess.* 6. *cap.* 6.)

Primò, *Excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt.*

Deindè, *Dum peccatores se esse intelligunt, Divinæ justitiæ timore per fidem utiliter concutiuntur.*

Tum, *Ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

Posteà, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Qui enim justitiam diligere incipit, consequens est ut et auctorem justitiæ diligere incipiat.

Quinto loco, ex illo amore justitiæ necessariò sequitur eos *moveri adversùs peccata per odium aliquod et detestationem.*

Denique *proponunt suscipere* Sacramenta quibus obtinetur remissio peccatorum, *inchoare novam vitam, servare divina mandata.*

I. In quò posita est gratia justificationis?

R. In sanctificatione et renovatione interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Undè homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ. (*Sess.* 6. *cap.* 7.)

I. In quo posita est illa renovatio interioris hominis?

R. Non in sola remissione peccatorum; sed et in infusione informantis gratiæ ac virtutum. (H)

I. Quodnam est principium hujus renovationis?

R. Hanc efficit *Pater misericors Deus, qui gratuitò abluit et sanctificat* (*Ibid.*), *et dilectissimus* ejus *unigenitus Dominus noster Jesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem quâ dilexit nos....* nobis justificationem meruit, et *pro nobis Deo Patri satisfecit* (*Ibid.*); et Spiritus Sanctus, per quem * *charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret.* (*Rom.* v. 5.)

I. Quis est effectus justificationis ?

R. Jam diximus hunc in eo positum esse, quòd efficiamur amici et filii et hæredes Dei, fratres autem et cohæredes Christi.

I. Quâ ratione nobis illa justificationis gratia communicatur ?

R. Per Sacramenta Baptismi, vel Pœnitentiæ, vel Extremæunctionis. (l)

Ad Paginam 237. *lin.* 4.

(A) ROM. XI. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.

D. HIERON. *lib.* 4. *Comment. in Ezech. cap.* 16. *pag.* 196. *Et egressum est nomen tuum in gentes, quod perfectum erat propter dignitatem meam, quam posueram super te, dicit Dominus Deus.* (*v.* 14.) Et est sensus : Meis beneficiis meaque incredibili largitate ad reginæ vocabulum pervenisti : ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur, et esses non tuis meritis atque virtutibus, sed meâ liberalitate perfecta. *Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilabit qui custodit eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) Qui plantat *enim* et qui rigat nihil est, nisi Dominus dederit incrementum (1. *Cor.* III. 7.) ; *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX. 16.) ; ut postquam omnia fecerimus dicamus : *servi inutiles sumus : quæ debuimus facere, fecimus.* (*Luc.* XVII. 10.) Non quò ex beneficentia Dei liberum homini tollatur arbitrium, sed quò ipsa libertas Dominum habere debeat adjutorem.

S. PROSPER. *Carm. de Ingrat. part.* 2. *carm.* 17.

Usque adeò donum est quod credimus, et data gratis
Gratia, non meritâ ditat mercede vocatos :
Nec justorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit....

S. THOM. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 5. *in corp.* Donum gratiæ considerari potest dupliciter. Uno modo secundùm rationem gratuiti doni ; et sic manifestum est, quòd omne meritum repugnat gratiæ ; quia ut ad Rom. II. 6. Apostolus dicit, *si autem gratia, jam non ex operibus.* Alio modo potest considerari secundùm naturam ipsius rei quæ donatur ; et sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam, tum quia excedit proportionem naturæ : tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam : scilicet ipsum peccatum.

Vide suprà §. 1. *litt.* (B) *et* (F) *et* S. FULG. *lib. de Trinit. cap.* 9. §. 2. *litt.* (A)

S. THOM. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. Sed contrà est quod dicitur Jerem. XXXI. 16. *Est merces operi tuo :* sed merces dicitur quod merito reddetur : Ergo videtur quòd homo possit à Deo mereri.

Conclusio. *Potest homo apud Deum aliquid mereri, non quidem secundum absolutam justitiæ rationem, sed secundùm divinæ ordinationis quamdam præsuppositionem ; prout scilicet id tanquam mercedem consequitur homo per suam operationem, ad quod ei Deus operandi virtutem deputavit.*

Respondeo dicendum quòd meritum et merces ad idem referuntur : id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius : undè sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo, est actus justitiæ ; ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris, est actus justitiæ : Justitia autem æqualitas quædam est.... Manifestum est autem quòd inter Deum et hominem est maxima inæqualitas (in infinitum enim distant,) et totum quod est hominis bonum, est à Deo : undè non potest hominis ad Deum esse justitia secundùm absolutam æqualitatem, sed secundùm proportionem quamdam ; in quantum scilicet uterque operatur secundùm modum suum : Modus autem et mensura humanæ virtutis hominis est à Deo ; Et ideò meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secun-

dùm præsuppositionem divinæ ordinationis ; ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo per operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit : sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus et operationes, ad quod à Deo sunt ordinatæ : Differenter tamen : Quia creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium : undè actio ejus habet rationem meriti ; Quod non est in aliis creaturis.

Ad Paginam 237. *lin.* 7.

(B) AUCT. RECOGN. *sub nomine* S. CLEMENT. *vulgatus lib.* 4. *n.* 5. *versus finem.* Debet autem is qui ex gentibus est, et ex Deo habet, ut diligat Jesum ; proprii habere propositi, ut credat et Moysi. Et rursùs Hebræus qui ex Deo habet, ut credat Moysi ; habere debet, et ex proposito suo, ut credat in Jesum. Ut unusquisque eorum habens in se aliud divini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex utroque perfectus.

Ex fragmento quodam S. IRENÆI. Voluntas et operatio Dei effectrix est et providens causa omnis temporis, loci et seculi, itemque naturæ omnis. Voluntas animi intellectualis est ratio in nobis sita, quippè cùm sit potestas ejus libera sui arbitrii. Voluntas est mens appetendi vi prædita, et appetitus intelligentia comprehensùs, qui ad id quod sub voluntatem cadit, inclinat.

ORIGENES, *in Epist. ad Rom. cap.* 9. *lib.* 7. *pag.* 377. Quod dixit, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX. 16.), ita accipitur, sicut David dicit in Psal. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* (*Ps.* CXXVI. 1.) In quo ostendit non quòd is qui domum ædificat nihil agat, et otiosus sit, et ita eam ædificet Dominus : sed ipse quidem quantùm est in homine vim sollicitudinis et laboris expendat, sic ut obstaculis omnibus amotis opus perveniat ad perfectum. Cum ergo per hæc doceatur quòd homo quidem laborem impendat et sollicitudinem, Deus autem successum operi tribuat et effectum, pium et religiosum est, ideò et bonum, quod in se est operis summa, Deo magis quàm homini parere. Sic et cùm Paulus plantabat, et Apollo rigabat, Deus dare dicitur incrementum. Et additur : itaque *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* III. 7.) Ita ergo etiam in præsenti loco possumus dicere : Itaque neque qui currit est aliquid, neque qui vult ; sed qui effectum dat Deus. Qui enim vult, et qui currit, hoc videntur esse quod est qui plantat, et eum qui rigat nihil dicit esse Apostolus : non quòd nihil agant, sed quòd ad comparationem Dei qui incrementum dat operi vel effectum illi nihil esse ducantur.

Lib. 8. *cap.* 10. *pag.* 385. Qui autem per gratiam justificatur, ista quidem opera ab eo minimè quæruntur, sed observare debet ne accepta gratia inanis fiat in eo : sicut et Paulus dicit, *Quia gratia ejus in me vacua non fuit, sed amplius quàm omnes illi laboravi.* (1. *Cor.* XV. 10.) Et iterùm addit tanquam memor gratiæ ; *Non ego* (inquit) *sed gratia Dei mecum.* Non facit ergo inanem gratiam ille qui digna ei opera subjunxit, et gratiæ Dei non existit ingratus. Qui enim post consecutam gratiam peccat, ingratus fit ei qui præstitit gratiam. Si autem non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, et tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem consequeris, sicut et ipse scribit, et Petrus in Epistola sua dicit, *Gratia vobis et pax* (1. *Petr.* I. 2.) multiplicabitur in recognitione Dei : et iterum alibi, *ut boni dispensatores multiplicis gratiæ Dei.* (1. *Petr.* IV. 10.)

S. CYRILL. HIEROS. *Catech.* 1. Qui itaque spiritale hoc signaculum et salutare accipiunt, opus est ut voluntariè id faciant. Ut enim calamus scriptorius aut telum, ut ab aliquo impellatur necesse est : sic et gratia indiget credentibus... Fructum ergo ita ut æquum est, feramus, ne sic agatur nobiscum, ut actum est cum illa ficu sterili, ne fortè veniens Jesus, etiam nunc propter sterilitatem tibi maledicat (*Marc.* XI. 14.) ; sed ut possimus omnes illi dicere : *Ego sicut olea fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI. 10.) : Olea non corporea, sed spiritalis. Ipsius quidem est, qui lucem omnibus affert, plantare et rigare : tuum verò, fructum facere : Dei est, gratiam conferre ; tuum verò, acceptare et custodire. Non ideo spernas

gratiam, quia gratis datur, sed religiosè potiùs, cùm eam acceperis, custodito.

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil. 41. ad pop. Antioch. de S. Pelagia Homil. 1.* Non erant naturæ hæ nuptæ facta, sed Dei majorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen otiosa non erat, sed à seipsa promptum et generosum animum, voluntatem, propositum, studium, et alacritatem afferebat: divino verò subsidio ac benevolentiâ factum est, ut hæc omnia ad eventum perlata sint. Itaque ipsam et admirabilem, et beatam dicere meritò debemus: beatam quòd Dei præsidium atque opem habuerit: admirabilem, quòd tantam animi alacritatem ostenderit.... Ita securo et præsenti animo omnia faciebat, ut si amici, et noti aliqui homines illic præstò essent, idque jure optimo: non enim erat intùs sola, sed consiliarium habebat Jesum ipsum. Ille virgini præstò erat, ille ipsius mentem et cor excitabat, ille animum confirmabat; solus, inquam, ille metum omnem ejiciebat. Hæc autem non sine causâ Jesus faciebat, sed quoniam Martyr ipsa illius auxilio se dignam antea præbuerat.

De Verbis Apost. 2. Corinth. Habentes. *Serm. 23. pag.* 335. Illud nimirùm ostendere volens, quòd initio credere, et parere vocanti, nostræ est bonæ mentis: at postquam facta fuerint fidei fundamenta, jam opus est auxilio Spiritûs, ut in nobis perpetuò maneat inconcussa et inexpugnabilis. Neque enim Deus, neque Spiritûs gratia nostrum prævenit propositum: sed tametsi vocet, exspectat tamen, ut sponte et propriâ voluntate accedamus; ac tum demùm nobis suum exhibeat auxilium. Quoniam enim diabolus posteaquam ad fidem accessimus, continuò subrepit volens egregiam hanc radicem evellere, et zizania properans interserere, germanumque ac purum semen lædere, opus tum habemus auxilio Spiritûs, ut quemadmodum strenuus agricola animæ nostræ insidens, multâ curâ et providentiâ novellam fidei plantam undiquaque muniat.

De laudibus S. Pauli Apost. serm. 43. pag. 603. Nihil est quod nos Pauli similes fieri vetet. Ille enim non solùm gratiâ Dei, sed etiam suâ voluntate talis effectus est, et idcircò gratiâ, quia etiam de propria voluntate. Utraque enim plena in illo fuerunt, atque perfecta, et ea quæ donantur à Deo, et ea quæ voluntate præstantur.

De Eleemos. et collatione in Sanctos serm. 23. pag. 325. Sicut mortuos excitare, et Dæmones effugare, et leprosos mundare, gratiæ opus est; sic etiam pauperes juvare, et indigis manum porrigere, imò multò magis hoc quàm illud. Jam licèt gratia sit, nostrâ tamen opus habet operâ et studio ut eligamus, et velimus, et gratiâ Dei dignos nos exhibeamus et præparemus.

B. THEODORET. *Interpret. in Psal.* XXXI. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* (*Ps.* LXVII. 10.) Quas superiùs guttas vocavit, hoc in loco pluviam nuncupavit. Ad utilitatem namque Discipulorum gratia affatim magistris suppeditabatur. *Pluviam* enim doctrinæ irrigationem dixit. *Voluntariam* autem appellavit ob liberum arbitrium. Non enim ex necessitate irrigatur quisquam, sed doctrinæ acquiescens, consequitur gratiam.

JOAN. HIEROS. *Homil. poster. in Psal.* L. *pag.* 419. Sed quia talis est misericordia Domini, tamen ut homines misericordiam consecuti remissiores non fierent, quærit quiddam à nobis Deus. *Miseretur* quidem; sed non passim miseretur. Provocat nos, et dicit: Da et tu aliquid; utputa mille scelera perpetrasti, habes onera delictorum; volo alleviare pondus tuum, da et tu manum tuam. Non quia ego tui egeo; sed quia volo et te aliquid conferre ad tuam utilitatem... *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego cognosco* (*Psal.* L. 5.); vicissitudo est, Deus dat ut salvificetur reus: dedit Dominus *misericordiam* suam: dedit et qui peccaverat confessionem peccatorum suorum. Parum quidem; sed quod habuit. Quid dabis, ò David, ut salvari possis; ut misceatur medicamentum? *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego agnosco.*

Comment. in Matth. cap. 8. pag. 173. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* (*Matth.* VI. 10.) Et vide quàm cautè loculus est. Non dixit, Pater sanctificata nomen tuum in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis: ne scipsum videatur Deus in hominibus sanc-

tificare, aut regnum suum super quos vult adducere, aut voluntatem suam in quibus vult facere, et per hoc inveniatur Deus personarum acceptor. Nec iterùm dixit, Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam, sicut in cœlo et in terra : ne hominum tantummodò videatur esse quòd sanctificant Deum, aut quòd suscipiunt regnum ejus, aut quòd faciunt voluntatem ipsius : sed mediè dixit, et impersonaliter : id est, *sanctificetur*, *adveniat*, *fiat*, ut utriusque personæ opus necessarium demonstraret, quia et homo Deum necessarium habet, et Deus hominem ad justitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adjutorium Dei ; sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat ; sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine justitiam operatur in homine.

In Matth. cap. 21. *pag.* 252. Homines non sermone nudo vocavit Apostolorum ; sed per virtutem Spiritûs sancti solvit pariter et *adduxit*. Postquàm autem *adduxit*, *iterum dimisit* eos in arbitrio suo, ut labore suo comitante gratiâ justificentur. Nam quòd vocati sumus, Dei est : quòd autem dignè vocatione vivimus, nostrum pariter est et Dei. Hoc est quod ait, *Iterum remittet eos :* non ad diabolum, qui priùs tenebat eos ; sed in arbitrio suo in quo antea fuerunt, adjuvante gratiæ scilicet dono... Nec enim potuissent tollere jumentum alienum ab illo domino, qui eos non cognoscebat undè essent ; nisi prævenions spiritus Christi cor domini ejus præparasset ad dandum. Sic quod Apostoli solverunt Judæos, vel Gentes, de vinculo inimici, in prima quidem facie eorum videbatur opus, reverà autem fuit virtus et gratia Christi. Nec enim à Christo duodecim constituti totum mundum ligatum sub potestate diaboli solvere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici.

S. ISID. PELUS. *Epist. lib.* 2. *Eust. Presb. Epist.* 2. *pag.* 582. *Tom.* 7. *BB. PP. Lugd.* Est autem divinæ quidem providentiæ, navigantibus opem ferre : opera autem à seipso quemque exigere oportet. Ad eumdem igitur modum hos quoque cùm divinæ manûs munere propensionem ad virtutem naturæ tributam esse perspectum habeamus, labores ipsi conferamus. Sic enim lætus ac faustus finis consequetur.

Lib. 3. *Aphrodis. Presbyt.* 271. *Tom.* 7. *BB. PP. Lugd. Divina dona nullâ personarum acceptione habitâ conferri.* Quoniam per litteras ex me scisciteris, ecquid sit, quam ob rem Dei gratia non ad omnes advolet, illud scito, vir admirande, hoc idcircò fieri, quòd ea primùm animi institutum expendat, atque ita deindè accedat. Etsi enim gratia sit, non tamen temerè ac citra discrimen ullum effunditur, sed mensuras ad iis, qui eam accipiunt, sumens, tantum influit, quantum fidei vas sibi oblatum invenerit. Nam nisi ea, quæ nostrarum partium sunt, primùm requireret, ad omnes profectò advolasset. Quoniam verò voluntatem, animique inductionem explorat, atque ita demùm accedit, (quemadmodum in fortissimo etiam Paulo contigisse videmus : *vas enim electionis*, inquit, *mihi est hic* (*Act.* IX. 15.), ob eam proindè causam ad quosdam se confert, atque apud eos permanet ; à quibusdam autem recedit : ac denique ad quosdam ne omninò quidem descendit.

P. N. MACAR. Senior. Ægypt. *Homil.* 9. *pag.* 113. *Tom.* 4. *Bibliotn. PP.* Virtus spiritalis gratiæ Dei, quæ versatur in anima, cum summa longanimitate, sapientia et mystica dispensatione mentis, opera sua perficit : dum etiam multa cum patientia pro temporum occasione homo decertat. Apud quem tum opus gratiæ perfectum constat, quando ejus libera voluntas per multiplicem tentationem Spiritui sancto placere demonstratur, et ex temporum successu probationem et patientiam patefacit. Hanc autem consequentiam, per exemplaria manifesta ex Scripturis divinitùs inspiratis subjiciemus oculis. Quod autem aio tale est, quale de Joseph traditur. Quanta post temporum spatia voluntas Dei præstituta de Joseph, sortita est effectum, et impletæ sunt visiones (*Genes.* XLI.) ? Quantisque laboribus, afflictionibus et angustiis antè probatus : omnia viriliter sustinuit, et per omnia probatus et servus Deo fidelis inventus ? Tum rex Ægypti factus est, et familiam suam aluit : ac prophetia eorum quæ non videbantur, completa est, et Dei voluntas quæ per tempora et dispensationem multam prænuntiata erat. Item de David, etc..... Hasce occa-

siones è Scripturis attulimus, ut demonstraremus virtutem gratiæ divinæ homini collatam, et donum sancti Spiritûs quod fidelis anima meretur accipere; multo cum labore multaque patientia et longanimitate, nec sine tentationibus ac probationibus comparari, dum libera voluntas per omnia afflictionum genera probatur. Quæ si nullo modo Spiritum sanctum contristet, sed per omnia præcepta consonet gratiæ: tum à suis ærumnis liberationem consequi meretur, plenèque consequitur adoptionem Spiritûs.

S. DIADOCH. Episc. Photic. *Capit. de perfect. Spirit. cap.* 82. *pag.* 897. *Tom.* 5. *BB. PP. Lugd.* Credendum enim est Apostolo, in mente quidem eorum, qui in certamine sunt, divinum lumen operari, ex quo fiat ut legi Dei serviat, eaque delectetur. Caro enim gravis applaudit, suaque facilitate admittit spiritus: quæ causa est, ut ad famulandum nequitiæ eorum aliquando trahatur, ex quo maximè apparet non esse mentem commune Dei, et diaboli domicilium: alioqui quemadmodùm illud diceret, *mente quidem servio legi Dei, carne verò legi peccati* (*Rom.* VII. 22. *et* 23.), nisi mens mea cum omni libertate in pugna contra dæmones staret bonitati gratiæ serviens, corpus verò suavem odorem voluptatum à ratione abhorrentium admitteret? quia ut dixi, sinuntur mali et fallaces dæmones in corpore eorum, qui certant, absconditi esse. *Scio enim*, inquit, *quòd non habitat in me, id est, in carne mea bonum* (*Ibid.* 18.), in iis scilicet qui medio quodam certamine peccato resistunt; non enim hoc Apostolus de se dicit, cum mente quidem pugnam dæmones committere... Quia sit semper experienda, et periclitanda libertas humanæ voluntatis.

ANDREÆ. Archiepisc. Cæsar. Cappad. *Comment. in D. Joann. Apocalyps. cap.* 19. *serm.* 7. *pag.* 601. Cæterùm Spiritûs signaculum, quod homini contra tentationes donatur, eatenùs vim suam ostendit, quatenùs ipsi collaboramus. Qui igitur auxilio hoc destituuntur, quia unà cum ipso manum operi adhibere non volunt.

D. HIERON. *Comment. in Ecclesiast. cap.* 5. *p.* 34. Et si adversùs hominem robustior in expugnando diabolus exstiterit, stabit homo, stabit et Christus pro homine suo, pro sodali suo. Non quòd solius Christi adversùs diabolum virtus infirma sit, sed quòd liberum homini relinquatur arbitrium, et annitentibus nobis ipse in præliando fortior fiat.

Cap. 6. *pag.* 35. Quoniam in somnio vitæ istius et in imagine umbræ nubis quâ vivimus, multa possumus invenire, quæ nobis verisimilia videantur, et nostra excusare peccata. Propterea admoneo, ut id solùm caveas: ne putes absentem Deum, sed eum timeas, et scias cunctis operibus tuis adesse præsentem: teque liberi arbitrii conditum non cogi, sed velle quod facias.

Lib. 13. *Comment. in Isaïam cap.* 49. *Et ego dixi: in vacuum laboravi, sine causa et vanè fortitudinem meam consumpsi: ergo judicium meum cum Domino: et opus meum cum Deo meo...* (*v.* 4.) Hæc autem universa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur. Dei enim vocare est, et nostrum credere: nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justè voluntas præmium consequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, judicium meum apud te est, quòd omnia fecerim quæ eis facere debui.

Lib. 2. *Dialog. advers. Pelag. pag.* 515. Intelligimus non nostræ solùm esse potestatis facere quod velimus: sed et Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem.

S. AUG. *Quæst. in Deuteron. lib.* 5. *Quæst.* 15. Et Deus facit per gratiam suam opus legis in homine, et homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei pertinens ad Testamentum novum cooperator est adjuvantis Dei: Ideò autem in primis solum opus Dei commemoratur, quia lex spiritalis est, et *Lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum* (*Rom.* VII. 12.); ideò verò nullum opus hominis ibi commemoratur, quia infideles non contemperantur adjutorio gratiæ, sed *ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* (*Rom.* X. 3.) Undè illis lex ad condemnationem valet... *Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II. 13.): hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, et non suam justitiam volunt statuere, sed justitiæ

Dei subjecti sunt, ut ipsi sint in Christo justitia Dei. Nam et illic Apostolus utrumque dicit, et Deum operari, et ipsos. Nam si ipsi non operabantur, quomodo eis dicebat, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini?* (*Ibid.* 12.) Operatur ergo ille, cooperamur nos. Non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.

Quæst. 30. Quoniam * *Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros et salvos faciet vos.* (*Deut.* XX. 4.) Ecce quemadmodum et in spiritalibus conflictibus sperandum et petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti coopereмur. Sic enim ait, *debellabit vobiscum*, ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet.

Enarr. in Psal. LXXVII. *n.* 8. *Non est creditus cum Dei spiritus ejus.* (*v.* 8.) Multò enim hoc expressiùs dictum est, ad significandam gratiam Dei, quæ non solùm operatur remissionem peccatorum, sed etiam cooperantem sibi facit hominis spiritum in opere bonorum factorum: quasi diceret, Non credidit Deo spiritus ejus. Hoc est enim habere cum Deo creditum spiritum, non credere spiritum suum posse facere sine Deo justitiam, sed cum Deo. Hoc est etiam credere in Deum; quod utique plus est quàm credere Deo. Nam et homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergo credere in Deum; credendo adhærere ad benè cooperandum bona operanti Deo. *Quia sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* (*Joan.* XV. 5.)

Enarr. in Psal. CII. *n.* 6. Non sanabit factum ad imaginem suam, qui fecit cœlum et terram? Sanabit te, opus est ut sanari velis. Sanat omninò ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tua, sic habeas in voluntate sanitatem tuam.

Enarr. in Psal. CXV. *n.* 6. Omnis creatura subdita Creatori est, et verissimo Domino verissimum debet famulatum: quem cùm exhibet libera est, hanc accipiens à Domino gratiam, ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat.

In Psal. CXVIII. *Serm.* 23. *n.* 8. Qui dicit, *Inclinavi cor meum* (*v.* 112.); ipse jam dixerat, *Inclina cor meum in testimonia tua* (*v.* 36.): ut intelligamus simul hoc esse et divini muneris et propriæ voluntatis.

Serm. 13. *cap.* 3. *n.* 3. Ecce Apostoli verba sunt, *cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* (*Philip.* II. 12.) Quare ergo cum timore et tremore meam salutem operor, cùm sit in potestate mea operari salutem meam? Vis audire quare cum timore et tremore? *Deus est enim qui operatur in vobis.* (*Ibid.* 13.) Ideò cùm timore et tremore. Quia quod impetrat humilis, amittit superbus. Si ergo Deus est qui operatur in nobis, quare dictum est, *vestram ipsorum salutem operamini?* Quia sic in nobis operatur, ut et nos operemur. *Adjutor meus esto* (*Ps.* XXVI. 9.), designat et se operatorem, qui invocat adjutorem. Sed voluntas, inquit, bona, mea est. Fateor, tua. Sed et ipsa à quo data, à quo excitata? Noli me ipsum audire: Apostolum interroga: *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* Quid est ergo quòd tibi arrogabas? Quid est quòd superbus ibas, et peribas? Redi ad cor tuum, invenì te malum, et ut sis bonus, invoca bonum. Non enim in te placet Deo nisi quod habes ex Deo: quod autem habes ex te, displicet Deo. Si bona tua cogitas, *quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (1. *Cor.* IV. 7.) Solus est ille qui non novit nisi dare. Non habet datorem, qui non habet meliorem. Quo tu si inferior es, immò quia tu inferior es, gratulare quòd ad ejus imaginem factus es; ut in illo inveniaris, qui in te peristi. Non enim potuisti in te, nisi perdere te; nec scis invenire te, nisi ille qui fecit te, quærat te.

Epist. Synod. EPISCOP. AFRICÆ *in Sardin. exul. De Gratia Dei et hum. arbitr. inter opera* S. FULGENTII. Quòd autem vos dicitis, solâ Dei misericordiâ salvari hominem; illi autem dicunt, Nisi quis propriâ voluntate cucurrerit, et elaboraverit, salvus esse non poterit: dignè utrumque tenetur si rectus ordo servetur divinæ misericordiæ et voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix suæ salutis existat. Ut misericordia Dei præveniens voluntatis humanæ dirigat cursum; et humana voluntas obediens, eadem misericordiâ subsequente, secundùm

intentionem currat ad bravium. Per hoc humana voluntas in eo quòd currit utiliter et laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursûs ac laboris agnoscat : nec sit ingrata misericordiæ, per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternæ salutis effectum : quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono ; et tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio. Errat autem, quisquis putat sic à Domino tribui, velut si quis accepto idoneo pignore, pecuniam det : cùm Dominus utique et pignus Spiritûs sancti ipse quibus vult conferat, et pecuniam suam nummulariis expetendam, sicut ipse loquitur in Evangelio, servorum suorum curæ officioque distribuat. (*Matth.* XXV. 15.) Illa verò Apostoli sententia, quâ dicitur, *Ergo cujus vult miseretur ; et quem vult obdurat* (*Rom.* IX. 18.) ; meliùs quidem ex persona confirmantis accipitur. Quam si quis non vult ex persona confirmantis accipere, illud sine contentione attendat quod subsequenter dicitur : *an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* (*Ibid.* 21.) Et cùm in utroque vase faciendo figuli cognoverit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, et in vase contumeliæ debitum judicium Dei obdurantis, id est, deserentis agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cùm ab iniquitate non eripit : quod quia justus est, justè facit. Deo ergo miserante, sine suis meritis homo salvatur ; obdurante autem justè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis salvat : judicio severitatis obdurat. Illud etiam quod vos dicitis, Dominus est enim, *qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* : (*Philip.* II. 13.) Illi autem dicunt : *si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isaï.* I. 19.) ; si utrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia et libero arbitrio quæstio remanebit. Jubet enim Deus homini, ut velit, sed Dominus in homine operatur et velle : jubet ut faciat ; sed operatur et facere. Ideò utrumque beatus jungit Apostolus dicens : *Cum timore et tremore salutem vestram operamini. Dominus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* (*Philip.* II. 12. *et* 13.) Ut ergo cum timore et tremore suam quisque operetur salutem, opus est volentis hominis : sed hoc ipsum Dominus operatur in suis. Ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta, quæ faciat : sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenùs efficitur, nisi divinitùs adjuvetur. Ita fit, ut se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit, et Domino se sciat semper omne bonum debere, quod vult ac facit : quem teste Apostolo cognoscat operari in homine *et velle et perficere pro bona voluntate.* Qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam dicens :

Spiritum meum dabo in vobis, et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis. (*Ezech.* XXXVI. 27.) Cùm ergo Dominus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Dominum convertitur, et eodem in se operante, undè ipsi placeat, operatur. De Domino enim dicit Apostolus : *aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis, quod placeat coram se.* (*Hebr.* XIII. 21.) Ad vitam quoque in tantum potest homo manum porrigere in quantum habuerit Dominum protectionem suam super manum dexteram suam.

GELAS. *Hist. Concil. Nicæn. cap.* 30. *pag.* 231. *Tom.* 2. *Concil. Edit. Labb.* Sine labore accepimus gratiam, sed cum labore oportet nos gratiam conservare.

S. LEO. *Serm.* 31. *in Epiphan. solemn.* 2. *cap.* 4. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ : non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus ; ut si dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promisit.

Cap. 5. Huic gratiæ, quæ omnes invitat ad Christum, quantùm possumus serviamus.

Serm. 34. *in Epiph. Dom.* 5. *cap.* 3. Cooperatores simus gratiæ Dei operantis in nobis. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur.

Serm. 42. *de Quadrag.* 5. *cap.* 1. Jugi oportet sollicitudine præcaveri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur in nostris mun-

dum. Quamvis enim ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit Conditoris; tamen quia rationabiles lapides sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat; ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat: qui ideò dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium, dicente Prophetâ: * *Jacta in Deum cogitationem tuam, et ipse te enutriet.* (*Ps.* LIV. 23.)

Serm. 47. *de Quadrag.* 10. *cap.* 1. Quanto opere ædificandum, quanto est honore decorandum, Deitatis ipsius habitaculum? Quod licèt inchoari et perfici sine suo auctore non possit, habet tamen ab ædificante donatum, ut etiam labore proprio quærat augmentum. Viva enim rationabilisque materies ad exstructionem templi hujus assumitur; et per spiritum gratiæ voluntariæ in unam compagem congruè incitatur. Quæ ideò dilecta, quæsita est, ut et ipsa ex non quærente quærens, et ex non diligente sit diligens, dicente beato Joanne Apostolo: * *nos ergò diligamus invicem, quia Deus prior dilexit nos.* (1. *Joan.* IV. 19.)

S. GREG. *Moral. lib.* 18. *in cap.* 28. *B. Job, cap.* 40. *n.* 3. Scriptum est, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur.* (*Eph.* II. 8, 9.) Hinc de semetipso iterùm loquitur, dicens: *Gratia Dei sum, id quod sum.* (1. *Cor.* XV. 10.) Ex cujus nimirùm adspiratione gratiæ, quia virtutum opera protinùs in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam retributio æterna respondeat, illicò adjecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* (*Ibid.*) Sed sunt nonnulli, qui sanos se suis viribus exsultant, suisque præcedentibus meritis redemptos se esse gloriantur. Quorum profectò assertio invenitur sibimetipsis contraria: quia dum et innocentes se asserunt, et redemptos, hoc ipsum in se redemptionis nomen evacuant. Omnis namque qui redimitur, ex aliqua proculdubio captivitate liberatur. Undè ergo quilibet iste redemptus est, si priùs non fuit sub culpa captivus? Liquet itaque quia multùm desipit quisquis hæc sapit. Hominis quippe meritum superna gratia non ut veniat, invenit: sed postquam venerit, facit: atque et ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo; et facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum invenerat quod puniret.

N. 65. *Confessio et magnificentia opus ejus.* (*Psal.* CX. 3.) Ab eo itaque accipimus recta confiteri, à quo nobis et magna datur operari.

Lib. 24. *in cap.* 33. *B. Job. cap.* 10. *n.* 24. *Liberavit* enim *animam suam, ne pergeret in interitum.* (*v.* 28.) Quia prævenientе divinâ gratiâ in operatione bona nostrum liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus. Undè Paulus, cùm diceret: *abundantiùs illis omnibus laboravi* (1. *Cor.* XV. 10.); ne labores suos sibi tribuisse videretur, illicò adjunxit: *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim prævenientem Dei gratiam in se per liberum arbitrium fuerat subsecutus, aptè subjungit, *mecum:* ut et divino muneri non esset ingratus, et tamen à merito liberi arbitrii non remaneret extraneus.

Lib. 33. *in cap.* 41. *B. Job. cap.* 21. *n.* 40. Bonum quippe quod agimus, et Dei est, et nostrum: Dei per prævenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, undè ei gratias in æternum agimus? Rursùm si nostrum non est, undè nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd ejus munere prævenimur: et rursùm, quia non immerito retributionem quærimus, scimus quòd obsequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus.

In Ezech. lib. 2. *Homil.* 8. *n.* 23. Virtus patientiæ, virtus misericordiæ, præcedente nos gratiâ, et in potestate est arbitrii.

ISID. HISPAL. Episc. *lib.* 2 *de different. spiritual. cap.* 27. Inter gratiam divinæ effusionis, et humani arbitrii voluntatem hoc interest. Arbitrium est voluntas liberæ potestatis, quæ per se sponte vel bona, vel mala appetere potest. Gratia autem est divinæ gratiæ donum gratuitum, per

quod bonæ voluntatis initium, et operis promeretur affectum : divinâ quippe gratiâ prævenitur homo ut bonus sit, nec humanum arbitrium Dei gratiam antecedit ; sed ipsa gratia Dei nolentem hominem prævenit ut etiam benè velit. Nam pondere carnis homo sic agitur, ut ad prævaricandum sit facilis, tardus ad pœnitendum : habet de se undè corruat, et non habet undè consurgat, nisi gratia Conditoris ut erigatur, manum jacenti extendat. Denique homini per Dei gratiam liberum restauratur arbitrium, quod primus homo perdiderat. Nam ille habuit inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen Dei adjutorio perficeretur. Nos autem et inchoationem liberi arbitrii et perfectionem de Dei sumimus gratia, qui, et incipere et perficere bonum, de ipso habemus à quo et gratiæ donum datum et liberum arbitrium in nobis est restauratum. Dei est ergo bonum quod agimus propter gratiam prævenientem et subsequentem, nostrum verò est propter obsequentem liberi arbitrii voluntatem. Nam si Dei non est, cur illi reddimus gratias ? et si nostrum non est, cur retributionem bonorum operum exspectamus ? Proindè ergo in eo quòd gratia prævenimur, Dei est : in eo verò quòd ad benè operandum prævenientem sequimur, nostrum est. Nemo enim meritis antecedit ut tenere eum possit quasi debitorem : sed miro modo æquus omnibus Conditor, alios prædestinatos præelegit, alios verò in suis pravis moribus justo judicio derelinquit. Indè verissimum gratiæ munus non ex humana virtute, vel ex merito arbitrii consequi, sed solius divinæ pietatis bonitate largiri. Quidam enim gratissimè ejus prævenientis dono salvantur effecti misericordiæ vasa : quidam verò reprobi ad pœnam prædestinati damnatur effecti vasa iræ. Quod Exemplo de Jacob et Esaü nondum natis colligitur, qui dum essent unà conceptione vel partu editi, parique nexu peccati originalis adstricti, alterum tantùm eorum ad se misericordia prævenions traxit ; alterum quadam justitiæ severitate odio habitum in massam perditionis relictum damnavit, sicut et per Prophetam idem Dominus loquitur dicens : *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* (*Malach.* I. 2. *Rom.* IX. 13.) Undè consequens est, nullis prævenientibus meritis conferri gratiam, sed solà vocatione divinà quemque salvari, sicut damnari, vel reprobari, sive ex proposito prædestinantis Dei, qui justus est in reprobatis, misericors in electis ; universæ viæ Domini misericordia et veritas. Omne autem donum gratiæ non omnibus ad integrum datur, sed singulis dona singula dividuntur, ut scilicet quasi membra corporis singularia officia habeant, et alter indigeat altero quod non habet alter. Proinde omnium fiunt communia, dum fiunt sibimet membra invicem necessaria.

REMIG. Episc. *Explanat. in Epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 6. *Tom.* 8. *BB. PP. Lugd. p.* 995. Hortamur vos nostrâ prædicatione, nostro exemplo, omnibusque modis, ne in vacuum sive inane et inutiliter gratiam Dei recipiatis. Omnia bona quæ generi humano dantur, gratia Dei dicitur, quia gratis ei conceditur : gratia quippe Dei est, habere fidem, spem, charitatem, sapientiam divinam, vel humanam, et bona temporalia. Istam ergo Dei gratiam in vacuum recipit, qui veniens ad fidem, et remissionem peccatorum in baptismate percipiens, Dei præceptis inobediens existit, non adhibendo studium, ut possit Dei præcepta ipso adjuvante implere, quoniam *fides sine operibus mortua et inanis est.* (*Jacob.* II. 26.)

PASCH. RATBERT. *in Matth. Evang. lib.* 11. *pag.* 654. Hinc autem abiit in semetipsum (servus Evangelicus) et commissa sibi dona exercuit, ne in vacuum gratiam sibi collatam retineret. Undè Paulus gloriabatur dicens : *Et gratia ejus in me vacua non fuit.* (1. *Cor.* XV. 10.) Hæc est namque gratia fidei et operationis, quam universo generi humano largitus est gratis..... Non ex (Dei) natura est ut severus aut durus dicatur ; sed quia ille misericordià Dei abusus est, ad negligentiam, et non ad conversionem suam, sicut Apostolus ait, *vide bonitatem Dei, et severitatem ; in eos qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem.* (*Rom.* XI. 22.) Et ideò nemo securus sit et dicat, quòd non curat, non dico de peccatis delinquentium, verùm etiam de commissa gratia, si non operatus fuerit in ea.

D. BRUN. *Exposit. in Psal.* LXI. *pag.* 218. Innuit verò salvationem suam à solo Deo fuisse, non ab aliquo merito suo præcedenti, ne quis putaret

quòd in ejus salvatione aliquid cooperatum esset liberum arbitrium aut ullum meritum ejus, sicut in bona operatione liberum arbitrium cooperatur: sic dixi, quòd Deus est Salvator meus et *salutare meum*, id est, ipsa salvatio mihi data in Deo solo, id est, in sola Dei gratia data fuit: quod *gloria mea*, id est, hoc quod fecit me gloriosum et vitâ laudabilem propter salvationem mei, in solo Deo est, non in merito quolibet, aut in libero arbitrio meo. Ne verò bona operatio ex libero arbitrio penitùs esse videretur, et non etiam ex Deo: addit, et Deus est *auxilii mei* opifex. Quod est dicere, Cùm gratuità voluntate me salvaverit, et gloriosum fecerit, auxiliator quoque mihi est ad benè operandum, libero arbitrio meo cooperante. Ideò ergo quia gratuitò me salvavit, et gloriosum fecit, et etiam auxiliator est ad benè operandum, *spes mea* est *in Deo*.

In Psal. CXVIII. *pag.* 497. *Suscipe me Domine*, id est, patrocinare mihi, instituendo me secundùm eloquium tuum, id est, secundùm præceptum tuum. Quod est dicere, Sic mihi patrocinare, ut facias me mandatum tuum observare: et te suscipiente me, vivam in ipso eloquio, id est, complebo ipsum eloquium, quod erit mihi vita. Non enim viverem nisi te suscipiente: et si suscipiente te, et vivente me, non confundas me, id est, non permittas confundi me, alienatum ab exspectatione mea. Exspecto enim à te suscipi, et sic vivere secundùm promotionem et perseverantiam: et si hoc non adipiscerer et confunderer, id est erubescerem inde apud me et contristarer. Quia dicendo, *suscipe me*, solam gratiam Dei denotaverat, denotat quoque liberum arbitrium, cùm sic addit: Dixi, Suscipe, non autem sic oro suscipe ut piger sim, et ex me nil agam: sed adjuva me Domine, id est, cùm ego ex libero arbitrio per me nitar, tu adjuva ipsum liberum arbitrium ex gratia, id est, cooperare mecum: et te adjuvante salvus ero, perseverando in præcepto tuo: vel salvus ero in futuro æternâ salvatione. Et si adjuveris, hoc quod justificatus ero, in præceptis tuis persistendo, non mihi adscribam: semper meditabor in his justificationibus tuis reputatis; scilicet in hoc meditabor semper, ut has justificationes non mihi adscribam, sed tuas esse reputem. Ideò verò oro tantopere suscipi et adjuvari à te ad perseverandum in justitiis tuis, quia sprevisti, id est spernes *discedentes à justitiis tuis* (*Psal.* CXVIII. 118.), id est à justis præceptis tuis. Quod est dicere: Ideò oro in præceptis tuis justis perseverare, ne me spernas, sicut discedentes à justis præceptis tuis spernes et hic excæcando, et in futuro justè puniendo. Et meritò quidem eos spernes; *quia injusta est cogitatio eorum.* (*Ibid.*)

S. BERN. Abbat. *in capit. Jejun. Serm.* 1. *n.* 3. Itane aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. Ad fontem enim undè exeunt, flumina revertuntur, ut iterùm fluant.

N. 4. Non verò, ut minus habens, quod dederat Christus repetit: sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre nolueris. Siquidem etiam fluminis aqua, si stare cœperit, et ipsa putrescet, et inundatione factâ superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus ubi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed et quod acceperat vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. (*Luc.* XVI. 10.) Unge igitur caput tuum, refundens in eum qui supra te est, quidquid in te est devotionis, quidquid delectationis, quidquid affectionis. Unge igitur caput tuum, ut si qua in te est gratia, referatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius.

PETR. BLESENS. *Contra depravat. pag.* 462. Ego quidem confidenter assero liberum arbitrium ita inniti et pendere de gratia, ut benignitas Dei merito non præjudicet, et liberæ voluntati gratia non præscribat. Licèt enim dicat Apostolus: *Justificati enim estis gratis* (*Rom.* III. 24.), id est, per gratiam: neminem tamen abnuit salvari per fidem. Dico autem, quòd gratia liberum arbitrium eximit à jugo peccati, ut voluntas sanata jam non in vacuum gratiam Dei cooperantem recipiat, sed seipsam ad actum beneficio adjuvantis exerceat: veluti, si quis luto infixus se indè expedire sine ope aliena non possit, si ab aliquo liberatur, ipso liberatore ducente et adjuvante expeditè incedit. Licèt ergo dicatur aliquis ex fide salvari, totum tamen est ex gratia, sine qua nemo credit. Undè Augustinus in Epistola (105.) ad Sixtum dicit, quòd gratia est remissio peccatorum, nec eam præcedunt merita; quia gratia non esset gratuita:

ad Bonifacium verò scribens ait (*Epist.* 106.) : quod Apostolus dicit : *Justificati estis gratis* (*Rom.* III. 24.), hoc dixit ideò, ne fides superba sit : si autem ex fide, quomodo gratis ? Quod enim meretur fides, cur non potiùs redditur, quàm donatur ? Sed respondet Apostolus, *Quid habes, quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.) : Fides itaque augetur per gratiam, ut gratiâ magistrante voluntas obsequatur, et obsequens operetur.

GILLEB. Abbat. *in Cant. serm.* 37. *n.* 5. Utraque alteri necessaria est, et industria gratiæ, et gratia industriæ, et vicariam opem sibi communicant. In vanum enim laborat, qui puteum fodit, si non ipse fons vitæ gratis affluat.

Serm. 43. *n.* 6. Occulta ratio vocationis primæ, latens causa, et nondum latus ingressus. Dilatatur autem, cùm præoperanti sponso anima cooperatur, conatur, assurgit et aperit. Prima solius Dei manus agnoscitur ; secunda Dei simul et hominis. Et cùm magis Dei sit propter munus, soli tamen homini deputatur ad meritum.

Epist. 2. *n.* 5. *pag.* 193. Noli, quæ se tibi ultrò ingerit, obsistere gratiæ : væ mihi si illam excluseris à te quam inveni penès te. Sequere alacri et impigro pede, quò te prima ejus vocant blandimenta.

PHILIPP. Abb. BONÆ SPEI. *in Cant. Cant. lib.* 1. *cap.* 16. *versùs finem. Lectulus noster floridus, etc.* (*Cant.* I. 15.) Virgo... tam verbo quàm opere humilia tenere consuevit. Quod propter et eumdem, inquit, lectulum non meum propriè, sed communiter nostrum dico, et, quod dignum laude est, mihi præsumptoriè non addico : quia etsi vocanti et adjuvanti inventa sum obediens consentire, illius tamen et præveniens gratia et subsequens misericordia efficaciam voluit impertire. Non ergo meus rectè, sed noster debet lectulus appellari, quem utriusque nostrùm constat opere et diligentiâ præparari ; quem tu manu gratiæ, ego laboris et industriæ serenavi, tu beneficio, ego exercitio, tu virtutum, ego morum floribus adornavi.

Lib. 2. *cap.* 16. *Dilectus meus mihi et ego illi.* (*Cant.* II. 16.) Ille, inquam, dat mihi quod suum est, et ego illi do quod meum est : ut et sua, mea ; et mea, sua sint : et sic nostra pariter habeamus, et quod exigunt jura sponsalia, nobis esse cuncta communia gaudeamus.... Ut non : sua, inquit, non mea : sed magis *nostra vinea* (*Ibid.* 15.) posset dici, vicaria fecit collatio per quam duo pariter sunt amici ; quia ille dignatione suâ ancillam humilem me respexit, respicientis gratiam mea humilitas non despexit, ille meo fortè non merito, sed suo benepla*ito me dilexit, mea dilectæ fides diligendum illum dignè pro meritis intellexit... Dilectus, inquit, meus mihi quod suum erat dedit, cujus beneficium, cujus in omnibus misericordia me præcedit ; et ego illi quod meum erat obtuli vice digna, ut deinceps et rerum et verborum nobis communio sit benigna.

PETRUS LOMBARD. Episc. Paris. *Sentent. lib.* 2. *Distinct.* 26. *Quòd bona voluntas comitetur gratiam.* Bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem. Undè August. ad Bonifacium Papam scribens contra Pelagianos (*Epist.* 106.), inquit : « Cùm fides impetrat justificationem sicut » unicuique Deus partitus est mensuram fidei : non gratiam Dei aliquid » meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur, » et perfici voluntate comitante, non ducente : pedissequà, non præviâ. » Ecce hic apertè habes, quòd gratia prævenit bonæ voluntatis meritum : et ipsa bona voluntas pedissequa est gratiæ, non prævia.

JOAN. GERSON. *Serm. de dominio Evang. aliquantò ante finem.* Plus abhorret gratia otium, quàm natura vacuum.

Ad Paginam 257. *lin.* 8.

(C) *Vide suprà* §. 2. *litt.* (A) *auctoritates SS. Patrum quibus gratiam et à Christo esse, et per Christum eam nobis dari probavimus.*

CONCIL. EPHES. *anno* 431. *œcum.* 3. *part.* 3. *cap.* 28. *pag.* 108. *tom.* 3. *edit. Labb.* Solet autem uberior illis gratia conferri, qui eam cum gratiarum actione suscipiunt. Tanta enim donorum mensura præbetur, quanta eorum est gratitudo, qui ejusmodi donis potiuntur. Nam cùm de accepto dono donatori gratias agis, non modo pro acceptis rependisti, verùm etiam ad plura conferenda tibi donatorem obstrinxisti.

CONCIL. TRID. *Sess.* 6. *Can.* 24. Si quis dixerit, justitiam acceptam non

conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera : sed opera ipsa fructus solummodò et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam : anathema sit.

S. JOAN. CHRYSOST. *in cap.* 1. *Genes. Homil.* 9. *pag.* 82. Tantùm ea quæ nostra sunt cum alacritate afferamus. Gratia enim est parata, quærens eos qui se cum alacritate suscipiant. Ita enim se habet Dominus noster, quòd si viderit animam vigilem, et desiderium fervens, et ipse suas divitias largiter suppeditat pro sua magnificentia ultrà etiam quàm petere audeamus.

S. JOAN. DAMASC. *in Epist. ad Rom. p.* 15. Reperiemus justitiæ esse debitam gratiam.

S. AMBROS. *Epist.* 42. *n.* 6. Deo autem convenit, ut quos invitaverit per gratiam, eosdem gratiæ ipsius incrementis provehat. Ideòque nobis et antè donat per baptismum, et post bene servientibus uberiora largitur. Ita ergo Christi beneficia et incentiva virtutis et præmia sunt.

Epistolar. class. 2. *Epist.* 73. *n.* 9. Crevit quidem culpa per legem, sed et culpæ auctor superbia soluta est, idque mihi profuit ; superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam fecit.

N. 11. Nemo glorietur in operibus ; quia nemo factis suis justificatur. Sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum justificatus est.

AMBROSIAST. *Comment. in Epist. ad Ephes.* IV. 7. Unicuique autem tantum dicit dari gratiæ, quantum donare dignatus fuerit Dominus ; non tamen sine æquitatis mensura, quia unicuique pro viribus tribuit ; ut tantum hauriat, quantum sitit.

D. HIERON. *Comment. lib.* 3. *in Isaiam cap.* 8. *pag.* 17. Hæc ad me locutus est Dominus. Qui propter bona opera, et gratiam quam per bona opera consecutus sum : sive forti manu suâ erudivit me et instituit, ne ambularem in via populi hujus, et pari tenerer errore : vel certè fecit me recedere à via populi hujus pessima.

S. AUG. *Enarr. in Psal.* XXXIX. *n.* 27. *Egenus et pauper sum.* (*Ps.* LXIX. 6.) Non est quod in me meum laudetur. Disciudat ille saccum meum, cooperiat me stolâ suâ. *Vivo enim jam non ego, vivit autem in me Christus.* (*Galat.* II. 20.) Si vivit in te Christus, et totum quod boni habes Christi est, totum quod habebis Christi est : tu per teipsum quid es ? *Ego egenus et pauper.....* Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam cùm jam hoc es, quod voluit ut esses ? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ ; curam tui non habebit, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V. 45.) : te jam justum ex fide viventem (*Rom.* I. 17.) negliget, deseret, dimittet ? Immò verò et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille portat qui te fecit : ab artificis tui manu noli cadere : si ceciderit à manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit. Dic, Deus meus voluit, et portabit ipse, et tenebit ipse. Jacta te in illum, noli putare inane esse, ut quasi præcipiteris : non ita tibi videatur. Ille dixit ; *Cœlum et terram ego impleo.* (*Jer.* XXIII. 24.) Nusquam tibi deest : tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse : Dominus curam habet mei.

N. 28. *Adjutor meus et protector meus tu es ; Deus meus, ne tardaveris.* (*Ps.* XXXIX. 18.) Invocat, implorat, timet ne deficiat.

S. GREG. MAGN. *Dial. lib.* 1. *cap.* 4. *Vide suprà* §. 1. *litt.* (L)

S. ANSELM. *Homil.* 8. Augmentum gratiæ consequitur, qui ad benè agendum piger non fuerit... Qui virtutum gradibus ad alta nititur, majoris adhuc gratiæ donum consequitur.

GILLEBERT. Abb. *in Cantic. Serm.* 22. *Cant.* 3. *pag.* 69. Supra mensuram injustitiæ abundat gratia, et supra mensuram gratiæ, sed non contrà abundat gratia. Ubi enim una abundat, necesse est et altera superabundet, et detur abundantiùs abundanter habenti. Mensura hæc mensura bona et conferta, et cogitata, et superfluens. Superfluitas videtur, quando non tantùm necessaria suppetunt, sed etiam exuberant voluptaria. In donis Spiritûs quædam expediunt, quædam docent, quædam delectant, sonant, exornant, exhilarant.

Guerric. Abbat. *in Annunt. Dominic. serm.* 3. *n.* 6. Gratia non minuitur usu, sed augetur.

Joan. Gerson. *in tract. de parvulis trahendis ad Christum. Consid.* 1. Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua. *Jugum* illud intellige quod Christus asseruit esse *suave et onus leve.* (*Matth.* xi. 30.) Hujus sententiæ veritas fundatur primò in augmento divinæ gratiæ, quæ tribuitur exercentibus se ad eam tantò abundantiùs quantò citiùs ac diutiùs hoc egerint. Ubi verò major est gratia in anima: magis est ipsius fotrix, nutrix, conservatrix, atque roboratrix. Et è regione pleramque fit justo Dei judicio: ut qui gratiam Dei vel neglexerit vel repulerit, abutens donis Dei et talentis summi patris-familias in primo ætatis vigore dum fas erat: post modum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur. Sed absque Dei gratia quis salvabitur? quis subsistet? quis non potiùs in præceps vel in damnum ruet?

Fr. David de Augusta *Formul. Novit. Cap.* 29. Ipsa beneficia ejus, quibus in nobis operatur salutem, tam preliosa sunt, quòd nullo pretio sunt condigna. Quid enim potest condignum gratiæ Spiritûs sancti excogitari, quam dat fidelibus suis, vel corpori Christi? et sanguini? et gloriæ cœlesti? præter alia absque æstimatione et numero quæ ab eo percipimus. Quanta utilitas nobis ex his donis proveniat penset qui valet. Prima justificatio à peccato, secunda gratia sanctitatis, tertia adoptio filiorum Dei, quarta interna devotio, quinta defensio à periculis, sexta consortium Angelorum, septima beatitudo corporis et animæ ex visionis Dei fruitione. Istæ et aliæ sunt utilitates beneficiorum Dei, in his omnis felicitas consistit, quam sæpe ista conferat attende. Quoties enim perdimus per peccatum gratiam Dei, toties reddit nobis offerendo, si volumus recipere. Item quoties abutimur donis ejus, vel negligentes sumus in ejus servitio, vel ingrati, vel elati de donis ejus, toties meremur ea amittere, sive sint spiritualia dona, sive corporalia, vel temporalia, et quoties non aufert cùm demeremur, toties dat. Quibus autem tanta beneficia præstet tantus Dominus, in promptu patet; quid enim sumus, nisi pulvis et fumus, miseri, inopes, repleti multis miseriis, expositi omnibus periculis, et penè nihil. Adde quòd cum ista vilitate Deo omnipotenti rebelles sumus, et pro dilectione et beneficiis reddimus ei contumelias et contemptum, inobedientes, negligentes, ingrati, et elati. Quanta ergo pietas Dei illis tanto affectu et studio sic benefacere, quia beneficia ejus nec agnoscere, nec conservare, nec digne recipere student. Benefacere promerenti justum est; benefacere nihil merenti, sed tamen humiliter petenti, pium est: piissimum autem, et nisi divini cordis est benefacere contemnenti, et adversanti, et hoc vili et servo proprio, et figmento suo. Gratiarum actio meretur bona accepta conservari et augeri, et ad majorem profectum converti, et majorem fructum indè provenire; verbi gratiâ, qui dono sapientiæ gratus fuerit, quod accepit conservatur in eo ne perdat, augetur ut plus et plus sapiat, et ut major indè utilitas proveniat, tam in proprio merito quàm in aliorum ædificatione. Econtra ingratitudo meretur amittere quæ habet, nec alia accipere, et quæ retinet infructuosè tenere, et fraudari præmio, et supplicium mereri pro negligentia et contemptu sui. Cui plus donatum est, plus repetet ab eo. Ex semetipso potest quis perpendere, quàm detestabile vitium sit ingratitudo, cùm hoc omnes odio habere soleant in aliis quibus benefecerunt, si nullas vel parvas ab eis inde grates receperint, vel amorem. Et ideò non indignationis est, sed clementiæ in Deo, quandoque negare petita ingratis, ne fortè gravioris culpæ reatum incurrant, si pluribus beneficiis acceptis plus fiant ingrati.

Ad Paginam 237. *lin.* 10.

(D) Rom. vi. 23. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

Concil. Arausic. II. *ann.* 529. *cap.* 18. *tom.* 4. **Concil.** *edit. Labb. pag.* 1570. Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 16. Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: *abundantes in omni opere bono, scientes, quòd*

labor vester non est inanis in Domino. (**1. Cor. XV. 58.**) *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* (*Hebr.* **VI. 18.**) Et, *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* (*Hebr.* **X. 35.**) Atque ideò benè operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa; et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.

Can. 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

S. GREG. NYSS. *Orat. de fugienda fornicatione.* Nec tu gratiam assecutus, putes fore ut vivas cum justis, et ad illorum ducaris hæreditatem, nisi pro pietate multa adeas pericula, et cum carne bellum geras, et simul cum Diabolo, fortiter resistas omnibus jaculis malignorum spirituum. Imò verò si videtur, accipiamus ipsam Domini vocem, quæ est proferenda in ipso communi judicio, et est magistra ejus quod proponitur. *Venite benedicti patris mei: estote hæredes parati vobis regni à constitutione mundi.* (*Matth.* **XXV. 34.**) Quam ob rem? Non quoniam induti estis veste incorruptionis, neque quoniam peccata vestra abluistis: sed quoniam in charitate vos rectè gessistis. Et statim sequitur catalogus eorum qui sunt nutriti, potati, induti. Et jure qui falli non potest Judex ita judicat. Nam gratia quidem est donum Domini. Ex vitæ autem administratione est rectè factum ejus qui est honoratus. Gratiæ autem quam accepit nemo petit mercedem: sed contrà est debitor. Et ideò quando baptismo fuerimus illuminati, benefactori debemus benevolentiam. Nostra autem in Deum benevolentia, est quam in conservos exercemus liberalitas, salus nostra et virtutis cura.

S. CYPRIAN. *Epist.* 86. *aliàs* 77. *versùs finem.* (Deus) nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat; retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipse præstitit, et honorans quod ipse perfecit.

Acta SS. MONTANI, *etc. apud* THEODOR. RUINART. *ann.* 259 *aut* 260. *pag.* 234. Quò enim tentatio grandis est, eò major est ille qui eam vincit in nobis: Et non est pugna, quia est Domino protegente victoria. Nam et occidi servis Dei leve est: et ideò mors nihil est, cujus aculeum comminuens, contentionemque devincens Dominus, per trophæum crucis triumphavit. Sed nulla causa armorum est, nisi quando miles armandus est: nec armatur nisi quando congressio est; et in coronis nostris ideò præmium est, quia certamen antè præcessit. Nec datur palma, nisi congressione perfectâ.

S. CÆLEST. PP. *Epist. cap.* 12. *in appendice tom.* 10. *oper.* S. AUGUST. *pag.* 134. Ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus, et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippè in nobis, ut quod vult, et velimus, et agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donavit; ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, et redimit de interitu vilam nostram.

S. AUG. *ad Sixtum. Epist.* 194. *aliàs* 105. *cap.* 5. *n.* 19. Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia; et cùm Deus

coronat merita nostra, nihil aliud coronet quàm munera sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: sic in fine, quo erit vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, *in miseratione et misericordia.* (*Osee* II. 19.) Non itaque frustra Deo cantatur, *et misericordia ejus prævenìet me* (*Ps.* LVIII. 11.); et, *misericordia ejus subsequetur me.* (*Psal.* XXII. 6.) Undè et ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, et ideò meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quisquis redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideò quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita quibus datur.

Enarr. in Psal. XCIX. *n.* 5. Bonum est vobis ut qui fecit vos, perficiat vos. *Ipse fecit nos, et non nos.* (*v.* 3.) Non debemus superbire: totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus: quod in nobis nos fecimus, indè damnamur; quod in nobis ille fecit, indè coronamur.

In Psal. CXXXVII. *Enarr. n.* 18. Non commendo opera manuum mearum, timeo ne cùm inspexeris, invenias plura peccata quàm merita. Hoc solum rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero: *Opera manuum tuarum ne despicias.* (*v.* 8.) Opus tuum in me vide, non meum. Nam meum si videris damnas: tuum si videris, coronas. Quia et quæcunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, et ideò tua magis quàm mea sunt. Audio quippè ad Apostolo tuo, *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* (*Ephes.* II. 8.)

In Joan. Evang. cap. 1. *Tract.* 3. *n.* 8. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* (*Joan.* I. 16.), id est, accepimus: ut nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine ejus accepisse; et insuper gratiam pro gratia. Accepimus enim de plenitudine ejus, primo gratiam; et rursùm accepimus gratiam, gratiam pro gratia. Quam gratiam primò accepimus? Fidem. In fide ambulantes, in gratia ambulamus. Undè enim hoc meruimus? quibus nostris præcedentibus meritis? Non se quisque compalpet, redeat in conscientiam suam, quærat latebras cogitationum suarum, redeat ad seriem factorum suorum: non attendat quid sit, si jam aliquid est; sed quid fuerit, ut esset aliquid; inveniet non se dignum fuisse nisi supplicio. Si ergo supplicio dignus fuisti, et venit ille qui non peccata puniret, sed peccata donaret: gratia tibi data est, non merces reddita. Undè vocatur gratia? Quia gratis datur. Non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimitterentur.

N. 9. Quid est ergo, *gratiam pro gratia?* Fide promeremur Deum: et qui digni non eramus quibus peccata dimitterentur, ex eo quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? Gratis data. Quid est gratis data? Donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata: si autem verè debebatur, bonus fuisti: si autem, ut verum est, malus fuisti, *credidisti autem in eum qui justificat impium* (*Rom.* IV. 5.): (Quid est, qui justificat impium? Ex impio facit pium.) Cogita quid per legem tibi imminere debebat, et quid per gratiam consecutus sis. Consecutus autem istam gratiam fidei, eris justus ex fide: *Justus enim ex fide vivit* (*Habac.* II. 4. *Rom.* I. 17.): et promereberis Deum vivendo ex fide: cùm promeruerìs Deum vivendo ex fide, accipies præmium immortalitatem, et vitam æternam. Et illa gratia est. Nam pro quo merito accipis vitam æternam? Pro gratia. Si enim fides gratia est, et vita æterna quasi merces est fidei: videtur quidem Deus vitam æternam tanquam debitam reddere: (Cui debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem.) Sed quia ipsa fides gratia est: et vita æterna gratia est pro gratia.

N. 10. *Sed misericordiam*, inquit, *consecutus sum.* (1. *Tim.* I. 13.) Indignum se dixit qui consequeretur: consecutum tamen non per merita sua, sed per misericordiam Dei. Audi illum jam flagitantem debitum, qui primò indebitam susceperat gratiam: " *Ego enim* (inquit), *jam immolor, et tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cætero reposita est mihi corona justitiæ.* (2. *Tim.* IV. 6. 7. *et* 8.) Jam debitum flagitat, jam debitum exigit. Nam

vide verba sequentia: *Quam mihi reddet Dominus in illa die, justus judex.* Ut antè susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat: ut præmium gratiæ, judicem justum. Qui non damnavit impium, damnabit fidelem? Et tamen si benè cogites, ipse dedit fidem primò, quà eum promeruisti: non enim de tuo promeruisti, ut tibi aliquid deberetur. Quòd ergo præmium immortalitatis postea tribuit; dona sua coronat, non merita tua. Ergo fratres, *omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* i. 16.); de plenitudine misericordiæ ejus, de abundantia bonitatis ejus accepimus. Quid? Remissionem peccatorum, ut justificaremur ex fide. Et insuper quid? *Et gratiam pro gratia* (*ibid.*); id est, pro hac gratia in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam: quid tamen nisi gratiam? Nam si dixero, quia et hoc debetur; aliquid mihi assigno, quasi cui debeatur. Coronat autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ: sed si in ea gratia quam primam accepimus, perseveranter ambulemus.

N. 11. Non poterant implere justitiam, nisi adjuvaret ille qui jusserat.

S. PROSPER. *Carm. de Ingrat. cap.* 29.

Non igitur quisquis terreni veste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem,
Sed recipis: sic acquirens quibus antè carebas,
Ut tua sint si collatis utare modestè,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti est lucis pater, inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus, èque relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.

Cap. 31.

Sed Deus et tales discernit, quo magè Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei et meriti: quoniam sapientia dives
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis
In finem vitæ, fieret de munere merces.

Cap. 34.

..... qui vincula nostra resolvit,
Proque malis bona restituit, non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur:
Ut de perceptis prodiret causa merendi;
Deque datis in danda gradus industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.

Cap. 45.

Conticeant igitur qui dicunt esse cavendum,
Ne desit sanctis sumendæ causa coronæ,
Si non ipsorum bona reperiantur in illis.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus: tu corda moves: tu vota petentis
Quæ dare vis tribuis, servans largita, creansque
De meritis merita, et cumulans tua dona coronis.

Epigram. de justitia et gratia.

Salvatrix autem cunctorum gratia Christi
Non pensans meritum, diluit omne malum:
Credentesque omnes renovans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

De duplici opere Dei. Beatitudo Sanctorum et de munere gratiæ est, et de retributione justitiæ....

Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia justitiam.
Damnantem clatos, salvantem justificatos,
Quos Deus et donis auxerit, et meritis.

Venerab. BEDÆ *in princip. Genes. lib.* 2. *pag.* 205. *apud* D. EDMUND. MARTENNE *Thesauri Anecdot. novi Tom.* 5. Non solùm, ut bona operemur, verùm etiam ut post bona opera ad vitam perveniamus æternam, superni est donum numinis.

ODONIS Episc. Camerac. *lib. de Villico iniquitat. n.* 17. *pag.* 867. *apud* EDM. MARTENNE *Thesauri Anecdot. novi Tom.* 5. Diversitas multiplex habi-

tationum, quas Dominus in domo Patris esse dicit, utique fit pro diversitate meritorum, quibus quisque cum gratia juvante, meritus est eas dum vixit.

BERENGAUD. *Exposit. in Apocalyps. De visione* 2. *cap.* IV. 11. Hominum talis est natura, ut nihil boni à se habere possint, nisi ab ipso accipiant, qui est summè bonus; dat Deus sanctis suis, undè ipsi eum remunerent. Regnum namque cœlorum Deus promisit sanctis suis, attamen si pretium bonorum operum pro eo dederint: et quia electi hoc pretium non habent, nisi ab ipso accipiant; ipse dat pretium, undè ab ipso emant vitam æternam.

S. BERNARD. *in Annuntiat. B. Mariæ serm.* 1. *n.* 2. Jam verò de æterna vita scimus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, et ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini; quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?

PETR. Venerab. Abb. Clun. IX. *Epist. lib.* 3. *Epist.* 7. *pag.* 904. *Tom.* 22. *Bibl. PP. Lugd.* Quid autem dixi gratiam à gratia, laborem à retributione, meritum à beatitudine? Hæc verba non nunc primùm à me proferuntur, sed in Evangelio Joannis leguntur. *Nos*, ait, *omnes de plenitudine ejus accepimus, et gratiam pro gratia.* (*Joan.* I. 16.) Quid est gratiam pro gratia? Accipiunt enim sancti ejus geminam ab ipso gratiam, ita ut ex præcedente gratia sequatur et alia. Primò enim hic accipiunt gratiam operationis, ac pro ipsa alibi gratiam retributionis. Primò hic accipiunt gratiam sanctificationis, ac pro ipsa alibi gratiam glorificationis. Nec enim simul et opus bonum faciunt, et boni operis mercedem accipiunt; neque simul in sanctitate et virtutibus perficiuntur, et virtutum et sanctitatis gloriam assequuntur. Hîc enim operantur, ibi remunerantur; hic sanctificantur, ibi glorificantur.

PETR. LOMBARDUS Paris. Episc. *Sentent. lib.* 2. *Ex quo sensu dicuntur ex gratia incipere bona merita, et de qua gratia hoc intelligatur.* Cùm ergo ex gratia dicuntur esse bona merita et incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, id est Deus; vel potiùs gratia gratis data, quæ voluntatem hominis prævenit. Non enim esset magnum si hæc à Deo dicerentur esse, à quo sunt omnia; sed potiùs ejus gratia gratis data intelligitur, ex qua incipiunt bona merita: quæ cùm ex sola gratia esse dicantur, non excluditur liberum arbitrium: quia nullum meritum est in homine, quod non sit per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis causæ principalitas gratiæ attribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, quâ excitatur liberum arbitrium et sanatur, atque juvatur voluntas hominis ut sit bona. Quòd bona voluntas gratiæ principaliter est, et etiam est: sicut et omne bonum meritum. Quæ ipsa etiam donum Dei est, et hominis meritum; imò gratiæ, quia ex gratia principaliter est, et gratia est. Undè August. ad Sixtum presbyterum, « Quid est meritum » hominis ante gratiam, cùm omne bonum nostrum meritum non in » nobis facit nisi gratia. » Ex gratia enim, ut dictum est, quæ prævenit et sanat arbitrium hominis, et ex ipso arbitrio procreatur in anima hominis bonus affectus sive bonus motus mentis: et hoc est primum bonum hominis meritum: sicut, verbi gratiâ, ex fidei virtute et hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus et remunerabilis, scilicet ipsum credere: ita ex charitate et libero arbitrio alius quidam motus bonus provenit, scilicet diligere, bonus valdè. Sic de cæteris virtutibus intelligendum est. Et isti boni motus vel affectus merita sunt et dona Dei, quibus meremur et ipsorum augmentationem, et alia quæ consequenter hic et in futuro nobis apponuntur.... Ex muneribus itaque virtutum boni sumus et justè vivimus, et ex gratia, quæ non est meritum, sed facit, non tamen sine libero arbitrio, proveniunt merita nostra, scilicet boni affectus eorumque progressus atque bona opera, quæ Deus remunerat in nobis; et hæc ipsa sunt Dei dona.

GUILLEL. PARIS. *De Merit. cap. unic. pag.* 313. Meritis nostris solis nihil debetur, nec nostris meritis solis Deum nobis in aliquo facere possumus debitorem, sed meritis nostris et promissione suâ simul; nullâ enim

bonitate, vel eminentiâ meritorum eum nobis obligare possumus, sed ipsemet se nobis obligavit promissionibus suis, pactis, et juramentis, sicut dicit Jacobus in primo (I. 12.): *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se;* et Apostolus in 4. primæ ad Timoth. (IV. 8.) *Pietas habet promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Causa autem hæc esse videtur, quia ipsa bona merita nostra, et opera Dei sunt, et dona. Dona autem ejus non videntur eum obligare ad ampliora donanda, nisi talia sint dona, quæ ipsâ essentiâ, et virtute suâ obligent; quæ enim ratio est, ut eo ipso quòd Deus dedit alicui bona aliqua, propter hoc obligatus sit ad danda incomparabiliter majora? Aliis autem omninò videtur meritum nihil esse quantùm ad bona obtinenda. Adhærent hi verbis illis Deberti (*lege* Hildeberti) Cenom. Episcopi:

Quidquid habes meriti præventrix gratia donat.
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

Videtur etiam facere pro illis quod dicit Apostolus in 6. ad Rom. (I. 23.) *Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna.* Cùm enim dixisset, *stipendia peccati mors*, non dixit stipendium meritorum vita æterna, quod utique dixisset (ut aiunt) si quemadmodùm mors æterna ex meritis justè redditur, redderetur et vita æterna. Ad idem et id quod legitur Joannis primo (I. 16.): *Et nos de plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia*, gratiam secundam vocans vitam æternam, quæ accipitur pro gratia, quæ datur in præsenti. Similiter et Zachariæ (IV. 7.) *Adducet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus.* In Psal. etiam dicitur: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Ps.* LXXXIII. 12.); non est dictum, Gratiam et gloriam reddet. Quod ergo convenientius videtur in omnibus his, hoc est, ut dicatur quia gratiæ debetur gloria, et hoc multis de causis. Primùm, quia hujusmodi gratia, scilicet gratum faciens, gratia est adoptionis, et filiatio; filiationi enim jure debetur hæreditas, sicut legitur in octavo ad Romanos (VIII. 17.) *Quòd si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Similiter et in 4. ad Gal. (IV. 7.): *Quòd si filius, et hæres per Deum.* Hæc gratia vocatur spiritus adoptionis, et in eodem capitulo ad Rom. (*v.* 15.) *Sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba* (*Pater*): quasi ex duabus causis Deum bis patrem vocamus, quoniam et regenerando pater est per gratiam adoptionis, et glorificando similiter per largitionem hæreditatis. Secundò, jure et lege amicitiæ, quâ bona amicorum ex necessitate sunt communia. Quia scilicet Deus amicus est amicorum suorum, diligit enim diligentes se, sicut ipsemet dicit in Proverbiorum octavo (VIII. 17): *Ego*, inquit, *diligo diligentes me.* Tertiò ex promissione, seu ex repromissione, necesse est, ut bona sua, bona, inquam, gloriæ communicet eisdem; alioquin nec fidem, nec veritatem amicitiæ teneret, sicut apparet ex antè positis Jacobi Apostoli, et Pauli testimoniis. Quartò ex conventione sicut legitur. (*Matth.* XX. 2.) *Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno.* Operantibus ergo debetur ex conventione; habentibus autem gratiam adoptionis, et filiis nuptiarum Christi, et Ecclesiæ, debetur jure hæreditario: diligentibus autem jure, et lege amicitiæ, et etiam promissionis. De hoc verò quod communiter dicitur, quia quædam opera meritoria sunt vitæ æternæ, et quia omni opere facto ex charitate meretur quis vitam æternam, nullo modo videtur, quòd ex condigno cujuscunque operis mereri possit quis vitam æternam; cùm enim gratiæ debeatur vita æterna, ut ostendimus, et hoc per se, operi autem nihil debeatur nisi propter gratiam, ex qua est, quoniam sicut dicit Gregor. *Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi à radice processerit charitatis*, manifestum est, quòd gratiæ debetur merces æterna in primis, et per se, etiam absque omni promissione, operibus verò non deberi videtur nisi ratione promissionis, aut conventionis: quod ergo communiter dicitur, quia omni opere facto ex charitate meretur quis vitam æternam, et hoc ex debito, ita intelligendum videtur, quia debitorem facit sibi Deum vitæ æternæ, non quidem propter ipsum opus solum, sed propter promissionem Dei cum opere ejus. Et verissimum est, quia nisi sic operanti et à merito illo non cadenti reddetur vita æterna, injuria ei fieret propter promissionem, et conventionem, quibus omnibus hujusmodi operationibus divina bonitas se adstrinxit.

S. THOM. 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 2. Sed contrà est, quod Apostolus dicit: (*Rom.* VI. 23.) *Gratia Dei vita æterna.*

Conclusio. *Cùm vita æterna omnem naturæ facultatem excedat, non potest homo neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ, ipsam absque gratia et divina reconciliatione à Deo promereri.*

Respondeo dicendum quòd hominis sine gratia duplex status considerari potest, sicut suprà dictum est: unus quidem, naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum: alius autem, naturæ corruptæ, sicut est in nobis ante reparationem gratiæ: si ergo loquamur de homine quoad primum statum, sic unà ratione non potest homo mereri absque gratia vitam æternam per pura naturalia, quia scilicet meritum hominis dependet ex præordinatione divina: actus autem cujuscunque rei non ordinatur divinitùs ad aliquid excedens proportionem virtutis quæ est principium actûs. Hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra suam virtutem. Vita autem æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ; quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus; secundùm illud: (1. *Corinth.* II. 9.) *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Et inde est quòd nulla natura creata est sufficiens principium actûs meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum quod *gratia* dicitur. Si verò loquamur de homine sub peccato existente, additur cum hoc secunda ratio, propter impedimentum peccati: Cùm enim peccatum sit quædam Dei offensa excludens à vita æterna, ut patet per suprà dicta, nullus in statu peccati existens potest vitam æternam mereri, nisi priùs Deo reconcilietur dimisso peccato; quod fit per gratiam: Peccatori enim non debetur vita, sed mors; secundùm illud: (*Rom.* VI. 23.) *Stipendium peccati mors.*

Art. 4. *in corp.* Respondeo dicendum quòd sicut ex dictis (art. 1.) accipi potest, humanus actus habet rationem merendi ex duobus. Primò quidem et principaliter ex divina ordinatione; secundùm quòd actus dicitur esse meritorius illius boni, ad quod homo divinitùs ordinatur: secundò verò ex parte liberi arbitrii; in quantum scilicet homo habet præ cæteris creaturis ut per se agat voluntariè agens... Similiter etiam manifestum est quòd id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus: undè etiam secundùm quod ad rationem meriti requiritur quòd sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur.

Ad Paginam 258. *lin.* 2.

(E) S. AUG. *Enarr. in Psal.* CX. *n.* 2. Eligat sibi homo quodlibet. Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta, Creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet: tamen si peccaveris, ne putes hominem fecisse quod voluit, et Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat; ita vult postremò in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit undè suam de te compleat voluntatem. *Magna* enim *opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus.* (*Ibid.* 2.)

N. 3. *Confessio et magnificentia opus ejus.* (*v.* 3.) Quid magnificentius quàm justificare impium? Sed opus fortasse hominis prævenit istam magnificentiam Dei, ut cùm fuerit peccata confessus, justificari mereatur..... Hæc magnificentia Domini: quoniam *ubi abundavit peccatum, et superabundavit gratia.* (*Rom.* V. 20.) Sed fortasse ex operibus. * *Non*, inquit, *ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis.* (*Ephes.* II. 9. *et* 10.) Justitiam enim homo non operatur, nisi justificatus: credens autem in eum *qui justificat impium* (*Rom.* IV. 5.), à fide incipit, ut bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit ostendant. Undè ergo illa confessio? Nondum quidem opus est justitiæ, sed delicti improbatio: sed quoquo modo se habeat, nec in ipsa de te homo glorieris, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) *Quid enim habes quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.)? Non ergo sola magnificentia, quâ justificatur impius, sed et *confessio et magnificentia opus ejus.* Quid ergo dicimus, quia *cui vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Rom.* IX. 18.)? *Nunquid iniquitas apud*

Deum? Absit. (*Ibid.* 14.) *Justitia* enim *ejus manet in seculum seculi.* (*Ps.* CX. 3.) Tu autem homo de hoc seculo, quis es qui respondeas Deo?

GILLEBERT. Abbat. *in Cant.* IV. *serm.* 33. *pag.* 110. Opera ipsa et virtutes cum his qui foris sunt communia nobis esse possunt, unguenta non possunt. Denique etsi per se pulchra sunt, plus placent cùm procedunt de Spiritu. Quomodo videntes opera bona glorificant Deum, nisi quia intelligunt quòd ipsum opus bonum et à Deo venit, et ad ipsum vadit? Si qua sanè in me bona sunt, gratiora mihi quidem sunt, cùm deputantur gratiæ Christi, cùm ejus in me unctio commendatur, cùm Spiritus redolet, magis quàm cùm naturalis arbitrii prædicatur facultas, aut fructus industriæ. Denique sine unctione Spiritûs, et natura libertate destituitur, et virtus veritate, et opus merito. Nam sine gratia Spiritûs et fide Christi, et voluntatis conatus effectu caret, et virtus quæ videtur fucata est, et opus æternæ mercedis non assequitur fructum. *Ideò odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* (*Cant.* IV. 10.) Etenim qualiacunque aromata fuerint, non meræ suavitatis spargunt odorem, nisi cùm in eis spiritualis gratiæ redolent et redundant unguenta.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 109. *art.* 5. *in Corp.* Homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ; sed ad hoc exigitur altior virtus, quæ est virtus gratiæ: Et ideò sine gratia homo non potest mereri vitam æternam: Potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale; sicut laborare in agro, bibere, manducare et habere amicum, et alia hujusmodi.

Ad primum... Homo suâ voluntate facit opera meritoria vitæ æternæ; sed.... ad hoc exigitur quòd voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam.

Ad secundum, dicendum quòd sicut Gloss. dicit (*Rom.* VI. 23.) super illud, *Gratia Dei, vita æterna*, certum est vitam æternam bonis operibus reddi; sed ipsa opera quibus redditur, ad Dei gratiam pertinent; cùm etiam suprà dictum sit (art. 4.) quòd ad implendum mandata legis secundùm debitum modum per quem eorum impletio est meritoria, requiritur gratia.

Ad Paginam 258. *lin.* 5.

(F) *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C. D.)

Ad Paginam 258. *lin.* 13.

(G) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decret. de Justific. cap.* 5. Ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum est, hoc est, ab ejus vocatione, quâ, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, et cooperando, disponantur.

S. THOM. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. Sed contrà est, quod dicitur: (*Joan.* VI. 44.) *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Si autem homo seipsum præparare posset, non oporteret quòd ab alio traheretur: Ergo homo non potest se ad gratiam præparare absque auxilio gratiæ.

Conclusio. *Non potest homo per seipsum præparari ad divinæ gratiæ lumen suscipiendum, sed gratuito Dei interius moventis bonumque propositum inspirantis auxilio indiget: ad meritoriè verò operandum, et dignè Deo fruendum, indiget habituali gratiæ ipsius dono, quod tanti operis principium sit.*

Respondeo dicendum quòd duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum: una quidem, quâ præparatur ad benè operandum, et ad Deo fruendum. Et talis præparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorii, ut dictum est. (art. 5.) Alio modo potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum, ad hoc autem quòd præparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima; quia sic procederetur in infinitum: sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum propositum: His enim duobus

modis indigemus auxilio divino... Et ideò quòd homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi Deo ipsum convertente: Hoc autem est præparare se ad gratiam quasi ad Deum converti: sicut ille qui habet oculum aversum à lumine solis, per hoc se præparat ad recipiendum lumen solis, quòd oculos suos convertit versùs solem. Undè patet quòd homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum nisi per auxilium gratuitum Dei interiùs moventis.

Ad primum ergo dicendum quòd conversio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium: Et secundùm hoc homini præcipitur quòd se ad Deum convertat: sed liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente; secundùm illud: (*Jerem.* XXXI. 18.) *Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus:* et Threnorum ultimo: *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* (*ibid.* 21.)

Ad secundum, dicendum quòd nihil homo potest facere nisi à Deo moveatur; secundum illud: (*Joan* XV. 5.) *Sine me nihil potestis facere:* Et ideò cùm dicitur homo facere quòd in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundùm quòd est motus à Deo.

Ad tertium, dicendum quòd illa objectio procedit de gratia habituali, ad quam requiritur aliqua præparatio; quia omnis forma requirit susceptibile dispositum: sed hoc quòd homo moveatur à Deo, non præexigit aliquam aliam motionem, cùm Deus sit primum movens: Undè non oportet abire in non infinitum.

Ad quartum, dicendum quòd hominis est præparare animum, quia hoc facit per liberum arbitrium; sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis, et ad se attrahentis.

Art. 7. Sed contrà est quod Apost. dicit ad Gal. II. 21. " *Si data est lex quæ potest justificare, ergo Christus gratis mortuus est*; id est, *sine causa:* Pari ergo ratione, si homo habet naturam per quam potest justificari, *Christus gratis* (id est, sine causa) *mortuus est:* sed hoc est inconveniens dicere: Ergo non potest per seipsum justificari; id est, redire de statu culpæ ad statum justitiæ.

Conclusio. *Cùm naturalis in homine ratio non sit sufficiens principium sanitatis spiritualis, sed ipsa gratia quæ tollitur per peccatum, fieri non potest ut per seipsum homo sine auxilio gratiæ à peccatis resurgat; hoc est, ad ea quæ peccando amisit, reparetur.*

Respondeo dicendum quòd homo nullo modo potest resurgere à peccato per seipsum sine auxilio gratiæ: Cùm enim peccatum transiens actu, remaneat reatu, ut suprà dictum est (quæst 87. art. 6.) non est idem resurgere à peccato, quòd cessare ab actu peccati; sed resurgere à peccato, est reparari hominem ad ea quæ peccando amisit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando; ut ex supradictis patet (quæst. 85. 86. 87.) scilicet *maculam*, *corruptionem naturalis boni*, *et reatum pœnæ:* Maculam quidem incurrit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati: Bonum autem naturæ corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjectâ: Hoc enim ordine sublato, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat: Reatus verò pœnæ est, per quem homo peccando mortaliter, meretur damnationem æternam. Manifestum est autem de singulis horum trium quòd non possunt reparari nisi per Deum: Cùm enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari nisi Deo denuò illustrante: undè requiritur habituale donum quod est gratiæ lumen: similiter ordo naturæ reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente; sicut dictum est (art. 5.) Similiter etiam reatus pœnæ æternæ remitti non potest, nisi à Deo in quem est offensa commissa, et qui est hominum judex: Et ideò requiritur auxilium gratiæ ad hoc quòd homo à peccato resurgat, et quantùm ad habituale donum, et quantùm ad interiorem Dei motionem.

Ad primum ergo, dicendum quòd illud indicitur homini quod pertinet ad actum liberi arbitrii, qui requiritur in hoc quòd homo à peccato resurgat: Et ideò cùm dicitur, *Exsurge, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V. 14.), non est intelligendum quòd tota exsurrectio à peccato præcedat illuminationem gratiæ; sed quia cùm homo per liberum arbitrium à Deo motum surgere conatur à peccato, recipit lumen gratiæ justificantis.

Ad secundum, dicendum quòd naturalis ratio non est sufficiens principium hujus sanitatis quæ est in homine per gratiam justificantem ; sed hujus principium est gratia, quæ tollitur per peccatum : Et ideò non potest homo per seipsum reparari : sed indiget ut denuò ei lumen gratiæ infundatur, sicut si corpori mortuo resuscitando denuò infunderetur anima.

Ad tertium, dicendum quòd quando natura est integra, per seipsam potest reparari ad id quod est sibi conveniens et proportionatum ; sed ad id quod superexcedit suam proportionem, reparari non potest sine exteriore auxilio : sic igitur humana natura defluens per actum peccati, quia non manet integra, sed corrumpitur, ut suprà dictum est (quæst. 83.) non potest per seipsam reparari, neque etiam ad bonum sibi connaturale; et multò minùs ad bonum supernaturale justitiæ.

Quæst. 112. art. 2. Conclusio. *Ad gratiam, ut quoddam habituale donum animæ est, aliqua ex parte hominis præparatio necessaria est, (sic enim forma quædam est, quæ non nisi in materia disposita esse potest) : Non autem ut gratia auxilium Dei animam ad bonum moventis denotat : sic enim quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum.*

Respondeo dicendum quòd sicut suprà dictum est (quæst. 109.) gratia dicitur dupliciter. Quandoque quidem ipsum habituale donum Dei. Quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio ; quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita : sed si loquamur de gratia secundùm quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium ; sed potiùs quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundùm hoc ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti à Deo : Et quantùm ad hoc dicitur homo se præparare ; secundùm illud (*Prov.* XVI. 1.) *Hominis est præparare animum :* Et est principaliter à Deo movente liberum arbitrium : Et secundùm hoc dicitur *à Deo voluntas hominis præparari* (*Prov.* VIII. 35. *sec.* LXX.), *et à Domino gressus hominis dirigi.* (*Psal.* XXXVI. 23.)

Ad primum ergo, dicendum quòd præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ : Et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur : Est autem alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ gratum facientis ; quæ tamen est à Deo movente : sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam justificato ; quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia, ut infrà dicitur. (quæst. 114.)

Ad secundum, dicendum quòd cùm homo ad gratiam se præparare non possit, nisi Deo eum præveniente et movente ad bonum, non refert utrùm subitò vel paulatim aliquis ad perfectam præparationem perveniat: Dicitur enim Eccli. XXIII. 23. *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem* : Contingit autem quandoque quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum ; et talis præparatio præcedit gratiam : sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, et subitò gratiam homo accipit, secundùm illud (*Joan.* VI. 45.) ; *Omnis qui audivit à Patre et didicit, venit ad me.* Et ita contigit Paulo ; quia subitò cùm esset in progressu peccati, perfectè motum est cor ejus à Deo, audiendo, et addiscendo, et veniendo : Et ideò subitò est gratiam consecutus.

Ad Paginam 253. *lin.* 42.

(H) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decret. de Justific. cap.* 7. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret (*Rom.* V. 5.) ; undè in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum mem-

brum efficit; quà ratione verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam et otiosam esse (*Jacob.* II. 17.); et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur.

CLEMENT. *Lib.* 1. *Tit.* 1. *cap. unico, in* CONCIL. VIENNENSI. Quia quantùm ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse; quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti: sed gratiam non conferri. Aliis è contra asserentibus, quòd et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 112. *art.* 3. Conclusio. *Hominis quod in se est facientis præparationem ad gratiam injusto gratiæ necessariò seu infallibiliter sequitur, prout ipsa præparatio à movente Deo est, cujus intentio deficere non potest: Non autem prout est actus liberi arbitrii, cujus facultatem gratia excedit.*

Respondeo dicendum quòd sicut suprà dictum est (art. 2.) præparatio hominis ad gratiam est à Deo sicut à movente, à libero autem arbitrio sicut à moto. Potest igitur præparatio dupliciter considerari: Uno quidem modo, secundùm quòd est à libero arbitrio: Et secundùm hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem; quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo potest considerari secundùm quòd est à Deo movente: et tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest. Secundùm quod Aug. dicit in lib. de prædestinatione Sanctorum, quòd *per beneficia Dei certissimè liberantur quicunque liberantur:* Undè si ex intentione Dei moventis est quòd homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur; secundùm illud (*Joan.* VI. 45.): *Omnis qui audivit à Patre et didicit, venit ad me.*

Quæst. 113. *art.* 7. Sed contrà est quòd justificatio impii fit per gratiam Spiritùs sancti justificantis; sed Spiritus sanctus subitò advenit mentibus hominum; secundùm illud (*Act.* II. 2.) *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritùs vehementis:* Ubi dicit Gloss. quòd nescit tarda molimina Spiritùs sancti gratia: Ergo justificatio impii non est successiva, sed instantanea.

Respondeo dicendum, quòd tota justificatio impii originaliter consistit in gratiæ infusione: Per eam enim et liberum arbitrium movetur et culpa remittitur: Gratiæ autem infusio fit in instanti absque successione... Dictum est autem suprà (quæst. 112. art. 12.) quòd Deus ad hoc quòd gratiam infundat animæ, non requirit aliquam dispositionem, nisi quam ipse facit: Facit autem hujusmodi dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiæ: quandoque quidem subitò, quandoque autem paulatim et successivè; ut suprà dictum est (qu. 112. art. 2, d. 2.) Quòd enim agens naturale non subitò possit disponere materiam, contingit ex hoc quòd est aliqua proportio ejus quod in materia resistit, ad virtutem agentis: et propter hoc videmus quòd quantò virtus agentis fuerit fortior, tantò materia citiùs disponitur: Cùm igitur virtus divina sit infinita, potest quamcunque materiam creatam subitò disponere ad formam; et multò magis liberum arbitrium hominis, cujus motus potest esse instantaneus secundùm naturam. Sic igitur justificatio impii fit à Deo in instanti.

Ad Paginam 259. *lin.* 8.

(1) CONCIL. NARBON. *ann.* 1609. Per Sacramenta voluit Deus, tanquam per media, nobis gratiam conferre.

STEPHANI EDUENS. Episc. *Tract. de sacram. altaris, Prolog. pag.* 1872. *tom.* 20. *Biblioth. PP. Lugd.* Virtus sacramentorum invisibilem operatur effectum. Quod exemplorum documentis liquidò apparebit. Sacramen-

tum baptismi ordinatur in aquis regenerativis : quia sicut aquâ sordes exteriores abluuntur, ita spirituali gratiâ in lavacro regenerationis datâ mundantur interiora inquinamenta..... Item olei unctione figuratur operatio divinæ misericordiæ. Oleum enim sanat, reficit, et supernatat : Dei misericordia contritos sanat, contritiones alligat, esurientes pane indeficienti reficit et satiat, et judicio superexaltat. Hoc modo in Ecclesiasticis sacramentis Spiritu sancto cooperante ordinatis invisibiliter operatur gratia septiformis.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Cap.* 7. (*Justificationis causa*) instrumentalis, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua ulli unquam contigit justificatio.

EUSEB. Episc. Gallic. *de Epiph. et septem infant. Machab. Homil.* 3. *pag.* 624. *tom.* 2. *Biblioth. PP. Lugd.* Homo per aquam baptismi, licèt à foris idem esse videatur, intùs tunc alter efficitur ; cum peccato natus, sine peccato renascitur : prioribus perit, succedentibus proficit ; deterioribus exuitur, in melioribus innovatur : persona non contingitur, et natura mutatur : accessisse nil creditur, et tamen quod accessit fide tanquam mentis gustu ac sapore sentitur : homo præteritâ vilitate depositâ, novâ induitur dignitate : et illo amoris poculo, de quo dicitur, *Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est* (*Ps.* XXII. 5.) ! illo, inquam, poculo inebriata præcordia, per sapientiæ spiritalis vigorem, prægustant cœlestium suavitatem, ut mereantur audire, *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* (*Ps.* XXXIII. 9.)

S. LEON. *Serm.* 3. *in Passione Dom.* 14. *cap.* 6. Ipse est enim, cui..... renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renuntiatur Diabolo, et creditur Deo, dum in novitatem à vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, et cœlestis forma suscipitur : quædam species mortis et quædam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus à Christo, Christumque suscipiens, non idem si post lavacrum, qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati fiat caro crucifixi.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *cap.* 14. Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursùs justificari poterunt, cùm, excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his qui post baptismum in peccata labuntur Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* XX. 22. *et* 23.)

Sess. 14. *cap.* 2. Alius est baptismi, alius Pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes (*Gal.* III. 27.), nova prorsùs in illo efficimur creatura (2. *Cor.* V. 17.), plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes ; ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus : ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.

Cap. 8. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, *ex quo omnis nostra sufficientia est* (2. *Cor.* III. 5.), conformes efficimur, certissimamque indè arrham habentes, quòd si compatimur et glorificabimur. (*Rom.* VIII. 17.)

Ibid. cap. 1. Visum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea quæ sequuntur de sacramento extremæ unctionis : quòd non modò pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus..... Institula est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè et propriè sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum (*Marc.* VI. 13.), per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent*

§. 5. Quibus Dei Gratia concedatur.

I. Quibusnam gratia Dei conceditur ?

R. Variæ sunt ea de re Theologorum sententiæ. In tanta disputationum discrepantia definire quid certò tenendum sit non ita facile. Nobis omnem contentionis occasionem fugientibus ea breviter dicere sufficiet, quæ videntur esse certiora, nec posse à quoquam in dubium revocari.

1. *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, inquit Apostolus. (2. *Tim.* II. 4.)

2. Præter voluntatem generalem salvandi omnes, est in Deo voluntas efficax et specialis salvandi quosdam : quandoquidem re ipsâ non omnes veniunt ad cognitionem veritatis, *non enim omnium est fides* (2. *Thess.* III. 2.) (A), neque omnes salvantur ; nec dat Deus omnibus donum perseverantiæ, sine quo non pervenitur ad salutem.

3. Donum illud perseverantiæ cæterasque omnes gratias largitur Deus, cui vult et quomodo vult, pro suæ voluntatis beneplacito ; in manu enim ejus omnia sunt. Id tamen certum est gratiam à Deo nunquam denegari vel subtrahi, nisi in pœnam præcedentis alicujus peccati. (B)

4. Plures gratias largitur Deus fidelibus quàm infidelibus ; et inter ipsos fideles, alii plus, alii minùs accipiunt. (C)

I. Si Deus vult omnes homines salvos fieri, cur ergo non dat Deus æqualiter omnibus gratiam quâ salventur ?

R. In illa gratiarum inæquali distributione suam Deus vel justitiam exerit vel misericordiam. Rem explico.

Quamvis sit in Deo generalis sed sincera voluntas salvandi omnes, quam Theologi vocant voluntatem antecedentem, id est voluntatem quæ antecedit meritorum considerationem ; est tamen in Deo voluntas specialis, quæ peccatorum considerationem consequitur, ideoque consequens vocatur. (D) Hâc autem voluntate speciali et consequenti vult Deus punire nocentes et peccatores. Quemadmodum Rex vult quidem suos omnes subditos vivere voluntate antecedenti ; sed habitâ ratione boni publici vult voluntate consequenti reos capitalium criminum plecti morte. At nascimur omnes ipsâ origine peccatores : et æternæ damnationis reatu tenemur : dum ergo quosdam æternis Deus suppliciis addicit, sive infantes mortuos sine percepto baptismo, sive adultos post baptismum lapsos, justam retribuit pœnam merentibus. Aliis parcit misericors, eosque ineffabili benignitate extractos è massa corrupta vocat, justificat, et perseverantiâ finali donatos glorificat. Alios per justitiam susceptæ corruptioni relictos permittit in peccatis suis mori et damnari. (E)

super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, dimittentur ei..... (*Jac.* v. 14. *et* 15.) Nam unctio aptissimè Spiritûs sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.

I. Pro omnibus mortuus est Christus, inquit Apostolus (2. *Cor.* v. 15.), cur ergo ais multos non salvari?

R. Etsi pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium accipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur, inquit Concilium Tridentinum (*Sess.* 6. *Cap.* 3.), ut suprà notavimus; scilicet Parte primâ, Sectione secundâ, Capite primo, Paragrapho decimo nono hujus Operis. (F)

At beneficium mortis Christi non communicatur omnibus, exempli gratiâ, infantibus qui non suscepto regenerationis lavacro moriuntur. Pro illis tamen mortuus est Christus, et sanguinem suum fudit. Omnibus omninò providit Christus media ad salutem æternam sufficientia; nullus hominum excluditur à jure recipiendi Sacramenta, si ad ea accedat vel præsentetur. Sufficiens erat Christi sanguis ad redemptionem non solùm hominum sed etiam dæmonum: tamen non pro dæmonibus, sed pro hominibus mortuus est Christus; quia media nulla salutis destinavit dæmonibus, sicut hominibus (G), et quamvis dæmones credant, non eis applicantur merita Christi. * At stante morte Christi pro omnibus, verum est eos, qui non acceptâ peccatorum suorum remissione moriuntur, non salvari, qui salvati fuissent si placuisset Deo cum ipsis misericorditer agere. Hinc ait Apostolus, *stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna* (*Rom.* VI. 23.), et infrà, *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.* (*Rom.* VIII. 30.) Certum est ergo quosdam prædestinatos et electos, quosdam reprobatos. Quis autem sit ordo Decretorum Dei in mysteriis prædestinationis et reprobationis disputant in scholis Theologi. (H) Quæstiones ejusmodi non attingimus. Quæ diximus sufficiunt ad demonstrandum non omnes salvari, licèt pro omnibus mortuus sit Christus.

I. At si vitiata est æqualiter omnium origo, si nascuntur omnes peccatores, et massâ corruptionis originalis involuti; cur ergo Deus hujus miseretur non alterius?

R. O homo! tu quis es qui respondeas Deo, inquit Apostolus? (*Rom.* IX. 20.) Si unus est omnium reatus, non est ergo quod quæratur quisquam. Nemini debet Deus quidquam: Dominus est. Electio illa unius præ alio mysterium est omnibus impervium, quod nemini vel licet vel datur cogitatione assequi, cujus intuitu proni in adorationem clamare debemus cum Apostolo, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et*

* Jus nullum acquisivit ad remissionem peccatorum et salutem obtinendam dæmonibus, sicut acquisivit hominibus, et quamvis dæmones credant, non eis applicantur merita Christi. Cùm ex opposito, *Si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Ex S. Leon. Ser. 6. de Pass. Dom. 12. c. 3. *Vid. suprà Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 9. *litt.* (A)

investigabiles viæ ejus ! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit. (*Rom.* XI. 33. *et* 34.) (I)

I. Potestne gratia justificationis semel accepta amitti ?

R. Potest : et eheu ! quàm rarum est eam illibatam ad finem usque custodiri !

I. Potestne gratia hæc semel amissa recuperari ?

R. Potest. Sed ne quis propterea temerè sibi blandiatur. Sæpe enim accidit eam, ubi semel amissa est, non recuperari ; quia pauci pœnitentiam agunt ut par est. (K)

I. Quandonam gratia justificationis ab homine subtrahitur ?

R. Nunquam subtrahitur gratia justificationis, nisi peccatum mortale processerit ; nec Deus deserit quemquam per subtractionem gratiæ (*seu actualis seu habitualis*,) nisi priùs ab eo deseratur. (L)

I. Quid ex supradictis colligendum est ?

R. Consulendum eese propriæ saluti cum timore et tremore. (M) In solo Deo confidendum. Vacandum assiduè orationi et bonis est operibus. (N) Summo studio vigilandum ne negligentia vel peccatum quodvis subrepat. (O) Tandem gerendum esse animum sub potenti manu Dei planè demissum et humilitatum. (P)

I. Cur salutem operari oportet cum timore et tremore ?

R. Quia *Deus operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate*, inquit Apostolus (*Philip.* II. 13.) : et *nescit homo utrum amore an odio dignus sit*, inquit Salomon (*Eccle.* IX. 1.) ; nec donum perseverantiæ cuiquam debetur, ex Concilii Tridentini mente. *Sess.* 6. *c.* 12. *et* 13. *Vide litt.* (M) *et* (Q) *hocce* §.

I. Quid est donum perseverantiæ ?

R. Hoc nomine intelligitur gratia Dei hæc quâ fit ut quis in accepta justitia ad finem usque permaneat. Gratiam hanc largitur Deus omnibus qui sanctè moriuntur, nec aliis. (Q)

I. Quibusnam vulgò conceditur magnum illud perseverantiæ donum ?

R. Iis ut plurimùm qui jam sanctè vixerint ; rarò aliis : nec est quòd impii sibi de tanto miraculo blandiantur ; licèt enim potens sit Deus eum qui cecidit restituere, vix tamen ad se revocat eos qui de agenda pœnitentia non cogitant, nisi jam jam morituri. (R)

I. In summa, quid unumquemque nosse expedit eorum quæ ad tractatum de gratia pertinent ?

R. 1. Non posse sine gratia fieri quidquam quod ad salutem prosit. (S)

2. Stare gratiam cum libero hominis arbitrio.

3. Nemini unquam gratiam deberi, nisi ex gratuita Dei promissione, et jure nobis per merita, mortem et sanguinem Christi acquisito, et communicato per sacramenta.

4. Nunquam gratiam denegari petentibus ut par est.

5. Nostrum non esse altitudinem mysteriorum Dei curio-

siùs investigare, maximè quod spectat ad gratiam et prædestinationem.

6. Immò animum subjicientes in obsequium fidei, corde credere et ore profiteri debemus quidquid de gratia et prædestinatione et de cæteris quæstionibus ad eas quocunque modo attinentibus definivit Ecclesia. (T)

I. Quibus mediis nobis gratia confertur?

R. Sacramentis potissimùm et Oratione; hanc Sacramenta communicant, Oratio impetrat.

Ad Paginam 283. *lin.* 15.

(A) S. HILAR. *Tract. in Psal.* LXV. *n.* 14. Ab omni enim in peccatis morante, vultus Domini aversus est. Hæc namque indè mutabilis Dei significata conversio est: non quòd tanquam per naturam corporalem se quoquam aut avertat, aut referat: sed quòd par atque idem æqualiter semper manens, uniuscujusque auxilio pro meritorum diversitate aut desit, aut adsit. Ex persona enim peccatorum ita scriptum est: *Averte faciem tuam à peccatis eorum* (*Psal.* L. 11.); et iterùm, *Quare avertis faciem tuam et dexteram tuam* (*Ps.* LXXIII. 11.)? et rursùm, *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* (*Ps.* XXIX. 8.) Ubi autem justorum persona tractatur, hæc dicta sunt: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (*Ps.* XXXIII.) 16.): et iterùm, *oculi tui videant æquitates* (*Ps.* XVI. 2.): et deinceps, *Designatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* (*Ps.* IV. 7.) Ergo incorporalis, Deus misericordiæ suæ oculis, et tanquam ministerio famulantium Angelorum protegit gentes: et in omnes credentes donum se divinæ miserationis effundit.

S. AUG. *Epist.* 217. *aliàs* 107. *ad Vitalem cap.* 5. *n.* 16. *art.* 4. Scimus (gratiam) non omnibus dari... quod maximè apparet in parvulis.

Enarr. in Psal. CIV. *n.* 7. Ipsa enim dicta est terra promissionis, terra fluens lac et mel. Quod totum significat gratiam, in qua gustatur, quàm *suavis est Dominus*, ad quam non omnes homines pertinent.

Epist. Synod. EPISC. AFRICÆ *in Sard. exul. De gratia Dei et hom. arbitrio, inter opera* S. FULGENT. De gratia verò non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus dari hominibus: cùm non solùm non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit. Beatus autem Apostolus dicit, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante* (*Rom.* X. 14.)? Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei auditus minimè pervenisse. Ipsa verò gratia quibuscunque datur, non æqualiter datur, sed *secundùm mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV. 7.), *et unicuique sicut Dominus divisit mensuram fidei* (*Rom.* XII. 3.); qui non hominum personas accipit, *sed omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria singulis prout vult.* (1. *Cor.* XII. 11.)

Ven. BEDA *in Epist. ad Rom. cap.* 5. *pag.* 96. Sed cur, inquis, gratia Dei non secundùm merita hominum datur? Respondeo, quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inquis, non in omnibus? Et hic respondeo, quoniam Deus justus judex est. Ac per hoc et gratis ab eo datur gratia, et justo ejus in aliis judicio demonstratur, quid in eis, quibus datur, conferat gratia. Non itaque simus ingrati, quòd secundùm placitum voluntatis suæ in laudem gloriæ et gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de perditione tam debita, ut si indè neminem liberaret, non esset injustus. *Ex uno quippè omnes in condemnationem* (*Rom.* V. 16.) non injustam, judicati sunt filii iræ, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse iniquitas apud Deum invenitur.

S. BERN. Abbas *in Cant. Serm.* 73. *n.* 7. Verùm ibi (*supp.* loculi sumus) secundùm dispensationem quidem gratiæ, quæ in præsenti vita aliis datur, aliis non datur justo quidem Dei judicio, sed occulto. (*Serm.* 54.)

S. ANSELM. *Meditat.* 16. Quomodo illud quantæve bonitatis æstimabimus, quòd eo tempore et inter tales nasci voluit, per quos ad fidem suam et sacramenta pervenimus? Videmus innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod nobis gratulamur esse concessum, cum quibus una est et nobis conditio. Illi derelicti sunt per justitiam, nos vocati sumus per gratiam.

Vide etiam infrà hocce §. *litt.* (G)

Ad Paginam 283. *lin.* 20.

(B) *Hæc probavimus suprà* §. 3. *litt.* (F) *pag.* 184.

CONCIL. EPHES. œcum. III. *ann.* 431. 1. *part. cap.* 4. *pag.* 128. *Tom.* 3. *edit. Labb.* Christum ergo Deum esse non ignorat, qui per spiritum operetur ut Deus, quique cœlestia dona, quibuscunque et quomodocunque voluerit, tanquam naturæ Dominus non absque auctoritate distribuat.

S. CYRILL. Archiepisc. Alexand. *Comment. in Joan.* IV. *pag.* 177. Quòd autem è Judæorum regione prorsùs excedere, et ad alienigenas migrare præ se fert propter immanitatem persequentium, figuratè quodammodo interminari videtur, gratiæ jacturam penitùs facturos, et suum bonum, hoc est Christum in alios amandatum iri.

S. AUG. *In Psal.* XXX. *Enarr.* 3. *n.* 13. Quid igitur est, *In manibus tuis sortes meæ* (*v.* 16.)? Sortes dixit, quantùm ego existimo, gratiam quà salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Iste facit, iste non facit, merita considerantur; et ubi merita considerantur, electio est, non sors: quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors... Ait Apostolus Paulus (*Ephes.* II. 8.), *Gratiâ salvi facti estis per fidem: et hoc non ex vobis*, (Vide sortem) *et hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus*, (quasi vos benefeceritis, ut ad hoc accedere digni essetis,) *non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* (*Ibid.* 9. *et* 10.) Hæc quodam modo sors occulta est voluntas Dei; in humano genere sors est, sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas. (*Rom.* IX. 14.) Non enim ille personas accipit, sed occulta illius justitia tibi sors est.

Ad Paginam 283. *lin.* 22.

(C) 1. TIM. IV. 10. Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.

S. IRENÆUS *Lib.* 5. *advers. Hæres. cap.* 27. Si ergo adventus Filii super omnes quidem similiter advenit, judicialis est autem, et discretor credentium, et non credentium, quoniam ex sua sententia credentes faciunt ejus voluntatem, et ex sua sententia inobedientes non accedunt ad ejus doctrinam, manifestum quoniam et Pater ejus omnes quidem similiter fecit, propriam sententiam unumquemque habentem et sensum liberum, respicit autem omnia, et providet omnibus, solem suum oriri faciens super bonos et malos, et pluens super justos et injustos. (*Matth.* V. 45.)

Cap. 29. Ostendimus quoniam omnia pro eo qui salvatur homine facta sunt, illud quod est sui arbitrii, et suæ potestatis maturans ad immortalitatem, et aptabiliorem eum ad æternam subjectionem Deo præparans.

JOAN. HIEROS. *in Matth. cap.* 25. *pag.* 316. Manifestum est, quòd in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem uniuscujusque consideravit; ne supra virtutem opus injungens, ipse occasio offensionis existeret; et non esset reus qui peccavit, si supra virtutem pondus imposuisset.

S. ISID. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de gratia cap.* 5. Dum quisque aliquod donum accipit, non appetat amplius, quàm quod meruit: ne dum alterius membri officium arripere tentat, id quod meruit, perdat. Conturbat enim corporis ordinem totum, qui non suo contentus officio subripit alienum.

Vener. GUIBERT. Abbas *Lib. de Laud. B. Mar. pag.* 294. Gratia autem hoc totum (maternitatem divinam) licèt omnimodo virtutum ambitu id prosequeretur, fuit: quia nulla virtus, nullum exercitium, non cujuscunque meriti labor impensus, ad emerendam cuipiam feminæ Dei conceptionem sufficeret, nisi gratia, et hæc non modò ineffabilis, sed inexcogitabilis

omni præter Deum naturæ præiret... Secundùm propriam etenim cujusque virtutem, juxta Evangelium de talentis (*Matth.* XXV. 15.), fideique juxta Apostolum mensuram (*Rom.* XII. 3.), id est secundùm quod quemque capere possibile est, munificentia Dei est.

PETR. CELLENS. *lib. de Panib. cap.* 12. *De pane lugentium, pag.* 766. *Tom.* 23. *Bibl. PP. Lugd.* Dispertitur perinde ad mensuram nobis illa gratia quæ humanam exsuperat mensuram, non pro largientis aut largitionis parcitate, sed pro vasculi modicitate. Uter namque animæ fortè rumperetur, si incapabiliter gratia superfunderetur. Solet siquidem anima debilis non solùm rumpi superinfusione gratiæ, sed etiam liquefieri charitatis fornace. Benè autem fit animæ quæ sic infunditur, quia cum influente gratia, incipit fluere, immo ad bonitatis principium recursu jam familiari fluere.

RADULPH. FLAVIAC. *in Levitic. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 97. *Tom.* 17. *Bibl. PP. Lugd.* Moyses ergo in monte Deo secum loquente, suscepit legem : et populus per Moysen edoctus, in deserto Domino sacrificavit : sed et ille magna quæ intellexit, et iste minora quæ potuit, ex dono Conditoris accepit. Undè et mons et desertum Sinaï vocatur, quod interpretatur mensura mea : quoniam tam magnorum quàm pusillorum gratia, ad dantis taxatur arbitrium, teste Apostolo qui ait : *Unicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* (*Ephes.* IV. 7.)

Ad Paginam 283. *lin.* 32.

(D) S. JOAN. DAMASC. *de fide orthod. lib.* 2. *cap.* 29. Hoc itidem nosse oportet, Deum primariò et antecedente voluntate velle omnes salvos esse (1. *Tim.* II. 4.), et regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret, condidit ; sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ particípes essemus. Peccantes porrò puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas, antecedens dicitur et beneplacitum, cujus ipse causa sit ; secunda autem, consequens voluntas et permissio, ex nostra causa ortum habens ; eaque duplex : altera dispensatione quadam fit et ad salutem erudit ; altera à reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, pœnam pertinens. Atque hæc in illis quæ in nostra potestate non sunt. Eorum verò quæ in nobis sita sunt, bona quidem primariò Deus vult, et secundùm beneplacitum ; mala autem quæ reverà mala sunt, neque primariò, neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit.

S. THOM. *part.* 1. *quæst.* 19. *art.* 6. *in corp. et ad primum. Vide supra* §. 1. *lit.* (K)

Quæst. 23. *art.* 4. *Ad tertium* dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) Deus vult omnes homines salvos fieri antecedenter (quod non est simpliciter velle, sed secundùm quid) non autem consequenter, quod est simpliciter velle.

Ad Paginam 283. *lin.* 45.

(E) CONCIL. I. apud Carisiacum *anno Christi* 849. *pag.* 56. *Tom.* 8. *Concil. Edit. Labb. Capitul.* 1. *Quòd una tantùm sit prædestinatio Dei.* Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit et in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè utens peccavit et cecidit, et factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam : cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit : pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodò dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.

2. *Quòd liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur.* Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus ; quam per Christum Dominum nostrum recipimus : et habemus liberum arbitrium ad bonum, prævenlum et adjutum gratiâ ; et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratiâ : liberum autem habemus arbitrium, quia gratiâ liberatum, et gratiâ de corrupto sanatum.

3. *Quòd Deus omnes homines velit salvos fieri.* Deus omnipotens omnes

homines sine exceptione vult salvos fieri, licèt non omnes salventur. Quòd autem quidam salvantur, Salvantis est donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

CONCIL. SUESSION. II. *pag.* 98. Carolus indè ad Carisiacum veniens cum quibusdam Episcopis et Abbatibus monasticis, quatuor capita edidit et propriâ subscriptione roboravit.

Quorum primum est: A Deo neminem prædestinatum ad pœnam, namque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.

Secundum: Liberum arbitrium, quod in primo ordine (*homine*) perdidimus, nobis prævenientе et adjuvante Dei gratiâ, redditum.

Tertium: Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licèt non omnes salventur.

Quartum: Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur.

CONCIL. VALENT. III. *ann. Christi* 855. *Tom.* 8. *Concil. Edit. Labb. n.* 2. *pag.* 135. Deum præscire et præscisse æternaliter, et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII. 42.), fideliter tenemus, et placet tenere, bonos præscisse omninò per gratiam suam bonos futuros, et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, et per suam justitiam æternâ ultione damnandos: ut secundùm Psalmistam, *quia potestas Dei est, et Domini misericordia, ut reddat unicuique secundùm opera sua* (*Ps.* LXI. 13.): et sicut Apostolicæ doctrina se habet (*Rom.* II. 7. 8. *et* 9.): *His quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærant, vitam æternam: his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem sensu idem alibi (2. *Thessal.* I. 7. *et seq.*) *In revelatione*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cùm venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorsùs ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præsciit ex sua omnipotenti et incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos idèò perire, quia boni esse potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

N. 3. Sed et de prædestinatione Dei placuit, et fideliter placuit, juxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit (*Rom.* IX. 21.): *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi et statim subjungit (*Ibid.* 22. *et* 23.): *Quòd si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam:* fideliter fatemur prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perditorum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuitâ misericordiâ, vel justo judicio factus erat, secundùm Scripturam dicentem: *Qui fecit quæ futura sunt.* (*Isai.* XLV.) In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sanè malum meritum eorum sequentem, uti Deum qui omnia prospicit, præscivisse, et prædestinasse, quia justus est, apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum, *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.* (*Prov.* XIX. 29.) De hac immobilitate præscientiæ et prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiasten

benè intelligitur dictum : *Cognovi quòd omnia opera quæ facit Deus perseverent in perpetuum.* (*Eccle.* III. 14.) Non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse divinà potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.

Can. 5. Item firmissimè tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, et juxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata. in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta : quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio.... Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum, alios salvari æternâ salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes : *Qui perseveraverit usque in finem : hic salvus erit* (*Matth.* X. 22.) : alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potiùs irritam facere pravâ doctrinâ vel vitâ, quàm servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.

S. HILAR. *Comment. in Matth. cap.* 22. *n.* 6. Dono enim gratiæ vitæ anterioris crimina omittuntur. Vocari deindè omnes sine aliqua exceptione ad nuptias jubet, et mali simul cum bonis veniunt. Vocatio quidem bonos efficere debuerat, quia sancta est, et ex optimo affectu invitantis profecta est : sed per vitium inemendatæ voluntatis discrimen est vocatorum.

N. 7. Multi vocati sunt, et pauci electi. Non est igitur paucitas in invitatis, sed raritas in electis : quia in invitante sine exceptione publicæ bonitatis humanitas est ; in invitatis verò de judicii merito probitatis electio est.

S. AMBROS. *Exposit. Evang. sec. Luc. lib.* 7. *n.* 27. Simul disce quia recipi noluit (Christus) ab his, quos sciebat non simplici mente conversos; nam si voluisset, ex indevotis devotos fecisset... Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant : sed Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit.

N. 32. Dominus quos miseretur, etiam imprudentes advocat.

S. HIERON. *Comment. in Ecclesiast. cap.* VI. *pag.* 753. Denique et Paulus ei, qui plus quàm homo scire poterat, requirebat, dicens (*Rom.* IX. 19.) : *Quid adhuc queritur ? voluntati enim ejus quis resistit ?* Respondit : *O homo tu quis es qui respondeas Deo*, et cætera. Si enim causas quæstionis ille qui interrogans introducitur, audisset ab Apostolo, stupore forsitan torpuisset, et gratiam sensisset inutilem. Quia est et donum, juxta eumdem Apostolum, quod non prosit ei cui datum est.

Lib. 1. *in Epist. ad Ephes. cap.* 1. *pag.* 331. *Prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* (*Ephes.* I. 11.) Prædestinatio et propositum simul posita sint, juxta quæ operatur omnia Deus secundùm consilium voluntatis suæ. Non quò omnia quæ in mundo fiant, Dei voluntate et consilio peragantur : alioquin et mala Deo potuerunt imputari : sed quò universa quæ facit, consilio faciat et voluntate, quòd scilicet et ratione plena sint et potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio : sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia quæ voluerit faciat. Vult autem ea quæcunque sunt plena rationis atque consilii : *vult salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire.* (1. *Tim.* II. 4.) Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur, (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle : ut cùm voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.

S. AUG. *Epist.* 190. *aliàs* 157. *ad Optatum, cap.* 3. *n.* 9. Meritò autem videretur injustum, quòd fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quòd ergo fiunt indè nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam. Quòd autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.

N. 10. Ostendit et potentiam suam, quâ benè etiam utitur malis, multa illis naturalia et temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos et comparatione admonendos bonos accomodans, ut in eis discant agere gratias Deo, quòd ab eis, non suis meritis, quæ in eadem massa

paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Quod maximè apparet in parvulis, de quibus, cùm per Christi gratiam renascuntur, et istam vitam in illa tenera ætate finientes in æternam transeunt et beatam, dici non potest quòd libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur.

N. 11. Si autem hi soli crearentur ex Adam, qui essent per gratiam recreandi, et præter illos, qui in Dei filios adoptantur... Cùm verò attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, non solùm ostendit iram et demonstravit potentiam suam redhibendo vindictam, et benè utendo non nobis, sed etiam notas fecit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid præstetur sibi discit gratis justificatus, dum non suo merito, sed gloriâ largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnato, cum quo eàdem justitiâ fuerat et ipse damnandus.

Epist. 194. *alias* 105. *ad Sixtum cap* 2. *n.* 4. Quòd autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis, *cujus vult miseretur* (*Rom.* IX. 18.), et quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit: parum attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur: atque ibi potiùs acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis et offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuitâ bonitate donata.

N. 5. *Sed injustum est, inquiunt, in una eademque mala causa hunc liberari, illum puniri.* Nempe ergo justum est utrumque puniri: quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratiâ largiretur. Ut ergo in hac difficillima quæstione verbis potiùs utamur Apostoli (*Ibid.* 22. *et* 23.): *volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ: cui non potest figmentum dicere, Quare sic me fecisti* (*Ibid.* 20.)? cùm habeat potestatem *ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* (*Ibid.* 21.) Ubi quia universa ista massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit justitiâ, honorem donat indebitum gratiâ, non meriti prærogativâ, non fati necessitate, non temeritate fortunæ; sed altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans, *ô altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus?* (*Rom.* XI. 33.)

Cap. 3. *n.* 6. Quæ igitur sua merita jactaturus est liberatus, cùm si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt planè, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cùm justificati sunt: sed sicut dicit Apostolus, *justificati gratis per gratiam ipsius.* (*Rom.* III. 24.)

N. 14. Quærimus namque meritum obdurationis, et invenimus. Meritò namque peccati universa massa damnata est: nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potiùs ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus; quia nullum est, ne gratia evacuetur si non gratis donatur, sed meritis redditur.

N. 23. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, utique meritò reclèque damnata (*Rom.* IX. 21.), *facere aliud vas in honorem* indebitum propter misericordiæ gratiam, *aliud in contumeliam* debitam propter iræ justitiam, et *ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* (*Ibid.* 23.), sic ostendens quid eis largiatur, cùm id supplicium recipient vasa iræ quod pariter omnibus debebatur. Satis sit interim Christiano ex fide adhuc vivenli, et nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, nosse vel credere quòd neminem Deus liberet nisi gratuitâ misericordiâ per Dominum nostrum Jesum Christum, et neminem damnet nisi æquissimâ veritate per eumdem Dominum nos-

trum Jesum Christum. Cur autem illum potiùs quàm illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium. *Nunquid enim est iniquitas apud Deum? Absit.* (*Ibid.* 14.) *Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.* (*Rom.* XI. 33.)

In Joann. Evang. cap. 15. *Tractat.* 86. *n.* 2. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego vos elegi.* (*Joan.* XV. 16.) Hæc est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, et ideò non diligebamus... Quid ergo eramus, nisi iniqui et perditi? Neque enim jam credideramus in eum, ut eligeret nos: nam si jam credentes elegit, electus elegit. Cur ergo dicerat, *Non vos me elegistis*, nisi quia *misericordia ejus prævenit* nos (*Ps.* LVIII. 11.)? Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, et ideò dicunt nos electos ante mundi constitutionem (*Ephes.* I. 4.), quia præscivit nos Deus futuros bonos, non seipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit, *non vos me elegistis.* Quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præscieverat; simul etiam præscisset quòd eum nos fuissemus priùs electuri. Non enim aliter esse possumus boni: nisi fortè dicendus est bonus qui non elegit bonum. Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni non essent nisi electi essent. *Alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI. 6.), si præcessisse contendimus merita. Hæc quippè electio gratiæ est, de qua dicit Apostolus, sic ergo *et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* (*Ibid.* 5.) Undè subjungit, *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* (*Ibid.* 6.) Audi ingrate; ingrate audi: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non est ut dicas, Ideò electus sum, quia jam credebam. Si enim credebas in eum, jam elegeras eum. Sed audi: *non vos me elegistis.* Non est ut dicas, Antequam crederem, jam bona operabar, ideò electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cùm dicat Apostolus, *omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV. 23.)? Quid ergo dicturi sumus audiendo, *non vos me elegistis:* nisi quia mali eramus, et electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesserant merita: est autem gratia: hæc igitur non invenit, sed effecit merita.

N. 3. Et videte, Charissimi, quemadmodum non eligat bonos, sed quos eligit, faciat bonos. *Ego*, inquit, *elegi et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* (*Joan.* XV. 6.) Nonne iste est fructus de quo jam dixerat, *sine me nihil potestis facere* (*ibid.* 5.)? Elegit ergo, et posuit ut eamus, et fructum afferamus: nullum itaque fructum undè nos eligeret habebamus. *Ut eatis*, inquit, *et fructum afferatis.* Imus ut afferamus, et ipse est via quà imus, in qua nos posuit ut eamus. Proindè in omnibus misericordia ejus prævenit nos.

Enchir. de Fide, Spe et Charitate, c. 36. *n.* 11. Hic omninò granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est cùm singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei Filius: et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo susceplo *caro factum est* (*Joan.* I. 14.), utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. Undè naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola Dei gratia fideliter et sobriè considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum.

Cap. 94. *n.* 24. Remanentibus itaque Angelis et hominibus reprobis in æterna pœna; tunc sancti scient plenius quid boni eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis evidentiùs apparebit quod in Psalmo scriptum est, *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine* (*Psal.* C. 1.); quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, et nisi per debitum judicium nemo damnatur.

Cap. 95. Tunc non latebit quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus, in quo, is qui assumeretur, agnosceret quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret, cur ille potiùs quàm iste fuerit assumptus, cùm causa una esset ambobus: cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam, et factæ sint apud eos qui non fuerant crediturі. Apertissimè namque Dominus dicit (*Matth.* XI. 21.), *Væ tibi Corozaïn, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Nec utique Deus injustè noluit salvos fieri, cùm possent salvi esse, si vellent. Tunc in clarissima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequàm manifestà cognitione videatur, quàm certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei: quàm multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit: quàmque sit verum quod in Psalmo canitur, *Deus autem noster in cœlo sursùm, in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit fecit.* (*Ps.* CXIII. 3.) Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit; et quod est indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.

Cap. 96. Nec dubitandum est Deum facere benè, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi justo judicio sinit: et profectò bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantùm mala sunt, non sint bona: tamen ut non solùm bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono: cui procul dubio quàm facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, quà nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

Cap. 97. Quamobrem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum, quia et hoc verissimè Apostolus dixit (1. *Tim.* II. *h.*), *Qui omnes homines vult salvos fieri.* Cùm enim non omnes, sed multò plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humanâ scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem dici de parvulis non potest quorum nondum est velle, seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati judicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cùm resistunt quantùm possunt; etiam nolentes eos salvos fieri diceremus. Sed apertiùs Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem; *Quoties*, inquit, *volui colligere filios tuos sicut gallina pullos suos, et noluisti* (*Matth.* XXIII. 37.)? tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia, quà in cœlo et in terra *omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII. 3.), si colligere filios Jerusalem voluit et non fecit? An potiùs illa quidem filios ab ipso colligi noluit, sed eà quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit? *quia in cœlo et in terra*, non quædam voluit et fecit, quædam verò voluit et non fecit, *sed omnia quæcunque voluit fecit.*

Cap. 98. *n.* 25. Quis porrò tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit: cùm autem non facit, per judicium non facit. Quoniam *cujus vult miseretur*, *et quem vult obdurat....* (*Rom.* IX. 18.) Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno? Denique infert, et dicit, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX. 16.) Ambo itaque gemini *naturâ filii iræ* (*Ephes.* II. 3.) nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, *Miserebor cujus misertus ero* (*Rom.* IX. 15.); Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esaũ autem odio habuit per judicium debitum. (*Ibid.* 13.)

Quod cùm deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quòd in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate, *quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Altissimo quippe ac saluberrimo sacramento universa facies atque (ut ita dixerim) vultus sanctarum Scripturarum, benè intuentes id admonere invenitur, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur...* (2. *Cor.* x. 17.) Ergo, inquit, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* (*Rom.* ix. 18.) Miseretur scilicet magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate : ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis.

Lib. de Patient. cap. 19. *n.* 16. Ne sibi amplius arrogarent, quàm eorum mensura poscebat, et hoc quòd eos non esse dixit ex mundo, naturæ putarent esse, non gratiæ : *Quia verò* (*inquit*), *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* (*Joan.* xv. 19.) Ergo de mundo erant : nam ut de mundo non essent, electi sunt de mundo.

Cap. 20. *n.* 17. Hanc autem electionem non præcedentium in bonis operibus meritorum, sed electionem gratiæ demonstrans Apostolus, sic inquit : *Et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* xi. 5. *et* 6.) Hæc est electio gratiæ, id est, electio quâ per Dei gratiam homines eliguntur. Hæc est, inquam, electio gratiæ, quâ omnia bona merita præveniuntur humana. Si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur; ubi *merces*, sicut idem dicit Apostolus (*Rom.* iv. 4.), *non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Si autem ut vera sit gratia, id est, gratuita, nihil invenit in homine, cui meritò debeatur; quod benè intelligitur et in eo quod dictum est, *Pro nihilo salvos facies eos* (*Psal.* lv. 8.); profectò ipsa dat merita, non meritis datur. Prævenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt *Justus enim*, sicut scriptum est (*Habac.* ii. 4.), *ex fide vivit.* Porrò autem gratia non solùm adjuvat justum, verùm etiam justificat impium. Et ideò etiam cùm adjuvat justum, et videtur ejus meritis reddi, nec sic desinit esse gratia; quoniam id adjuvat quod ipsa est largita. Propter hanc itaque gratiam quæ cuncta bona merita humana præcedit, non solùm Christus ab impiis occisus est, verùm etiam *pro impiis mortuus est.* (*Rom.* v. 6.) Et antequàm moreretur, non utique justos, sed justificandos elegit Apostolos, quibus ait, *Ego vos de mundo elegi.* (*Joan.* xv. 19.)

De Civ. Dei, lib. 13. *c.* 27. *n.* 2. Ex illo enim (*Adamo*) futuri erant homines, alii malis Angelis in supplicio, alii bonis in præmio sociandi, quamvis occulto Dei judicio, sed tamen justo. Cùm enim scriptum sit (*Ps.* xxiv. 10.) *universæ viæ Domini, misericordia et veritas:* nec injusta ejus gratia, nec crudelis potest esse justitia.

Lib. 15. *cap.* 21. Adam, ex cujus origine damnata, veluti massa una meritæ damnationi tradita, fecit Deus alia in contumeliam vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ (*Rom.* ix. 22.); illis reddens quod debetur in pœna, istis donans quod non debetur in gratia : ut ex ipsa etiam comparatione vasorum iræ, superna civitas discat, quæ peregrinatur in terris, non fidere libertate arbitrii sui, sed speret invocare nomen Domini Dei. Quoniam voluntas, in natura quæ facta est bona à Deo bono, sed mutabilis ab immutabili, quia ex nihilo, et à bono potest declinare, ut faciat malum, quod fit libero arbitrio; et à malo, ut faciat bonum, quod non fit sine divino adjutorio.

De Trinit. lib. 13. *cap.* 16. *n.* 20. *Quos autem prædestinavit, illos et vocavit; et quos vocavit, illos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit.* (*Rom.* viii. 29. *et* 30.) Horum prædestinatorum nemo cum diabolo peribit, nemo usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit.

Epist. Synod. Episc. Africæ *in Sardin. exul. de gratia Dei et hum. arbitr. inter opera* S. Fulgentii. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate et conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis imple-

tur; quia potestas ejus nullatenùs vincitur. Ipse est enim qui « omnia » quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus » abyssis » (*Ps.* CXIII. 11. *Ps.* CXXXIV. 6.), et cujus voluntati nemo resistit. Verum namque est, quod de se testatus est Filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis exspectat; sed ipsam voluntatem bona faciendo vivificat. (*Joan.* VI. 64.) Hoc in majoribus. Parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione salvari. Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum, nunc in filiis Dei propriâ quidem infirmitate concutitur, sed majore divini muneris gratiâ sublevatur.

S. GREG. *Moral. lib.* 33. *in cap.* 41. *Beat. Job, cap.* 21. *n.* 38. *Quis enim resistere potest vultui meo? et quis ante dedit mihi, ut reddam ei* (*v.* 1. *et* 2.)? Quibus duobus versibus et virtutem suæ potentiæ, et omne pondus rationis explevit. Nam propter potentiam dixit: *Quis enim resistere potest vultui meo?* Et propter rationem subdidit: *Quis antè dedit mihi, ut reddam ei?* ac si diceret: Non eum quasi crudelis suscito; quia de ejus fortitudine et electos meos potenter eripio, et rursùm reprobos non injustè, sed rationabiliter damno: id est, et eos quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum; et eos quos respuo, non injustè derelinquo. Nemo quippè ut divina illum gratia subsequatur, priùs aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum benè operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait: *Misericordia ejus prævenit me* (*Ps.* LVIII. 11.)? Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Apostolus dicit (*Ephes.* II. 8.): *Gratiâ salvati estis per fidem: et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus?* Si nostra dilectio Deum prævenit, ubi est quod Joannes Apostolus dicit: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos* (1. *Joan.* IV. 10.)? Ubi est quod per Osee Dominus dicit: *Diligam eos spontaneè* (*Osee* XIV. 5.)? Si sine ejus munere nostrâ virtute Deum sequimur; ubi est quod per Evangelium, veritas protestatur, dicens: *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV. 5.)? Ubi est quod ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI. 44.)? Ubi est quod iterùm dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV. 16.)? Si saltem dona bonorum operum virtute nostrâ benè cogitando prævenimus, ubi est quod rursùm per Paulum tam salubriter dicitur, ut omnis de se humanæ mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cùm dicit (2. *Cor.* III. 5.): « non quia sufficientes simus aliquid cogitare » à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Nemo ergo Deum meritis prævenit, ut tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo æquus omnibus Conditor, et quosdam prælegit, et quosdam in suis pravis moribus justè derelinquit.

N. 39. Nec tamen electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit: nec rursùm in reprobis justitiam sine misericordia exercet, quia hic æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo et electi prævenientem se gratiam sequuntur, et reprobi juxta quod merentur accipiunt: et de misericordia inveniunt electi quod laudent, et de justitia non habent reprobi quod accusent. Benè itaque dicitur: *Quis antè dedit mihi, ut reddam ei?* ac si apertè diceretur: Ad parcendum reprobis nullâ ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcircò enim nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt: quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cùm eorum mens à terrenis desideriis gratiâ adspirante suspenditur.

Ven. BEDÆ Presbyt. *Quæst.* 13. *de libero arbitrio.* Dei... prædestinatio. est divinæ gratiæ appositio. Sed cùm post primi parentis lapsum totus orbis esset servus peccati, venit Dominus nos pristino restituens gradui, reddens arbitrium patris mei liberum sicut priùs à vi extranea, sed novâ debilitate propriâ, ut nemo sit qui de se præsumat, sed in solo Deo semper confidat. Sed huic libero arbitrio videtur contrarium, quòd Dominus ab æterno sanctis ejus vitam æternam prædestinavit, et similiter causam vitæ æternæ meritum sanctis ejus prædestinavit, reprobis autem mortem æternam: sed non mortis æternæ causam, quia nulli Deus peccata sua prædestinavit. Non est enim in Dei dispositione quomodo peccator

peccet, sed tamen cùm sciat eum peccaturum, mortem ei præordinat ut verus judex. Si autem præordinat et prædestinat vitam bono, et mortem malo, videtur vim inferre libero arbitrio: quia cùm prædestinatio sua falli non possit, necesse est ut malus sit, quem prædestinavit ad mortem: et bonus sit, quem prædestinavit ad vitam. Et si necesse est hunc esse bonum, et illum malum, periit ergo liberum arbitrium, quod necessitatem cogitur. Quòd si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate, non est culpandus ille, qui velit nolit, peccat: neque laudandus, qui velit nolit, bene agit; sed laus et culpa soli cogenti est imputanda. Cur ergo pœna malis, gloria justis? Non est itaque præmium, quòd justi remunerantur, sed sola Dei gratia: non est vindicta, quòd injusti puniuntur; sed injuria, quod absit; Prædestinatio enim Dei nullâ vi cogit nos ad bonum vel ad malum, sed Deus *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I. 17.), ab æterno ea quæ sunt futura nobis in conspectu suo præsentia habuit, et quales nos aut ex nostra pravitate, aut ex justitia sibi tales præsentavit, ut præsentes dijudicavit. Quæ enim sunt apud nos præterita vel futura, à conspectu Dei nunquam transeunt, sed semper præsentia sunt. Undè et Dominus in Evangelio dicit: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* (*Matth.* XXIV. 35.) Si autem verba quæ apud nos in momento transeunt, apud Deum semper manent, quis dubitet quin in conspectu Dei sunt permanentia, quæ apud nos sunt transitoria? Si ergo in conspectu ejus semper fuimus, et præsentialiter nos videt, quales aut ex ipso futuri essemus in bonum, aut non ex ipso, sed ex nobis futuri essemus in malum non inconveniens fecit, si enim diversa videns merita, diversa etiam nobis retribuet præmia. Pravitas nostra ab æterno mala in conspectu Dei ex sua nequitia præsentavit, Deus illam ad mortem destinavit. Quid ergo? coëgit nos Deus ut mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potiùs nos coëgimus eum, ut nos malos videret. Verbi gratia, si video jacere aliquem, necesse est ut ille jaceat, quem jacere video, aut falsum est quòd ego eum jacere video. Illa ergo necessitas à jacente est, aut à vidente? Utique non à vidente infertur necessitas ut jaceat, sed ab ipso qui se deposuit ut jaceret. Deus igitur cui nihil est aut futurum aut præteritum, nos sibi præsentes semper malos esse videt, non ut justis ille necessitatem inferret pravitatis, sed quia pravitas illa latere nequit præsentiam judicis... Judas autem Judæos jam de traditione convenerat, solus Petrus cùm de negatione audisset, se non negaturum jurabat; sed tamen ex verbis Domini magis coactus est Petrus, ut faceret quod nolebat, quàm Judas ut perficeret quod volebat... Sicut ergo prædestinatio ad mortem non cogit malos ut pereant, sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos ut salventur. Sed cùm Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis et precibus nostris obtineatur. Nonne enim Dominus Abrahæ dixit, *In Isaac vocabitur tibi semen.* (*Gen.* XXI. 12.) Sed licèt in Isaac promisisset Dominus fecunditatem seminis, tamen uxor illius Isaac fuit sterilis. *Oravit Isaac, et dedit Dominus conceptum Rebeccæ.* (*Gen.* XXV. 21.) Si ergo promisit Deus fecunditatem, et dedit sterilitatem; Isaac autem oravit: quid aliud est, nisi quòd oratio prædestinationem obtinuit? Undè colligi potest, quia ita Deus nobis bona sua promittit, ut tamen labore nostro acquirantur. Quòd si voluerimus, ad laborem in omnibus quæ benè agemus, nobis cooperabitur.

B. LUPI Abbat. Ferrariens. *Epist.* 128. *ad Dom. Regem, pag.* 42. *Tom.* 15. *BB. PP. Lugd.* Cùm sciret (Deus) in Adam massam totius humani generis peccato corrumpendam, non abstinuit ab ea bonum suæ creationis, benè usurus etiam malis: et ante constitutionem mundi elegit ex ea quos à debita pœna per gratiam liberaret, ut ait Apostolus (*Ephes.* I. 4.), *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Cæteros autem, quibus non hanc gratiam misericordia impendit, in damnatione, quam ipsi peccando meruerant, justo judicio dereliquit: et hoc modo, ut docet Apostolus, *cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* (*Rom.* IX. 18.) Miseretur eorum quos assumit per gratiam, indurat illos quos per eamdem gratiam non emollit, sed quamvis occulto, justo tamen judicio derelinquit. Hi ergo quorum miseretur, prædestinati sunt ad gloriam, secundùm illud Apostoli (*Rom.* VIII. 29.), *quos præscivit et prædestinavit*, et appellantur

vasa in honorem. (*Rom.* IX. 23.) Hi debent Deo totum quod sunt, et quod habent; siquidem ejus bonitate facti sunt, cùm non essent; ejus benignitate facti sunt, cùm perditi essent. Illi verò quos indurat, hoc est, non emollit, qui in damnatione relinquuntur, quam originaliter vel actualiter meruerunt, dicuntur *vasa* in contumeliam, perfecta vel *apta in interitum.* (*Ibid.* 22.) Hi quòd creantur, Dei donum est; quòd puniuntur, malum ipsorum. Hos beatus Augustinus in multis libris, et in eo quem fecit ultimum, non dubitat dicere prædestinatos ad pœnam: non intelligens fatalem perditorum necessitatem, sed immutabilem relictorum desertionem. Legebat enim de Deo, *si concluserit hominem, nullus est qui aperiat* (*Job.* XII. 14.); itemque, *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit* (*Eccle.* VII. 14.); illud etiam, *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* (*Ps.* LXXX. 13.)

D. BRUNON. *Exposit. in Epist. ad Roman.* IX. *pag.* 54. Ego *dilexi Jacob* (*v.* 14.), et pro hoc præcipuè elegi eum. *Esaü autem* quia *odio habui*, reprobavi. Odium enim Dei nihil aliud est, quàm ex æquitate gratiam subtrahere. Convenienter sicut de præcedenti testimonium posuit, ut præcessisse merita eorum excluderet, ita et de sequenti testimonium posuit, ut ostendat sequens meritum Jacob insufficiens fuisse, et penitùs per se indignum fuisse gratiâ Dei: et ideò constare quòd per misericordiam electus sit, ut etiam ostenderet quòd Esaü justè negata sit gratia, quia non esset cooperaturus gratiæ... Deus autem sic unum per misericordiam eligit, sicuti alterum per justitiam reprobat: ut tamen voluntariam facultatem in eis non destruat; quia etsi multos in hoc seculo sanctos multiplici munivit gratiâ, non tamen coëgit eos ut ex necessitate bonum agerent, nec ad malum si vellent declinare possent, sed adjuvit per gratiam, quia vidit eos gratiæ cooperaturos. E contrariò non ita Judæ subtraxit gratiam, ut gratiâ subtractâ impelleret eum, vellet nollet, operari iniquitatem: sed ut appareret, quid per se posset iniquitas. Si enim gratia data vel negata compellens esset ac necessaria, jam non esset relictum homini meritum salvationis vel damnationis... Moïsi non dixit Deus: * Ejus *cujus miserear* in præscientia, *miserebor* in justificatione: *Et cujus miserebor* in justificatione, *illi præstabo misericordiam* in salvatione. (*Exod.* XXXIII. 19.) Hic satis ostendit omnia esse ex misericordia, quia præscientia, justificatio, salvatio, omnia fluunt à fonte misericordiæ... Quandoquidem Deus ex voluntate elegit Jacob, et ex voluntate reprobat Esaü. Ergo palàm est, quòd *Deus miseretur cujus vult* (*Rom.* IX. 18.), quia videt eum cooperaturum gratiæ; et *indurat quem vult*, quia videt eum non idoneum gratiæ. Indurare Dei, est gratiam non accommodare. Quia dixi Deum misereri huic, et indurare hunc ex voluntate. Itaque dicis, et objicis mihi: Quid adhuc queritur à nobis ut benè agere non possumus? vel ita: Quid adhuc queritur, id est, conqueritur Deus de nobis, si offendimus, cùm indurati non offendere non possumus? Non est undè queratur. Vel, Quid à nobis requirat: quia *quis potest resistere voluntati ejus* (*Ibid.* 19.)? Ubi nos indurat, videtur non velle nos benè agere, cujus voluntatem impossibile est mutari. Paulus hæc omnia ideò dicit, quia videbat Romanos in sapientia mundi nimiùm gloriari, et ad hujusmodi quæstiones supra modum insistere: ideò ut magis reprimat eos, sic totum attribuit gratiæ Dei, ut nihil videatur relinquere libertati arbitrii. Quod tamen satis commodè intelligitur, quia nec ipsum initium bonum volendi ex nobis solùm esse potest, si non inspiret gratia Dei.

In cap. XI. Hoc inquam *in tempore gratiæ salvæ factæ sunt reliquiæ* (*v.* 5.), id est, illi quos Deus sibi reliquit, idoneosque salvationi præscivit. Reliquiæ salvæ factæ sunt, et hoc *secundùm electionem* Dei, ab æterno prævisam: quæ electio non fuit propter merita, sed fuit gratiæ: quia et per gratiam elegit, et per gratiam salvavit. Si autem hæc electio est *per gratiam* (*v.* 6.), jam constat quòd non est ex *operibus* promerentibus illam: *alioquin* si propter opera eligerentur, jam illud quod vocatur *gratia, non esset* pura *gratia*, sed meritum.

S. BERN. Abbatis *Epist.* 107. *n.* 1. Sic unici Filii Spiritus testimonium perhibet Spiritui nostro, quod Filii Dei sumus et nos, cùm suscitans ex operibus mortuis largitur opera vitæ. Non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona, malave dignoscitur. Denique *à fructibus*, ait,

cognoscetis eos. (*Matth.* VII. 16.) Opera ergo, et non verba discernunt inter filios Dei et filios diffidentiæ.

N. 4. Qui sunt hi? Utique *quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* (*Rom.* VIII. 29.) Magnum secretumque innotuit consilium. Novit Dominus qui sunt ejus: sed quod notum erat Dei, manifestatum est hominibus. Nec alios sanè dignatur tanti participatione mysterii, nisi eos ipsos, quos suos præscivit et prædestinavit. Nam *quos prædestinavit, hos et vocavit.* (*Ibid.* 30.) Quis enim sanè, nisi vocatus, ad Dei accedat consilium? *Quos* autem *vocavit, hos et justificavit...* (*Ibid.*) Si tamen jam fidenter Deo dicere potest: *Particeps ego sum omnium timentium te* (*Ps.* CXVIII. 63.); vides quia præcedit timor, ut sequatur justificatio? Forsitan ergo timore vocamur, amore justificamur. Denique *justus ex fide vivit* (*Rom.* I. 17.), illà proculdubio quæ operatur ex dilectione.

N. 5. Audiat itaque in sui vocatione peccator quod timeat: et sic accedens ad solem justitiæ, videat illuminatus quod diligat. Quiddam est illud? *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum.* (*Psal.* CII. 17.) Ab æterno propter prædestinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciens finem. Siquidem quos ab æterno prædestinat, in æternum beatificat, intercedente sanè mediâ vocatione unâ cum justificatione, duntaxat in adultis.

N. 7. Agnosce consilium Dei in justificatione tui: confitere et dic, *consilium meum justificationes tuæ.* (*Ps.* CXVIII. 24.) Præsens namque justificatio tui, et divini est consilii revelatio, et quædam ad futuram gloriam præparatio: aut certè prædestinatio ipsa potiùs præparatio est, justificatio autem magis jam appropinquatio.

N. 8. Nemo itaque se amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit, inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus spiritum, habes et testem fidelem Jesum, et hunc crucifixum. O geminum, ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, et meretur amari: spiritus afficit, et facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste et dat. In illo cernimus quod amemus: ab isto sumimus undè amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Quanta confusio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem! Quod quidem facilè contingit, si desit Spiritus. Nunc autem quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V. 5.); amati amamus, amantes ampliùs meremur amari. *Si enim cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* (*Ibid.* 10.)

Domin. 1. *Novemb. serm.* 4. *de verb. Isaiæ Proph. n.* 4. Initium meum solius gratiæ est, et non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam, sive vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis alienus sum: operatur et illud gratia, sed planè mecum. Videsne quemadmodum Seraphim in medio apparcat aliquatenus? Porrò consummatio quidem et ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator. Velat itaque Seraphim caput suum duabus pennis, et si veraciter cognoverit, et humiliter fateatur, quia misericordia eum sola prævenerit. Velat et pedes alis æquè duabus, si misericordiæ quoque, quæ subsecutura est, nec ignarus exstiterit, nec ingratus.

Serm. 4. *de Diversis, n.* 5. Qui *natus est ex Deo non peccat, quia generatio cœlestis servat eum.* (1. *Joan.* V. 18.) Generatio cœlestis est æterna prædestinatio; quâ Deus prævidit nos *conformes fieri imagini filii sui.* (*Rom.* VIII. 29.) Ex his nullus peccat, id est in peccato perseverat: quia novit Dominus qui sunt ejus, et propositum Dei manet immobile. Etsi horrendorum criminum notâ David inuritur, etsi Maria Magdalene septem dæmoniis cumulatur, etsi princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur: non est tamen qui de manu Dei possit eruere. *Quis enim prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit.* (*Ibid.* 30.)

In Cant. Serm. 14. *n.* 3. Quòd si murmuret homo, cui de bonitate oculus

nequam est: Domine responde pro me, *de vultu tuo judicium meum prodeat* (*Ps.* XVI. 2.), et non de supercilio Israël. Immò responde pro te, et dic calumniatori (tibi quippe calumniatur, quòd tribuas gratis:) Dic proinde illi: *volo, et huic novissimo dare similiter.* (*Matth.* XX. 14.) Displicet Pharisæo. Quid mussitas? Jus meum, voluntas est judicis. Quid justius ad meritum, quid ad præmium ditius? An non licet ei quod vult facere? Mihi quidem misericordia, sed tibi minimè injuria fit. *Tolle quod tuum est, et vade.* (*Ibid.*) Si decreverit salvare et me, quid tu perdis?

N. 4. Exaggera quantumvis merita, et extolle sudores: *melior est misericordia* Domini *super vitas.* (*Ps.* LXII. 4.) Fateor; non sustinui pondus diei et æstûs: sed jugum suave et onus leve pro beneplacito Patris-familias porto. Opus meum vix unius est horæ: et si plus, præ amore non sentio. Judæus proprias exercitet vires: mihi probare libet, *quæ sit voluntas Domini bona, et beneplacens, et perfecta.* (*Rom.* XII. 2.) Ex ea sanè operis ac temporis damna mihi resarcio. Ille pacto conventionis, ego placito voluntatis innitor; credo, et non ad insipientiam mihi: nam *vita in voluntate ejus.* (*Ps.* XXIX. 6.) Illa mihi reconciliat Patrem, illa hæreditatem restituit, etiam cumulatiori gratiâ.

Serm. 78. *n.* 3. Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostræ salutis tria esse quædam, quæ sibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis omnes auxiliatores et cooperatores suos, Prædestinationem, Creationem, Inspirationem. Quarum prædestinatio, non dico ab exortu Ecclesiæ, sed ne à mundi principio quidem principium habuit, non denique à tempore illo vel illo: ante tempora est. Porrò Creatio cum tempore; Inspiratio jam in tempore fit, ubi et quando vult Deus. Sanè secundùm prædestinationem nunquam Ecclesia Electorum penès Deum non fuit. Si miratur hoc infidelis, audiat quod magis miretur: nunquam non dilecta... (*Ephes.* I. 3. *et* 4.) *Benedixit nos*, inquiens, *in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate:* et addit (*Ibid.* 5. *et* 6.): *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Nec dubium quin voce omnium electorum ista dicantur: et ipsi Ecclesia sunt.

S. ANSELM. *Meditat.* 15. Verè Domine, vita in voluntate tua: si decreveris salvare nos, nemo poterit prohibere. Si aliud decreveris, non est qui audeat dicere, Cur ita facis? Pharisæe, quid murmuras? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Certè miseretur cui voluerit: ploremus et oremus ut velit.

RADULPH. *in Leviticum*, *lib.* 12. *pag.* 163. *Tom.* 17. *Biblioth. PP. Lugd.* Sed videtur locus iste commendare gratiam, non divinam justitiam demonstrare. Cùm enim hircus uterque pari teneretur conditione, et communi stringeretur reatu: unus per gratiam liberatur, alter in damnatione relinquitur..... *Justus*, inquit, *de angustiis liberatus est, et tradetur impius pro eo.* (*Prov.* XI. 8.) Quomodo enim pro justo traditur impius, nisi ut intelligas loco justi, quia videlicet in illis angustiis suo merito relinquitur, à quibus justus per divinam gratiam liberatur.

Ad Paginam 284. *lin.* 8.

(F.) S. HIERON. *Epist.* 82. *aliàs* 83. *pag.* 645. Dicit enim esse aliqua, quæ Christus non possit purgare sanguine suo; et tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, ut medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit, nisi ut Christus frustrà mortuus sit? Frustrà autem mortuus est: si aliquos vivificare non potest. Mentitur Joannes Baptista, et digito Christum et voce demonstrans: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I. 29.), si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit. Aut enim ostendendi sunt non esse de mundo, quos Christi ignoret indulgentia: aut si de mundo sunt, eligendum è duobus alterum: Liberati à peccatis, Christi potentiam probant: non liberati, quasi adhuc rei, imbecillitatem demonstrant. Sed absit hoc de Omnipotente credere, quod in aliquo impotens sit. *Omnia quæ Pater facit, et Filius facit similiter.* (*Joan.* V. 19) Infirmitas Filii redundat ad Patrem. Cuncta ovicularia membra portata sunt: totæ Apostoli Epistolæ Christi gratiam sonant. Et ne parum videretur simplex gratiæ

nuncupatio: *Gratia*, inquit, *vobis, et pax multiplicetur.* (1. *Petr.* I. 2.) Multiplicatio promittitur, et à vobis paucitas affirmatur.

S. AUGUST. *Enchirid. cap.* 103. *n.* 27. Cùm audimus et in sacris litteris legimus, quòd velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis non omnes homines salvos fieri, non tamen ideò debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere quod scriptum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri* (1. *Tim.* II. 4.), tanquam diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quòd nullus fiat, nisi quem velit; et ideò sit rogandus ut velit: quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus et quod in Evangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem* (*Joan.* I. 9.): non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certè sic dictum est, *Qui omnes homines vult salvos fieri;* non quòd nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset (*Matth.* XI. 21. 23. *etc.*); sed ut *omnes homines* omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum et conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum undè non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, et ideò faciat, quia Omnipotens velle inaniter non potest quodcunque voluerit? Præceperat enim Apostolus, ut oraretur *pro omnibus hominibus* (1. *Tim.* II. 1.), et specialiter addiderat (*Ibid.* 2.) *pro Regibus et iis qui in sublimitate sunt*, qui putari poterant, fastu et superbiâ seculari à fide Christianæ humilitate abhorrere. Proindè dicens, *hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo* (*Ibid.* 3.), id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addit, *Qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* (*Ibid.* 4.) Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium: quod utique jam videmus impletum. Isto locutionis modo et Dominus est usus in Evangelio, ubi ait Pharisæis, *decimatis mentam et rutam et omne olus.* (*Luc.* XI. 42.) Neque enim Pharisæi et quæcunque aliena et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hîc *omne olus*, omne olerum genus; ita et illic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere possumus: et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse: qui sine ullis ambiguitatibus, si *in cœlo et in terra*, sicut eum veritas cantat, *omnia quæcunque voluit, fecit* (*Ps.* CXIII. 3.), profectò facere noluit quodcunque non fecit.

De Civit. Dei, lib. 22. *cap.* 2. *n.* 1. Secundùm hanc voluntatem, quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur, quod ipse non vult, sed suos id volentes facit: sicut dicitur cognovisse, quod ut cognoscerentur fecit, à quibus ignorabatur... Secundùm hanc ergo voluntatem, quâ Deum velle dicimus quod alios efficit velle, à quibus futura nesciuntur, multa vult, nec facit.

N. 2. Multa enim volunt fieri sancti ejus ab illo inspiratâ sanctâ voluntate, nec fiunt; sicut orant pro quibusdam piè sanctèque, et quod orant non facit, cùm ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto Spiritu suo fecerit. Ac per hoc, quando secundùm Deum volunt et orant sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere, Vult Deus et non facit; ut ipsum dicamus velle, qui ut velint isti facit. Secundùm illam verò voluntatem suam, quæ cum ejus præsentia sempiterna est, profectò in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit, non solùm præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit.

Contr. Julian. lib. 4. *cap.* 8. *n.* 42. Cur ergo non sic accipimus quod dictum est, *qui omnes vult homines salvos fieri, et in cognitionem veritatis ve-*

nire (1. *Tim.* II. 4.) ; quomodo et illud accipimus, quod idem dixit Apostolus (*Rom.* V. 18.), *per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ?* Hos enim *omnes Deus vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*, in quos omnes per unius justificationem gratia pervenit ad justificationem vitæ.

N. 44. Respondebitur tibi, sic etiam illic ubi dictum est, *omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*, omnes positos esse pro multis, quos ad istam gratiam vult venire. Quod multò convenientiùs propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit, nisi quem venire ipse voluerit. *Nemo potest venire ad me*, inquit Filius, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI. 44.), et, *nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* (*Ibid.* 66.) Omnes ergo qui salvi fiunt, et in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salvi fiunt, et in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salvi fiunt, eo volente veniunt. Quia et qui nondum, sicut parvuli, utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur: et qui jam utuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subveniente à quo præparatur voluntas, velle non possunt.

Lib. de corrept. et grat. cap. 14. *n.* 44. Et quod scriptum est, quòd *vult omnes homines salvos fieri*, nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ... ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemoravimus: sed hîc unum dicam. Ita dictum est, *omnes homines vult salvos fieri*, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est.

Cap. 15. *n.* 47. Potest etiam sic intelligi, quòd *omnes homines Deus vult salvos fieri;* quoniam nos facit velle: sicut, *misit spiritum filii sui clamantem, Abba, Pater* (*Galat.* IV. 6.), id est, nos clamare facientem: de ipso quippe spiritu, alio loco dicit, *accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* (*Rom.* VIII. 15.) Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus: rectè etiam volentem Deum à quo efficitur ut velimus.

GUILL. ESTIUS *in lib.* 1. *sentent. distinct.* 46. 3. 4. Ad majorem explicationem quæstionis, quâ quæsitum fuit, an omnis Dei voluntas impleatur; videndum quomodo sint intelligendæ Scripturæ quæ significant Deum velle aut voluisse aliquid, quod tamen non sit impletum nec implendum. Inter eas præcipua est illa apud Apostolum (1. *Tim.* II. 4)), quâ de Deo dicitur; *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Constat enim non omnes omninò salvari, et ad notitiam veritatis perduci. Quare nec voluntate beneplacili Deum id velle dici potest, ut ex superioribus perspicuum est. Hoc igitur sensu remoto, quippe qui manifestam contineat falsitatem, aliæ reperiuntur apud Auctores æque variæ admodum hujus loci expositiones.

Quidam hunc sensum tradunt, Deum velle omnes salvos fieri, quòd omnibus det gratiam sufficientem ad salutem. Alii quòd gratiam suam Deus omnibus offerat, tametsi oblatam non omnes accipiant. Alii verò dictum Apostoli cum conditione intelligendum putant, scilicet Deum velle omnes salvos fieri, modò ipsi velint. Habet hanc expositionem commentarius Paulinus, titulo Ambrosii. *Vult Deus*, inquit, *omnes homines salvos fieri; sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, ut nolentes salventur: sed vult illos salvari, si et ipsi velint.* Eadem interpretatio reperitur in brevi Commentario qui fertur inter opera Hieronymi, non dubitatur autem esse Pelagii, in quo verbis Apostoli subjungitur hæc condilio: *si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint*, et paulò post, *ille se pro omnibus dedit, si omnes redimi vellent.* Verùm has interpretationes ut parùm consentaneas doctrinæ quam Scriptura tradit de gratia Christi, quâ nimirùm operante fit hoc ipsum ut homines acceptent et velint, passim Augustinus refellit maximè ex causa parvulorum qui sine baptismo moriuntur. Hi enim per ætatem velle non possunt.

His igitur expositionibus rejectis videamus quomodo verba Apostolica rectè accipi possint.

Una igitur expositio est quam affert Magister ex Augustino, Deum velle omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quia quicumque salvantur et ad veritatis agnitionem perveniunt, Dei voluntate salvantur

et veritatem agnoscunt, nec aliter quàm Dei voluntate salutem et veritatis agnitionem consequi possunt. Hæc expositio est apud Augustinum Ench. 103. ubi eam alterius cujusdam loci comparatione declarat et contextui conformem esse ostendit ; quia si nemo salvatur nisi Deo volente, rogandus est ergo Deus à fidelibus ut velit, quod vult sententia præcedens. Eamdem habet lib. 4. contra Jul. cap. 8. Ep. 107. et de prædestinatione Sanctorum, capite 8. Item Prosper in Epist. ad Ruff. et resp. 8. ad cap. Gallorum.

Secunda expositio est, ut in Apostoli verbis omnes homines, non singuli quique, sed cujuscunque generis et conditionis homines intelligantur, velut principes, privati, Judæi, Græci, liberi, servi, docti, indocti, divites, pauperes, et ita de aliis. Quæ expositio probabilitatem accipit ex præcedentibus Apostoli verbis, quibus dixerat orandum pro omnibus hominibus. Quod quasi de generibus hominum exponens, subjicit, *pro regibus*, etc. Similia loca Scripturæ sunt (*Luc.* XI. 42.) *Decimatis omne olus*; (*Joan.* XII. 32.) *Omnia traham ad meipsum*: Gen. I. ubi dicitur Deus quinto die creasse omne volatile, et sexto die omne reptile super terram. Habet hanc quoque expositionem et declarat Augustinus Ench. 103. et lib. de corr. et gr. cap. 14. et Serm. 37. de diversis.

Tertia expositio est Joannis Damasceni, qui verba Apostoli interpretatur de prima seu antecedente voluntate Dei : *Deus*, inquit, *antecedenter vult omnes salvari, et regnum ipsius consequi. Non enim ad puniendum nos creavit, sed ut efficiat nos bonitatis suæ participes, ut bonus.* De hac voluntate Dei satis dictum in superioribus. Ad hunc sensum respicere videtur Bernardus Serm. 6. de Navitate Domini, et Hieronymus in Isai. XXVIII. 21. ad illud, *opus peregrinum ab eo.* Imò et Augustinus hanc expositionem subindicat lib. de spirita et lit. cap. 33. Affert eamdem et explicat S. Thomas tertio loco post duas præcedentes expositiones 1. qu. 19. art. 6. ad 1.

Nec obstare videtur huic sensui, quòd Apostolus loquatur de voluntate salvandi homines per mediatorem, ut subsequentia ejus verba declarant. Nam et illam voluntatem, quæ reparationem lapsi hominis et cuncta divinæ misericordiæ opera respicit, sub antecedente voluntate comprehendi posse suprà admonuimus.

Quarta expositio est, Apostolum loqui de Christo, qui humanâ voluntate seu velleitate, de qua suprà dictum, velit aut voluerit omnes homines salvari. De Christo autem Apostolum loqui probant, quia sic dicit (1. *Tim.* II. 3.) : *Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo qui vult omnes*, etc. Nam Christus passim Salvator noster in Scripturis appellatur.

Quintam accipiunt quidam ex eo quòd Augustinus libro 3. de Doct. capite 32. et Ep. 59. qu. 6. dicit Scripturæ morem esse, ita loqui de parte tanquam de toto, ut Jerem. XXVI. ubi modò dicitur omnis populus Jeremiam poscere ad mortem, modò omnis populus velle eum liberari ; et 1. Cor. I. ubi Corinthii initio quidem in universum præclarè laudantur, et paulò post graviter reprehenduntur, nimirùm secundùm alios, et alios, quorum utrique quadam universalitate erant omnes. Sic ergo putant intelligi posse Deum velle omnes salvos fieri, quia eorum qui salvi fiunt tanta sit multitudo, ut suo quodam modo possent dici omnes. Quomodo idem ab eodem Apostolo dictum : *omnes quæ sua sunt, quærunt.* (*Phil.* II. 21.)

Sexta expositio est, Deum velle omnes salvos fieri, quia vult et facit pios homines velle seu desiderare omnium salutem. Multa namque vult et facit Deus nos velle, quæ ipse propriè non vult, quale erat, quòd Abraham voluit servari civitates Sodomam et Gomorrham (*Genes.* VIII.), quòd David voluit ædificare templum Domino (2. *Reg.* VII.), quodque idem voluit salutem filii sui Absalon (2. *Reg.* XVIII.), et alia hujusmodi, quæ non sunt facta, quia Deus ea absolutè non voluit. Cùm igitur præcipit, movet, inspirat, operatur in nobis Deus ut omnium saluti studeamus, et omnes ad veritatis agnitionem conemur adducere, dicitur Deus hæc eadem velle, secundùm eum loquendi morem, quo in sacris litteris Deo tribuitur actio, quam in nobis efficit dono suo, ut loquitur Augustinus libro 4. de Gen. capit 9. Sic enim (*Rom.* VIII. 26.) Spiritus sanctus postulare et gemere dicitur, quia postulantes et gementes nos facit : et (*Gal.* IV. 6.) clamare, quia clamantes nos facit : et (1. *Cor.* II. 10.) dicitur omnia scrutari, quia nos omnia scrutari facit, et (*Gen.* XXII. 12.) dicitur

Abrahæ : *nunc cognovi quòd timeas Dominum*, id est, cognoscere te feci, et hujus generis alia. Cùm enim ipsa Dei voluntas in se sit nobis occultissima, rectè et convenienter hoc eum velle dicimus, quod vult in suis amicis, non tantùm præcipiendo ut velint, sed etiam hoc ipsum in eis operando. Tradit hunc sensum et doctè declarat Augustinus libro 22. de Civit. cap. 1. et 2. necnon libro de Corr. et gr. capit. 15. Pro quo etiam faciunt ea quæ scribit loco jam allegato de Gen. ad lit. Est autem hic sensus textui Apostolico conformis. Exhortans enim Apostolus fideles ad orandum pro omnium salute, rationem subjungit, *quia hoc bonum et acceptum est Deo qui vult omnes salvos fieri*, id est, vult ut omnium salutem desideremus, et hoc ipsum desiderium in nobis operatur. Undè rectissimè sequitur hoc pio desiderio impellente pro omnibus orandum esse. Confirmat etiam hunc sensum, quòd non dicat Apostolus, Deum velle omnes salvare, et ad agnitionem veritatis perducere, sed omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire. Qui sermo magis pertinet ad declarandam voluntatem nostram quam ex Deo habemus pro salute omnium, quàm voluntatem quæ propriè sit ipsius Dei. Nam Deus respectu electorum qui salvantur, non tam habet voluntatem quâ velit eos salvos fieri et venire ad notitiam veritatis, quam quâ velit eos salvare et notitiam veritatis eis tribuere. Voluntas enim Dei quidquid propriè vult, ipsa per se operatur.

Quòd si verò objiciat quis, pios homines certum habere quòd Deus non omnes velit salvos fieri, ideoque nec ipsos debere hoc velle; respondetur pios neque velle neque orare Deum ut omnes conjunctim nemine excluso salvi fiant, sed ita generatim optare salutem omnium et orare pro omnibus, ut neminem in particulari velint à sua oratione exclusum, quia de nullius reprobatione certi sunt in hac vita.

Est et septima expositio, Deum hoc sensu velle omnes salvos fieri, quia externa quædam auxilia et media contulit humano generi in universum, et multis in particulari, quibus ad salutem perduci possint, qualia sunt creatio hominis ad eum finem qui est æterna felicitas, donum justitiæ ei in creatione collatum et propagandum in totum genus, naturale lumen rationis, et lex naturæ omnium mentibus inscripta, communis omnium cœli et elementorum prædicatio, missio Apostolorum in totum orbem terrarum, pretium sanguinis Christi pro omnibus effusum, atque omninò beneficium redemptionis nostræ per Christum ita omnibus expositum, ut Ecclesia non habeat præceptum quo alicui genti aut personæ prohibeatur prædicare, vel ea quæ salutis sunt impedire, quin potiùs debeat illud omnibus proponere, omnesque quantùm in ipsa est, etiam infantes, ad salutem per Christum adducere, quippè qui *propitiatio est pro peccatis totius mundi.* (1. *Joan.* II. 2.)

Sensum hunc tradit Prosper. resp. 1. et 2. ad object. Vinc. et libro 2. de vocat. gent. cap. 1. 6. 7. et 8. et Bonaventura super hac distinctione quæst. 1. ubi dum gratiam dicit omnibus offerri, gratiam oblatam intelligit et exponit non de auxilio quopiam interno, quod omnibus præstò sit, sed de passione Filii Dei ac toto redemptionis nostræ beneficio, quod omnibus offertur eo modo quo diximus. Favent huic sensui sequentia Apostoli verba, quibus creationis simul et redemptionis nostræ beneficium commendat (1. *Tim.* II. 5.): *unus enim Deus*, inquit, nempe creator: *unus et mediator Dei et hominum homo Christus*, id est, redemptor. Undè sequitur: *Qui dedit semetipsum redemptionem*, Græcè, *antilutron*, id est, pretium redemptionis pro omnibus, scilicet quoad sufficientiam.

Juxta hanc igitur expositionem voluntas Dei intelligi potest ordinatio causæ ad effectum aliquem, seu medii ad finem, licet effectus seu finis non sequatur. Estque ea voluntas signi, quam suprà præparationis voluntatem diximus, eò quòd talis ordinatio in hominibus soleat significare voluntatem ipsorum de effectu. Potest autem etiam aliquo modo dici voluntas beneplaciti, non quidem respectu effectûs ad quem refertur, sed respectu mediorum per se conducentium ad hujusmodi effectum.

Porrò quamvis dictarum expositionum unaquæque probabilitatis aliquid habeat, duæ tamen postremæ videntur maximè probabiles ac cæteris omnibus præferendæ.

Ad Paginam 284. *lin.* 19.

(G) S. Aug. *Epist.* 217. *alias* 107. *ad Vital. cap.* 5. *n.* 16. *art.* 6. Scimus (gratiam) eis quibus non datur, justo judicio Dei non dari.

N. 19. Quomodo dicitur omnes homines eam fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam suâ voluntate respuerent, quoniam *Deus vult omnes homines salvos fieri:* cùm multis non detur parvulis, et sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, et aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repentè antequam detur exspiral pro quo, ut acciperet, currebatur? Undè manifestum est eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò quâ locutione sit dictum, quòd *omnes homines vult Deus salvos fieri:* cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis. Sed sicut illud quod dictum est, *omnes in Christo vivificabuntur* (1. *Cor.* xv. 22.), cùm tam multi æternâ morte puniantur, ideò dictum est, quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est; *omnes homines vult Deus salvos fieri*, cùm tam multos nolit salvos fieri, ideò dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt; et si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimè veritati, in qua videmus, tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente, salvos non fieri, contraria esse non possint.

N. 21. Quomodo non gratiæ Dei est, non solùm credendi voluntas ab initio, verùm etiam perseverandi usque in finem; cùm finis ipse vitæ hujus non in hominis, sed in Dei sit potestate, et possit utique Deus etiam hoc beneficium non perseveraturo conferre, ut rapiatur ex corpore, ne malitia mutet intellectum illius.

S. Prosper *Carmin. de Ingrat. cap.* 13.

Jam pande quid hoc sit,
Quòd bonus omnipotensque Deus non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemptum,
Haud dubiè impletur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.

Respons. 1. *ad object. Vincent. in Append. Tom.* 10. *Oper.* S. August. Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est, et undè omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium est mors filii Dei Domini nostri Jesu Christi: qui liber à mortis debito, et solus absque peccato, pro peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus. Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi et sine regenerationis sacramento pertranseunt; redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, et tamen non omnes à captivitate sint eruti; redemptionis proprietas haud dubiè penès illos est, de quibus princeps mundi missus est foràs, et jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.

Resp. 2. *ad object. Vincent.* Sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum; quòd multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei justitia est: ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est.

Resp. 7. *ad Cap. Gal.* Ex regeneratis in Christo Jesu, quosdam relictâ fide et piis moribus apostatare à Deo, et impiam vitam in sua aversione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo adscribere, immodicæ prævitatis est: quasi ideò ruinæ ipsorum impulsor atque auctor sit, quia illos ruituros propriâ ipsorum voluntate præscivit, et ob hoc à filiis perditionis nullâ prædestinatione discrevit.

Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, quos discedentes à Christo habitura erat justa damnatio? Cùm autem dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bono usque ad finem, quam istos ex eo ipso, quòd non perseveraverunt, non habuisse manifestum est: non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit; sed confitendum est, et misericorditer eum dedisse quod dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso oriri videatur et standi; cùm illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *cap.* 2. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Cap. 3. Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

S. THOM. *Quæst.* 23. *part.* 1. *art.* 5. *in corp.* Effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari; et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem quidem prioris, secundùm rationem causæ finalis; priorem verò posterioris, secundùm rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ, sicut si dicamus, quòd Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis: et quòd præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi: et sic, impossibile est quòd totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam; neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum, secundùm illud (Thren. ult. 21.) *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam bonitatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem, et ex qua procedit sicut ex principio primo movente.

Ad tertium. Voluit igitur Deus in hominibus quantùm ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo: et quantùm ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo; et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat: et hanc causam assignat Apost. (*Rom.* IX. 22. *et* 23.) dicens, *volens Deus ostendere iram*, id est vindictam justitiæ, *et notam facere potentiam suam; sustinuit*, id est, permisit, *in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et (2. *Tim.* II. 20.) dicit: *in magna domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia: et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.* Sed quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit; non habet rationem, nisi divinam voluntatem. Undè Aug. dicit super Joannem: *quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare...* Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra justitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio justitiæ: et hoc est quod dicit pater-familias (*Matth.* XX. 14.): *Tolle quod tuum est, et vade.* An non licet mihi quod volo facere?

ROB. BELLARMIN. è Soc. Jesu S. R. Eccl. Card. *Controvers. tom.* 4. *de Grat. et liber. arb. lib.* 2. *cap.* 3. *versùs finem.* Sed, inquiunt, si Deus vult omnes salvos fieri, cur non fiunt omnes salvi, nisi quia ipsi nolunt? Respondeo, verissimum est, non fieri omnes salvos, quia ipsi nolunt. Nam si vellent, Deus eis utique non deesset. Cæterùm nemo vult salvus fieri, nisi Deus, præveniendo ac præparando voluntatem, faciat eum velle: cur autem Deus non faciat omnes velle, * *quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit* (*Isai.* XL. 13.)? Itaque sicut verum est non omnes salvos fieri, quia ipsi non volunt; sic etiam verum est, non omnes salvos fieri, quia Deus non vult voluntate illâ beneplaciti, de qua scriptum est in Psal. CXIII. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra.* Et la-

men simul etiam verum est, Deum velle omnes salvos fieri voluntate illà quam rectè Theologi antecedentem vocant.

De bonis operib. in partic. lib. 1. *cap.* 6. *in Expos. Orat. Dominicæ petit.* 3. Rectè distinguunt Theologi voluntatem Dei in voluntatem signi et voluntatem beneplaciti : ac voluntatem signi appellant præcepta et prohibitiones, quibus Deus significat, quid à nobis agi, vel non agi velit. Voluntatem beneplacili nominant eam, quà Deus vult absolutè aliquid fieri, quæ semper impletur et quam nulla vis externa impedire potest. De Priore intelliguntur ea loca : (*Matth.* XII. 50.) *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, et soror, et mater est.* (*Joan.* IV. 34.) *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* (1. *Thess.* IV. 3.) *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* (*Hebr.* X. 36.) *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* De posteriore intelliguntur illa : (*Psal.* CXIII. 3.) *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra.* (*Isa.* XLVI. 10.) *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* (*Esther.* XIII. 9.) *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.*

FRANC. SUAREZ è Societ. Jesu *oper. Tom.* 1. *lib.* 4. *de Prædestinat. cap.* 1. Velitne Deus omnes salv. *n.* 1. Hæc quæstio fundata est in loco Pauli (1. *ad Timoth.* II. 4.) *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ubi videtur quæstionem definire, et partem affirmantem tanquam de fide certam docere. Nihilominùs Greg. in 1. d. 46. circa fin. simpliciter negat voluisse Deum salvare, quos de facto non salvat : quia quod Deus vult, fit, præcipuè quando ab ipsomet Deo principaliter faciendum est. Favetque huic sententiæ Augustin. qui interdum solet testimonium illud Pauli coarctare ad solos prædestinatos, explicando illud, vel per distributionem accommodam, id est, ut intelligatur de omnibus qui salvantur : quia nullus salvatur, nisi quem Deus salvari vult : vel ut distributio tantùm sit pro generibus singulorum, quia ex omni genere seu statu hominum vult Deus aliquos salvos fieri, ut in Enchirid. cap. 103. exponit.

N. 2. Sed nihilominùs dicendum simpliciter est, Deum ab æterno voluisse salvare omnes homines, quos creare decrevit : idemque de Angelis sentiendum est. Probatur ex dicto testimonio : nam si contextus Pauli sincerè spectetur, constat universè loqui de omnibus hominibus. Obsecrat enim priùs, orari pro omnibus hominibus, et subdit, *Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* (*Ibid.* 3.) Sed constat mentem Pauli esse, ut pro omnibus hominibus simpliciter, sine ulla limitatione oremus : ergo cum eadem universalitate loquitur de omnibus hominibus, quando pro ratione subjungit, quòd Deus vult omnes salvos fieri. Quod magis confirmat, et declarat sequentibus verbis, dicens, *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus nobis.* (*Ibid.* 5. *et* 6.) In quo ultimo verbo certissimum est, loqui de omnibus simpliciter : est enim de fide Deum esse redemptorem omnium hominum : ergo eodem modo loquitur de omnibus hominibus in prioribus verbis. Patet consequentia, tum quia contextus, et uniformitas verborum, et efficacia discursûs ita postulat, tum etiam ex ratione, quæ in verbis ipsis insinuatur. Ita enim vult Deus omnes homines salvos fieri, sicut voluit omnes redimere, cùm redemptio non sit, nisi propter salutem hominum : voluntas autem redimendi omnes non limitatur ad omnes prædestinatos, nec limitari potest aliquo ex dictis modis ; ergo nec voluntas salvandi omnes homines ita limitanda est.

N. 6. Atque hanc veritatem confirmant alia testimonia Scripturarum, in quibus Deus confitetur, se *nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* (*Ezech.* XVIII. 32. *et* XXXIII. 11.) Item in quibus dicit se *stare ad ostium et pulsare* (*Apocal.* III. 20.) et *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I. 9.), et similia, quæ planè ostendunt hanc divinam voluntatem. Quam etiam colligunt Interpretes, et ex illo (*Osee* XIII. 9.) *Perditio tua ex te, tantum ex me auxilium tuum.* Perinde enim est, ac si dixisset, Auxiliari tibi volui, adducere te ad salutem volui, ideoque perditio tua originem ex te habuit, non ex me. Quod certè verum non esset, si Deus ex se non vellet salvare, etiam illos, qui pereunt. Quocirca, licèt non sit omninò certum, verba illa Pauli hunc solum sensum

admittere, quòd scilicet Deus velit aliquo modo sibi proprio salutem omnium hominum sine exceptione, vel limitatione ad prædestinatos: quia expositiones ab Augustino datæ, ejus auctoritate fiunt aliquo modo probabiles: hoc tamen intelligendum puto, dummodo alter sensus tanquam verus, et maximè litteralis non excludatur, hoc enim efficaciter probant omnia quæ adduximus.

N. 7. Undè etiam constat, conclusionem positam tanquam certam et extra omnem opinionem accipiendam esse, quia est satis in Scriptura expressa, et communi sanctorum Patrum consensu recepta. Ratione autem declaratur, quia Deus universam humanam naturam (idemque est de Angelica) creavit propter supernaturalem finem; ergo voluit, ut quantum in ipso esset, omnes homines illum finem consequerentur. Probatur consequentia, quia aliter se habuit divina voluntas erga humanam naturam, quàm si in puris naturalibus, et propter solam naturalem beatitudinem illam condere voluisset: in nullo autem alio potest esse discrimen, nisi quia nunc præter voluntatem dandi homini, vel Angelo talem naturam, habuit etiam voluntatem dandi eis talem beatitudinem, quantùm in ipso esset, à quo fine nullum individuum ex parte sua excepit, vel exclusit.

N. 10. Tandem probatur à posteriori ex universali redemptione Christi Domini, nam Deus post prævisum originale peccatum ordinavit Christum in redemptionem omnium hominum: hæc autem ordinatio, seu hoc universale medium fuit effectus illius universalis voluntatis, quâ voluit Deus, quod in ipso est, salutem omnium hominum: ergo hanc voluntatem habuit etiam post prævisum originale peccatum. Patet consequentia, voluntas Dei quatenùs antecessit præscientiam absolutam originalis peccati, ex se non petebat omnium redemptionem, et illâ priori voluntate stante poterat Deus non mittere universalem redemptorem: ergo habuit novam voluntatem nostro modo intelligendi, liberandi omnes homines à lapsu, et ad eum finem dandi universalem redemptorem.

Cap. 2. *n.* 1. Certum est, voluntatem illam non fuisse per absolutum, et efficax decretum divinæ voluntatis, quæ ab aliquibus voluntas simpliciter beneplaciti, ab aliis voluntas consequens dicitur. Quia id, quod Deus sic vult, infallibiliter impletur. Nam de hac voluntate scriptum est: *Dominus quæcunque voluit fecit* (*Ps.* CXIII. 3.); et illud, *voluntati ejus, quis resistit* (*Rom.* IX. 19.)? At constat hanc voluntatem non impleri in omnibus hominibus: ergo non potest esse ista absoluta, seu prædefinita voluntas.

N. 3. Dico verò primò, habere Deum in se proprium et formalem actum seu affectum voluntatis, quo vult, et cupit omnium hominum salutem. Probatur primò, argumento sumpto ex verbis Pauli citatis, adjunctâ generali regulâ Scripturæ, verba ejus esse cum proprietate intelligenda, ubi materia, vel circumstantia litteræ non cogunt ad metaphoram. Quod præsertim locum habet, quando Scriptura sæpe ita loquitur, et nullibi explicat metaphoram, ut etiam hîc invenitur... Tandem declaratur ratione, quia voluntas, quæ appellatur metaphorica semper supponit aliquam propriam: ergo etiamsi in præsenti admittamus metaphoricam voluntatem circa salutem reproborum, non est propria negandа.

N. 4. Explico antecedens: dicitur enim voluntas metaphorica voluntas signi, id est signum aliquod externum, quo indicatur aliquid, quod Deus vult: hoc autem signum semper supponit in Deo aliquem affectum. Ut, verbi gratiâ, præceptum Dei dicitur voluntas signi Dei, quia significat, velle Deum id, quod præcipit: quod necesse est verum esse secundùm aliquam propriam voluntatem, alioqui non esset verum signum. Illa autem voluntas non semper est efficax circa opus ipsum, quod præcipitur, sed est vel complacentia in bonitate talis operis, vel voluntas obligandi ad illud faciendum. Et hoc semper reperitur in omnibus signis divinæ voluntatis. Ita ergo hîc, si circa salutem reproborum est aliqua voluntas signi, seu aliquod signum voluntatis divinæ, cùm necesse sit illud esse verum signum, in Deo indicat aliquam veram voluntatem, à qua procedunt illa signa, quæ nobis indicant Deum, quantùm in se est, velle salutem talium hominum.

N. 5. Dico secundò. Hæc voluntas Dei non solùm est de mediis, seu

effectibus gratiæ, qui revera futuri sunt circa hos homines, sed etiam de ipsa æterna beatitudine, etiamsi illam consecuturi non sint: imò nostro modo intelligendi circa illam priùs versatur, deindè circa alia... Probatur autem hæc secunda propositio, quia Deus confert his hominibus dona gratiæ, quæcunque illa sint, propter hunc finem, ut per illa consequantur vitam æternam, si velint, vel quantùm est ex parte ipsius Dei: ergo necesse est, ut supponatur in Deo intentio aliqua illius finis: intentio autem est vera voluntas, quæ circa finem ipsum versatur: ergo primum antecedens per se notum est, et frequenter habetur in Scriptura. Consequentia autem patet, tum quia operatio propter finem, dicit relationem ad finem, quæ ducit originem ex intentione finis. Tum etiam, quia Deus dat eisdem hominibus principia, et concursus, quibus condemnari possunt, imò de facto dum malè eis utuntur, damnantur, et tamen non dat propter illum finem, quia illum non intendit: ergo, ut Deus det aliquid propter finem, non satis est velle illud objectum, quod potest ducere hominem in illum terminum, sed necesse est, Deum talem finem intendere, ad quem aliud objectum referatur.

N. 6. Nec satis est dicere, ipsa media gratiæ naturâ suâ tendere in illum finem, ut Deus illa conferendo, dicatur ea donare propter illum finem. Primò quidem quia hic modus operandi propter finem non est agentis à proposito, et ideò non est tribuendus Deo. Deinde, quia multa sunt media, quæ non naturâ suâ, sed voluntate Dei in illum finem referuntur, ut, verbi gratia, Passio Christi, institutio sacramenti, et similia, quæ si Deus voluisset, potuissent ad salutem tantùm prædestinatorum ordinari. Denique quia, ut in superioribus tetigi, etiam ipsam fidem, et charitatem potuisset Deus dare hominibus, ut rectè operentur in hac vita, sine voluntate dandi gloriam, et sine ordinatione ad illum finem ex parte Dei. Necessaria est ergo ex parte Dei illa specialis intentio: quæ in hoc ipso includitur, quòd Deus voluit ordinare naturam humanam in omnibus suis individuis ad supernaturalem beatitudinem consequendam, neque ab ea intentione destitit propter peccatum primi hominis superveniens.

N. 11. An verò illa voluntas dicenda sit beneplaciti, necne, quæstio esse potest de modo loquendi; nam hæc vox ab aliquibus sumitur pro absoluto, et efficaci proposito Dei, quo sensu constat non esse voluntatem beneplaciti. Latiùs tamen, et satis propriè juxta vim vocis, beneplacitum dici potest quidquid placet Deo, et quod cupit, ut fiat, quantùm in ipso est. Hoc ergo modo continetur illa voluntas inter voluntates beneplaciti, sicque necessarium non est omnem voluntatem beneplaciti habere effectum, sed absolutam semper, conditionatam autem, solùm conditione impletâ. Nec verò sequitur hanc voluntatem esse imperfectam, quia non est in Deo ex impotentia habendi majorem voluntatem, si velit, sed ex libertate, et ideò potiùs pertinet ad perfectionem Dei, ut possit ita velle.

Gabr. Vasquez è Societ. Jesu *in* 1. *part. Summæ Theol. D. Thom. Disput.* 83. *c.* 1. *n.* 1. Antequam disputationem aggrediamur, præmittenda est distinctio voluntatis Dei, quam constituit S. Thomas art. 11. hujus Quæst. videlicet voluntas alia est signi, alia beneplaciti. Signi dicitur, quando Deus exteriùs ita se gerit circa rem aliquam, ut indicet se habere voluntatem illius rei, cùm tamen revera eam non habeat. Exemplum est in omnibus Prophetiis, quæ solam continent comminationem pœnæ, quâ Prophetæ significare videbantur Deum pœnam statuisse, cùm tamen revera ea voluntas in Deo non fuerit. In exemplum etiam afferri solet præceptum, quod Deus posuit Abrahamo immolandi filium suum (*Genes.* XXII.); cùm tantùm vellet occasionem præbere obedientiæ, non autem immolationem Isaac. In quo quidem exemplo et similibus, ubi aliquid ex parte Dei jubetur per modum præcepti, et posteà ipse prohibet fieri, est quidem voluntas quædam simplicis complacentiæ circa rem illam. Deo namque placebat secundùm se immolatio Isaac ex obedientia, cùm esset opus virtutis et præcepti, et ex hac parte non est sola voluntas signi: sed quia id, quod exteriùs apparebat, indicare videbatur Abrahamo, Deum velle sacrificium illud absolutè præcipere, et præceptum non revocare, ex hac parte erat voluntas signi et non beneplaciti: id enim nunquam decreverat Deus; imò oppositum volebat. Voluntas autem benepla-

cili est, quando non tantùm est signum talis voluntatis, sed etiam res ipsa, cujus dicitur in Deo esse voluntas, ipsi placet. Talis est voluntas eorùm, quæ à Deo fiunt. Illa enim eo ipso non possunt non Deo placere, ut fiant, etc.

Et postquam huic sententiæ (*quæ asserit* in Deo non esse voluntatem beneplaciti, quæ proximè referatur ad salvationem omnium) *Auctores plurimos tam è Patribus quàm è Theologis Scholasticis addictos fuisse dixit, sic prosequitur.*

Cap. 2. *n.* 6. Ego verò non solùm veriorem puto oppositam sententiam, videlicet Deum voluntate beneplaciti velle omnium salutem, et rectam vitam; verùm etiam sacris litteris et doctrinæ Patrum multò magis conformem, ut prorsùs non videam, quâ ratione aliquis eam inficiari audeat. Quare cùm non omnes homines salventur, nec omnes rectè vivant, necessario fatendum est, non omnem voluntatem beneplaciti semper impleri.

N. 7. Quod probatur primum ex Paulo (1. *ad Timoth.* II. 3. *et* 4.) ubi cùm dixisset, orandum esse pro Regibus, etc. ut quietam et tranquillam vitam agant in omni pietate et castitate, continuò adjecit: *Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*: Ergo eodem modo dicit Paulus, Deum velle omnes salvos fieri, et veritatem agnoscere, atque recta operari, seu tranquillam vitam agere; hæc enim connexa sunt: homines autem rectè vivere bonum est, ac proinde, ut ait Paulus, acceptum coram salvatore: ergo est illi gratum, cique placet: quare voluntas, quâ vult, omnes salvos fieri, et rectè vivere, atque veritatis cognitionem consequi, erit etiam beneplaciti: quid enim aliud est, Deum velle aliquid voluntate beneplaciti, quàm illud sibi placere, acceptum et gratum esse? Quocirca cùm (1. *ad Thess.* IV. 3.) dixit Paulus: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra:* non tantùm expressit voluntatem signi, sed etiam beneplaciti: addere enim potuit, *Hæc enim grata et accepta Deo est.*

N. 10. Præclarè Chrysost. Homil. 1. in Epist. ad Ephes. ubi primariam et secundariam voluntatem in Deo eodem modo, atque Damascenus antecedentem et insequentem aut consequentem distinguit, hanc, de qua nunc disserimus, esse voluntatem beneplaciti expressit his verbis: secundùm propositum voluntatis suæ, inquit, « perinde est, quia vehementer » vellet fieri: hoc ipsius erat voluntas; *eudokia* enim ubique est præcipua » Dei voluntas: est enim, et alia ejus voluntas, ut est primaria illa, se- » cundùm quam eos, qui in sceleribus persistunt contaminati, vult » perire: neque enim istos necessitas plectit supplicio, sed voluntas. Tale » aliquid videre liceat apud Paulum, videlicet, ut cùm dixit, *volo omnes* » *homines esse sicut meipsum* (1. *Cor.* VII. 7.); rursùs (1. *Tim.* V. 14.), *volo* » *juniores nubere*; *filios procreare: eudokia* itaque primariam illam voluntatem indicat, et ingentem ipsius atque propensam erga nos cum flagranti desiderio conjunctam benignitatem. Neque enim defugiam dictione hac uti, communicare licet, idque explicandæ rei causâ et in » eorum gratiam qui simpliciores sunt, quod ipsi dicimus *pisma*, et secundùm animi nostri voluntatem, affectionem, hoc est, quod mirum » in modum cupit, vehementer desiderat nostram ipsorum salutem. » Hæc Chrysostomus, qui cùm primariam voluntatem duplici Græcâ voce expresserit, et *eudokia*, quæ significat bonam voluntatem seu beneplacitum, et *pisma*, quæ inter alia contentionem denotat, manifestè docuit, voluntatem illam primariam verè in Deo esse, cùm sit beneplacitum illius, et vehementem esse, cùm sit veluti contentio quædam: ideoque dixit hanc *eudokia* significare ingentem Dei benignitatem cum flagranti desiderio conjunctam. Quis enim non videat in voluntate solùm signi, quæ in Deo verè non est, hæc omnia minimè quadrare posse.

N. 11. Verùm ratione hæc nostra sententia confirmatur et declaratur magis: nam si consideretur salus, et æterna gloria hominum secundùm se, et observatio præceptorum atque justa vita, non potest Deo non placere. Primùm enim displicere illa non potest: deinde circa illam non potest voluntas Dei negativè se habere et omnem actum quasi suspendere... Ergo circa hominum salutem, et justam vitam non est in Deo sola voluntas signi, sed etiam beneplaciti: et.... hæc voluntas desiderium rectè vocari potest, sicut eam Chrysostomus appellavit: neque solùm

objecta hæc considerata sub esse possibili Deo placent, sed etiam sub esse futuro. Non enim solùm Deo placet posse hominem servare legem, aut posse glorificari : sed illam de facto servare et glorificari hominem, acceptum est Deo : non quia quilibet homo de facto eam servaturus sit, aut sit glorificandus ; sed quia hoc quod est, servare legem et glorificari hominem, consideratum ac si ita futurum esset, non potest non Deo placere. Quare qui dicunt circa hæc tantùm esse voluntatem signi, dicere debent, ea non esse Deo grata et accepta, quod est absurdum, etc.

Cap. 3. *n.* 14. Pervulgata Theologis est divisio illa voluntatis antecedentis, et consequentis, deprompta quidem ex Damasceno et Chrysost... eaque utilissima est, si rectè intelligatur, ut à Patribus tradita est. Scholastici enim permulti in alium sensum usurpasse videntur... Scholastici... qui dixerunt voluntatem quam Deus habet circa omnium salutem, esse solùm voluntatem signi, non beneplaciti, sic distinguunt antecedentem et consequentem, ut hæc sit beneplaciti, illa verò signi : sed præterquam quòd falsum est eorum fundamentum... hæc sententia non rectè explicat, quare dicatur antecedens voluntas, quare verò consequens : relatè namque dicuntur ; antecedens quidem respectu alicujus, quod posterius est : consequens verò respectu prioris : adde quòd aliqua, imò multiplex voluntas, quæ est beneplaciti, dicitur etiam antecedens... ergo illa divisionis explicatio explodenda est.

N. 15. Secunda Theologis recentioribus probatissima expositio est, ut antecedens voluntas sit idem quòd inefficax voluntas, quæ communiter dicitur conditionata seu velleïtas : consequens verò sit efficax et absoluta... Porrò tametsi voluntas, quâ ex se vult Deus omnium hominum salutem, sit inefficax ; tamen non est omninò sub conditione, sed est voluntas verè absoluta ; licet nonnihil conditionis includat... quare non solum velleïtas, sed voluntas nuncupanda est.

N. 16. *Probat explicationem D. Thomæ part.* 1. *quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 3. *quam attulimus suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (F) *et suam mox tradit.*

N. 17. Chrysostomus equidem, qui primus auctor exstitit hujus divisionis, et exemplo eam nobis exposuit, non explicavit cur antecedens, quare verò consequens dicatur ; solùm ait esse quamdam primariam voluntatem, secundùm quam Deus non vult perire quemquam ; et secundariam, quâ vult perire eos, qui in peccatis contaminati persistunt. At verò Damasc. qui ex Chrysost. divisionem accepit, et eodem exemplo illustravit, unico verbo expressit causam, ob quam voluntas antecedens, et consequens appelletur : et cùm hæc comparatè dicantur, respectu cujus sit antecedens et consequens, rectè explicavit ; *Est igitur* (inquit Damascenus) *antecedens et primaria voluntas ex ipso Deo manans :* hoc est, ita ex solo Deo existens, ut nullam ex nostris bonis, aut malis operibus occasionem capiat. Consequens verò et secundaria voluntas (quam ipse etiam permissionem vocat) est, quæ à nostro vitio ortum habet. Ubi observandum est, non solùm consequentem dici posse secundùm hanc sententiam, quæ ex vitio nostro originem aliquam habet, sed etiam eam, quæ ex bonis operibus nascitur, qualis est efficax voluntas dandi gloriam, quam noluit adducere in exemplum Damascenus, eò quòd ipsa gloria quodammodo volita sit à Deo antecedenti voluntate : ergo ut assignaret exemplum illius, quod nullo modo antecedenti voluntate volitum à Deo est, attulit pœnam, cujus voluntas ex nobis omninò occasionem capit.

N. 18. Rursùs docet pœnam, quam ipse permissionem vocat, bifariam consequenti voluntate volitam esse, est enim pœna duplex, una est dispensatoria, et vim habens erudiendi, ex qua nimirùm Deus nostram salutem dispensat, et nos erudit, ut cautiores simus, qualis est, quæ ad veram pœnitentiam nos adducit ; altera est ultimi supplicii : et utramque inquit esse voluntatis consequentis, hoc est, occasionem ex nobis capere. Tam enim Deus ex se non vult pœnitentiam quàm pœnam æternam, sed utramque ex nobis vult, hoc est, suppositâ et prævisâ culpâ, etc.

N. 19. Cæterum idem Damascenus in lib. contra Manichæos aliquantulùm ante finem distinguit primariam et secundariam voluntatem, et utramque sic explicat : « Primaria enim voluntas est id, quod quisquam

» ex seipso vult, secundaria autem id, quod earum rerum quæ continuo gunt causâ vult. » Ubi has duas voluntates ex ipsis rebus volitis definit : et ita concludit, in Deo voluntatem bonitatis, quæ est benefaciendi, esse primariam : quia ex nobis non capit occasionem ; voluntatem verò justitiæ esse secundariam, quæ ex nobis ortum habet : et occasione eorum, quæ accidunt, scilicet peccatorum, est : secundùm quam definitionem non solùm circa homines, sed etiam circa res omnes, secundùm varios status, ut ait S. Thomas, versari potest antecedens et consequens voluntas.

Cap. 4. n. 21. Inter voluntates antecedentes, primùm necessariò fatendum est, esse aliquas omninò absolutas et efficaces, si explicationem Damasceni, et S. Thomæ sequamur. Cùm enim ex eorum sententia voluntas antecedens respectu nostri sit, quæ ex solo Deo, nec ullo modo occasione nostrorum operum ortum habet, illa etiam erit antecedens, quâ Deus decrevit vocare nos hac aut aliâ vocatione, quæ omninò absoluta et efficax est. Sicut enim ex sua sola benignitate vocare voluit ; sic etiam nullo impediente in tempore vocat : nec talis voluntas vocandi unquam effectu caret : quamvis ipsa vocatio non semper voluntatem nostram moveat. Effectus enim voluntatis vocandi est vocare in tempore, id quod nunquam deest, si Deus vocare decrevit. Tum etiam, si vera est sententia aliquorum meritorum, efficaciter decrevisse dare prædestinatis gloriam, et ex voluntate vocasse, etc. et similiter nullâ præcognitâ determinatione voluntatis humanæ, solâ suâ benignitate definisse bona ipsius opera : hæc utraque voluntas antecedens dicenda est, quia ex sola voluntate Dei, non ex nobis ortum habet : utraque etiam prorsùs absoluta et absque ulla conditione, atque efficax erit.

N. 22. Nunc igitur controversia est de ea solùm voluntate antecedenti, quâ Deus vult ex seipso omnium etiam reproborum salutem, et vitam tranquillam in pietate et virtute, quæ in omnium sententia efficax non est ; cùm in multis non impleatur, efficax enim nunquam caret effectu. Hanc verò voluntatem permulti Scholastici, præsertim recentiores arbitrantur esse conditionatam, quam velleitatem quoque appellant : quòd ad objectum non absolutè, sed sub conditione consideratum referatur. Deus enim desiderat omnium salutem et justam vitam, si tamen ipsi velint : itaque cùm objectum illud sub conditione consideratum, solùm movet voluntatem ; actus qui est in illa, non est absolutus et perfectus, sed sub conditione etiam, quem conditionatam voluntatem seu velleitatem appellant, eo quòd verbo optativi modi, *vellem*, explicari solet.

N. 23. Cæterum... nullus potest esse actus voluntatis præsens, qui explicari non possit per verbum indicativi modi : imò ille qui explicatur per verbum optativi, *vellem*, non est aliquis actus, qui præsens sit, sed qui alioqui esset, si poneretur conditio. Quocirca nullus est actus voluntatis præsens, qui, ut talis est, non feratur in objectum absolutè bonum, si sit complacentiæ ; aut absolutæ malum, si sit displicentiæ.

N. 24. Sed objicies sicut intellectus fertur in rem sub conditione, et assensum habet circa illam, sic voluntas ferri posset. Respondeo primùm, si ferretur voluntas sicut intellectus, de actu utriusque eodem modo philosophandum esset, hoc est, sicut actus intellectùs præsens non explicatur per verbum optavivi, *intelligerem*, sed indicativi, *intelligo* ; sic et actus voluntatis explicandus esset, per *Volo*, non per *Vellem* ; nam sicut *intelligerem*, non significat actum nunc existentem, sic nec *vellem*.

N. 25. Deinde dico intellectum cùm considerat rem sub conditione, ibi etiam actu invenire suam entitatem et veritatem, in quam absolutè tunc fertur. Primùm est veritas in connexione antecedentis et consequentis sub conditione, quæ est actu objectum intellectùs ; præterea cùm considerat possibilia, ac si essent sub conditione futura, apprehendit entitatem illorum, et sibimet repræsentat eam, ac si præsens esset : sic etiam voluntas hoc pacto ferri potest in rem, (quæ ut existat, vel futura sit pendet ex conditione) quatenùs illa secundùm se bona est, et ita placere potest, ac si futura esset reipsâ : atque hac ratione movere potest voluntatem ad actum simplicis complacentiæ, qui per verbum indicativi modi, *Placet*, rectè explicatur : non per verbum optativi solùm, *Placeret*. Hic autem est simplex affectus complacentiæ, virtute tamen continens efficacem voluntatem, sed sub conditione.

N. 26. Hujus igitur rei explicandæ gratiâ notandum est primò, duplicem esse affectum voluntatis: quidam est simplicis solùm complacentiæ, aut displicentiæ, qui ex se inefficax est, veluti cùm alicui displicet, projicere merces in mare, et retinere placet, quas reverà projicit: et sicut Christo displicebat mori, et placebat conservare vitam secundùm se, cùm reverà ipse vellet se offerre morti. Similiter de complacentia dicendum est. Alter est affectus complacentiæ efficacis, qui ita tendit ad opus, ut ipsum efficiat: qualis est voluntas projiciendi merces in mare, et voluntas, quâ Christus se offerebat morti. Ergo cùm dicimus Deum habere voluntatem beneplaciti circa omnium salutem, gloriam et justificationem et justam vitam, non asserimus eam esse voluntatem et affectum efficacis, sed simplicis tantùm complacentiæ et inefficacis, non tantùm qui feratur in hæc omnia qualenùs possibilia, sed in ea etiam secundùm se, ac si futura essent et conjuncta ipsis hominibus. Sic enim sicut præsentia placerent, placent apprehensa secundùm se, ac si futura essent: et sicut respectu præsentium illa complacentia diceretur delectatio: sic etiam respectu futurorum dicitur desiderium: et ob id Chrysostomus dixit, esse flagrans Dei desiderium circa omnium salutem. Neque enim de ratione desiderii est, ut sit rei verè futuræ, aut existimatæ futuræ: nam earum rerum, quæ futuræ non sunt, et creduntur non futuræ, desiderium esse solet. Damnatus enim ad mortem, quam certissimè credit futuram, desiderat illam non fore: tametsi spes solùm sit rei, quæ existimatur et creditur futura: sed sufficit si quis apprehendat sibi rem aliquam per modum futuri, ut illius desiderium habere possit. Sic de Deo philosophamur, qui cùm certò sciat multos homines non salvandos, nec benè victuros; eorum tamen salus, et recta vita ita secundùm se et apprehensa ut futura, grata est et placet ipsi, ut eam humano more desiderare dicatur.

N. 27. Secundò pro hujus rei explicatione observandum est, voluntatem simplicis affectûs circa rem aliquam possibilem, cognitam ut possibilem, in nobis tunc esse inefficacem, quando complacentia non est rei secundum omnem considerationem; et aliqua complacentia opposili circa eamdem rem sub alia consideratione prævalet et major est: etiamsi utraque pars in nostra potestate sita sit... Sicut in Christo, cui mors displicebat sub una consideratione, ut malum naturæ erat, et sub eadem placebat vita, complacentia hæc, et displicentia erat inefficax, quia magis placebat sub alia consideratione mori, qualenùs scilicet erat in remedium generis humani, et in laudem Dei: ergo desiderium vitæ futuræ, erat tantùm simplex affectus, sed desiderium mortis majus erat; ac proindè contra prius illud efficax fuit. Idem patet in eo, qui projicit merces in mare, cui placet secundùm se retinere merces et displicet projicere, sed propter periculum magis placet projicere: ideò hæc posterior voluntas efficax est; illa verò prior inefficax.

N. 28. In Deo similiter intelligere debemus unam voluntatem ejusdem rei sub una consideratione prævalere et efficacem esse; alteram verò circa eamdem rem sub alia consideratione inefficacem esse, et ut simplicem tantùm complacentiam manere: non quòd in Deo sint varii actus intensiores et remissiores, validiores et minùs validi: est enim sola sua simplicissima essentia; sed ab affectu ita philosophamur, aut hac ratione Deum humano modo concipimus; quia scilicet videmus rem illam non fieri, eam tamen nihilominus Deo placere. Idem autem nec provenit ex coactione, nec ea impotentia, sed ex libera Dei voluntate; quod amplius à nobis in hac vita explicari nequit. Sic igitur cùm videamus Deo placere omnium salutem, et vitam tranquillam secundùm virtutem, et nihilominus non omnes salventur, nec omnes rectè vivant, cùm tamen Deus posset ita res disponere, ut omnes rectè viverent et salvarentur; consequenter dicimus, illam voluntatem circa omnium salutem et justam vitam esse tantùm simplicis complacentiæ, prævaluisse verò voluntatem aliam efficacem Dei, quâ voluit relinquere homines plures cum illis auxiliis, cum quibus sciebat non rectè victuros, et tandem condemnandos, atque ita voluisse eorum libertatem experiri. Ex hoc verò quòd non voluerit majora auxilia conferre, quibus sciebat benè operaturos, non convincitur noluisse, aut ei displicuisse omninò eorum salutem et rectam vitam.

N. 29. Tertiò majoris perspicuitatis gratiâ animadvertendum est, voluntatem simplicis affectûs, quæ sub ratione complacentiæ in se absoluta est, et explicatur per verba indicativi, *Placet*, et *Volo*, et versatur circa rem absque conditione, et secundùm se bonam, talis esse naturæ ut in se virtute contineat efficacem voluntatem, quæ actu non est, esset tamen si conditio poneretur, et ex hac parte conditionata dici potest: non quia actu feratur in objectum sub conditione, sed quia ex illa, quæ præsens est, alia oriretur, si conditio in objecto poneretur. In eisdem exemplis id manifestum est. Nam ita Christo placebat vita, et displicebat mors secundùm se, ut nisi præceptum obstaret, indè efficax oriretur voluntas, vel ipsamet efficax esset, ad vitandam mortem et conservandam vitam; ratione cujus efficacis voluntatis, quæ virtute continetur in simplici affectu et aliàs esset, dicimus, Christus vellet non mori, et vellet vivere, et fugeret mortem reipsà, nisi instaret præceptum moriendi, et nisi majus bonum ex morte ejus futurum videret. Et similiter, qui projicere vult merces, vellet efficaciter eas retinere, nisi instaret periculum quod magis movet. Eodem pacto Deus ita vult simplici affectu nostram salutem, et ea sic illi placet, ut nisi obstarent peccata, efficaciter vellet illam, et ita etiam nunc simplici complacentiâ ei accepta est vita secundùm virtutem et observationem præceptorum, ut si nos vellemus gratiæ vocanti respondere efficaciter vellet nobiscum concurrere. Ergo ratione hujus voluntatis implicitæ sub conditione, dicimus, Deum habere voluntatem conditionatam, seu (ut aiunt) velleïtatem: quamvis ipsa in se relata ad hæc objecta secundùm se, absoluta sit, ut explicatum manet.

N. 30. Quartò denique colligitur: nihil esse absurdi, si dicamus aliquam Dei voluntatem absolutam, simplicis tantùm complacentiæ, et inefficacem non impleri. Quòd enim aliquid placeat Deo, non statim necesse est fieri; sicut contrà, peccata facta displicent summopere Deo, et nihilominùs fiunt. Absurdum autem esset, concedere in Deo voluntatem, et propositum efficax faciendi rem aliquam, quod effectum non haberet: id enim in Deo impotentiam argueret: simplicem verò affectum non impleri semper, imò aliqua contra hanc voluntatem fieri, nihil imperfectionis in Deo est. Cæterum hinc tantùm infertur, Deum sinere operari cum libertate creaturas rationales ea, quæ sibi grata non sunt. Quod necessariò fatendum est. Eaque de causa Deum etiam efficaciter velle concurrere ad actum peccati secundùm esse naturæ, ut servet integram hominis libertatem; cùm tamen actus ille annexam habeat deformitatem moralem, quæ Deo summopere displicet. Similiter licèt desideret simplici affectu præcepta ab hominibus observari; non vult tamen efficaciter cum ipsis concurrere, quia ipsi nolunt gratiæ vocanti respondere. Ex quo ipsi non observant legem: id quod Deo displicet, ejusque oppositum placet.

Ad Paginam 284. *lin.* 31.

(H) S. AUG. *in Joan. Evang. cap.* 12. *Tractat.* 53. *n.* 6. *Non poterant credere, quia hoc Isaias Propheta prædixit* (*Joan.* XII. 39. *Isai.* VI. 9. 10.): hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per Prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, *et excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* (*Joan.* XII. 40.) Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Hoc omninò pietas religiosorum inconcussum debet inviolatumque servare, sicut Apostolus, cùm eamdem ipsam traclaret difficillimam quæstionem, *Quid ergo dicemus?* inquit. *Nunquid iniquitas apud Deum? absit* (*Rom.* IX. 14.)? Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum: sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, justè facit: quia omnia non temeritate, sed judicio facit. Porrò si judicia Sanctorum justa sunt, quantò magis sanctificantis, et justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta.

Contr. advers. Leg. et Proph. lib. 2. *cap.* 8. *n.* 29. Sed istis non placet, ut

Deus bonus mentes excæcet aliquorum. Non enim attendunt Salvatoris verba dicentis, *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* (*Joan.* IX. 39.) Ille igitur qui secundùm Apostolicam sententiam, *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Rom.* IX. 18.), procul dubio quem vult illuminat, et quem vult excæcat. Sed *non est iniquitas apud Deum* (*Ibid.* 14.), cui dicit Ecclesia, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* (*Psal.* C. 1.) Illuminat ergo misericordiâ, excæcat judicio, utique æquissimo, etsi occultissimo. *Inscrutabilia enim sunt judicia ejus.* (*Rom.* XI. 33.) Cui tamen dicitur, *sedisti super thronum qui judicas æquitatem.* (*Psal.* IX. 5.).

S. GREGOR. MAGN. *Moral. Lib.* 11. *in cap.* XII. *B. Job. n.* 13. Dicatur ergo: *si incluserit hominem, nullus est qui aperiat* (*v.* 14.); quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est, clausis non aperire. Undè et ad Moysen dicitur de Pharaone: *Ego obdurabo cor ejus.* (*Exod.* IV. 21. VII. 3.) Obdurare quippè per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit.

S. ISID. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de Gratia, cap.* 5. Obdurare quid? Auferre Deus dicitur homini donum aliquod, quod homo non habuit, id est, quod accipere non meruit. Sicut et obdurare dicitur Deus hominem, non ejus faciendo duritiam, sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutrivit. Non aliter et obcæcare dicitur quosdam Deus, non ut in eis eamdem ipse cæcitatem faciat: sed quòd pro eorum inutilibus meritis cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat.

Venerab. BEDA *in Epist. ad Rom. cap.* 8. *pag.* 178. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX. 30.)? Quærimus enim meritum obdurationis et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est. Nec obdurat Deus impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: ac potiùs ut non impartiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est: ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præcessisse; in qua esset meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem? *Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit* (1. *Cor.* IV. 7.)? Sicut non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Dei, nisi secundùm propheticum eloquium accepisset spiritum sapientiæ et intellectûs, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Dei (*Isai.* XI. 2. *et* 3.); sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit Apostolus: "*Non enim accepimus spiritum timoris, sed virtutis et charitatis, et continentiæ* (1. *Tim.* I. 7.); ita non haberet fidem, nisi accepisset spiritum fidei. De quo ipse dicit (2. *Cor.* IV. 13.): *Habentes autem eumdem Spiritum fidei, secundùm quod scriptum est* (*Psal.* CXV. 10.): *Credidi propter quod et locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur.* Non autem merito accepi, sed misericordiâ ejus, qui *cujus vult miseretur* (*Rom.* IX. 18.), manifestissimè ostendit, ubi de seipso ait: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* (1. *Cor.* VII. 25.)

S. BERN. Abbat. *in Cant. serm.* 23. *n.* 12. est item locus, de quo super rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat secretissima et severissima animadversio justi judicis Dei, *terribilis in consiliis super filios hominum.* (*Psal.* LXV. 5.) Cernitur, inquam, à timorato contemplatore hoc loco Deus, justo, sed occulto judicio suo, reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona; insuper et corda indurans, ne forte doleant, et resipiscant, et convertantur, et sanet eos. (*Isaï.* VI. 10.) Et hoc non absque certa et æterna ratione, quod tantò formidolosius constat esse, quantò immobilius fixum stat in æternitate.

N. 15. Felix qui dicere potest: *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* (*Ps.* CXVIII. 63.) Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala et remunerans bona: ut miro modo eis non modò bona, sed et mala cooperentur in bonum. O solus verè *beatus, cui non imputabit Dominus peccatum!* (*Ps.* XXXI. 2.) Nam qui non habuerit peccatum? Nemo. *Omnes* enim *peccaverunt, et* omnes *egent gloriâ Dei.* (*Rom.* III. 23.) *Quis accusabit* tamen

adversùs electos Dei? (*Rom.* VIII. 33.) Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est: hominis justitia, indulgentia Dei. Vidi hæc, et intellexi illius sententiæ veritatem: * *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: quia generatio cœlestis servat eum.* (1. *Joan.* III. 9.) Generatio cœlestis æterna prædestinatio est, quâ electos suos Deus dilexit et gratificavit in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem.

ADAM. Præmonst. *lib.* 4. *de tripl. gen. contempl. Part.* 2. *cap.* 5. *pag.* 464. *O terribilis Deus in consiliis super filios hominum!* (*Ps.* LXV. 5.) O, inquam, terribilis in reprobis! Teque in eos valde terribilem prædicant, et bonitatis eorum (si quæ tamen est) despectio, et pravitatis nulla oblivio, et cæci cordis eorum obduratio. Quorum pravam voluntatem ita moderaris occultus, et justus, omniaque suaviter disponens omnipotens Deus; ut quæ contra te injustè conatur, occultè secundùm te disponatur. Quæ et si displicet in eo, quòd mala, et injusta est: placet tamen in eo, quòd disposita, et ordinata est. Moderaris eam, Domine Deus, modis quatuor: vel termino naturaliter collatæ potestatis, vel miraculo temporaliter illatæ possibilitatis, vel obstaculo extrinsecùs exhibitæ difficultatis, vel judicio intrinsecùs operantis dispositionis.

PETRI LOMBARDI Episc. Paris. *Sent. lib.* 1. *Distinct.* 40. *Quid sit prædestinatio, et in quo differat à præscientia.* Prædestinatio verò de bonis salutaribus est, et de hominibus salvandis; ut enim ait August. in lib. de prædestinatione Sanctorum, Prædestinatio est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia esse non potest. Potest autem sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: sed præscivit Deus etiam quæ non esset ipse facturus, id est, omnia mala. Prædestinavit eos quos elegit, reliquos verò reprobavit, id est ad mortem æternam præscivit peccaturos.

An aliquis Prædestinatorum possit damnari, vel reproborum salvari. Prædestinatorum nullus videtur posse damnari, nec reproborum aliquis posse salvari. Undè August. in Libr. de correctione et gratia: « In Apocalypsi, inquit, dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* » (*Apoc.* III. 11.) Si alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est electorum numerus, id est, non potest augeri vel minui. » Ad hoc autem objiciunt quidam, nitentes probare numerum electorum posse augeri et minui, sic: Posset Deus non apponere gratiam quibus apponit, et posset subtrahere quibus non subtrahit: quod si faceret utique damnarentur. Possent ergo damnari isti, qui tamen salvabuntur: posset itaque minui electorum numerus: ita etiam posset augeri, quia posset apponi gratia, quibus apponitur, per quam salvarentur. Possent ergo salvari habità gratiâ, qui tamen sine ea damnabuntur: posset itaque augeri numerus electorum. Quibus respondemus ex ea ratione dictum esse, et verum esse, numerum electorum non posse augeri vel minui, quia non potest utrumque simul esse: scilicet, ut aliquis salvetur et non sit prædestinatus, vel ut aliquis prædestinatus sit et damnetur. Intelligentia enim conditionis implicitè veritatem facit in dicto, et impossibilitatem in vero. Si verò simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur: ut cùm dicitur, prædestinatus potest vel non potest damnari, et reprobus potest salvari. In his enim et hujusmodi locutionibus, ex ratione dicti dijudicanda est sententia dictionis.

Et paulò post. Ex quo enim aliquid factum est vel dictum, non concedunt, quòd possit non esse vel fuisse: imò impossibile est non esse vel non fuisse, quod factum est vel dictum; referentes possibilitatem vel impossibilitatem ad naturam rei existentis. Cùm verò de præscientia vel prædestinatione Dei agitur, possibilitas vel impossibilitas ad potentiam Dei refertur, quæ semper eadem fuit et est: quia prædestinatio, præscientia, potentia, unum in Deo est.

Quid sit reprobatio Dei, et in quibus consideretur; et quis sit prædestinationis effectus. Cùmque prædestinatio sit gratiæ præparatio, id est, divina electio, quâ *elegit* quos voluit *ante mundi constitutionem*, ut ait Apostolus (*Ephes.* I. 4.): Reprobatio è converso intelligenda est præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem. Sicut enim

prædestinationis effectus illa gratia est, quâ in præsenti justificamur, atque ad rectè vivendum, et in bono perseverandum adjuvemur, et illa quâ in futuro beatificamur; ita reprobatio Dei, quâ ab æterno non eligendo quosdam reprobavit, secundùm duo consideratur: quorum alterum præscit et non præparat, id est iniquitatem; alterum præscit et præparat, scilicet æternam pœnam. Undè Aug. ad Prosperum et Hilarium: « Hæc, inquit, regula inconcussè tenenda est, peccatores in pec- » catis præscitos esse, non præparatos, pœnam autem esse præparatam. » Præparavit enim Deus, ut ait Aug. in libr. de bono perseverantiæ, in præscientia sua, quibus voluit bona sua: et quibuscunque donat proculdubio se donaturum esse præscivit. « Præparavit etiam Deus, ut ait Ful- » gentius, malis ignem æternum: illis utique, quos justè præparavit ad » luenda supplicia, nec tamen præparavit ad facienda peccata. » Præparavit enim Deus, quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas admitteret. Non enim sicut præparavit sanctos ad justitiam percipiendam, sic præparavit iniquos ad justitiam amittendam: quia pravitatis præparator nunquam fuit. Sicut ergo prædestinatio Dei propriè est, *præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur* (*Aug. Lib. de bono persev. cap.* 14.); ita reprobatio Dei est præscientia malitiæ in quibusdam non defuturæ, et præparatio pœnæ non terminandæ. Et sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ quodammodo effectus esse videtur obduratio. « Nec obdurat Deus, (ut ait Aug. ad Sixtum *Epist.* 10.), impartiendo » malitiam, sed non impartiendo gratiam, sicut nec digni sunt. Quibus » enim non impartitur, nec digni sunt, nec merentur: potiùs ut non » impartiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. » Undè Apostolus ait: *Cujus vult miseretur Deus, et quem vult indurat* (*Rom.* IX. 18.); misericordiam appellans prædestinationem, et præcipuè prædestinationis effectum, id est gratiæ appositionem: obdurationem verò, gratiæ privationem. « Non » enim (ut ait Aug. ad Simplicianum), intelligendum est, quòd Deus » ita induret, quasi quemquam peccare cogat: sed tamen quibusdam » peccatoribus misericordiam justificationis suæ non largitur, et ob hoc » eos indurare dicitur, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut » peccent. » Eorum autem non miseretur, quibus gratiam non præbendam esse æquitate occultissimâ, et ab humanis sensibus remotissimâ judicat: quam non aperit, sed miratur Apostolus dicens, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* (*Rom.* XI. 33.)

Utrum aliquod sit meritum obdurationis et misericordiæ. Distinct. 41. Si autem quærimus meritum obdurationis et misericordiæ, obdurationis meritum invenimus, misericordiæ autem meritum non invenimus: quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia evacuetur, si non gratis donetur, sed meritis redditur. Miseretur itaque secundùm gratiam, quæ gratis datur: obdurat autem secundùm judicium, quod meritis redditur. Undè datur intelligi, ut sicut reprobatio Dei est nolle misereri: ita obduratio Dei sit non misereri: ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior erogetur. Ex his apertè ostenditur quid misericordiam, quid obdurationem intellexerit Apostolus. Et quia misericordia nullum advocat meritum, obduratio verò non est sine merito et misericordiæ verbo. Hîc accipitur prædestinatio et præcipuè prædestinationis effectus: obdurationis verò non ipsa Dei æterna reprobatio, quia ejus nullum est meritum, sed gratiæ privatio sive subtractio, quæ quodammodo est reprobationis effectus. Accipitur tamen aliquando reprobatio pro obduratione, sicut et prædestinatio pro suo effectu, cui est gratia apposita. Gratia enim quæ apponitur, effectus est prædestinationis. Cùm ergo gratiæ quæ apponitur homini ad justificationem, nulla sint merita, multò minùs et ipsius prædestinationis, quâ ab æterno elegit Deus quos voluit, aliqua possunt existere merita. Ita nec reprobationis, quâ ab æterno quosdam præscivit futuros malos et damnandos, sicut elegit Jacob et reprobavit Esaü, quod non fuit pro meritis eorum quæ tunc habebant, quia nulla habebant, quoniam nec ipsi existebant: nec propter futura merita quæ prævideret, vel illum elegit, vel illum reprobavit.

Opinio quorumdam, in qua fuit aliquando Augustinus, sed postea retractavit. Opinati sunt tamen quidam, Deum ideò elegisse Jacob, quia talem

futurum præscivit, qui in eum crederet, et ei serviret, quod aliquando August. se sensisse dicit in libro Retractationum (*Lib.* 1. *cap.* 23.), ubi apertè osteudit, quòd si propter futura merita electus esset, jam non ex gratia esset electio. Non ergo ideò electus est à Deo, quia talis futurus erat, sed ex tali electione talis est factus: ita dicens, « Disputans ergo » quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum esse majorem, » et quid in eodem majore similiter nondum nato reprobaverit: ad hoc » perduxi ratiocinationem, ut dicerem, non ergo elegit Deus opera cujus- » quam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præ- » scientia: et quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegit cui Spi- » ritum sanctum daret, ut bona operando, etiam æternam vitam conse- » queretur. » Ecce hic apertè dicit, non propter opera eum elegisse, sed propter fidem quà eum prævidit crediturum; sed quia et in fide meritum est, siculi et in operibus, hoc retractavit dicens: « Noudum diligentiùs » quæsiveram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, de quà » dicit Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ fient* (*Rom.* XI. 5.); » quæ utique non ex gratia, si ex meritis procedit: ut jam quod datur » non secundùm gratiam, sed secundùm debitum reddatur potiùs meritis » quàm donetur: perindè quod continuè dixi, Dicit enim idem Apostolus, » *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus.* (1. *Cor.* XII. 6.) Nunquam au- » tem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. » Ac deindè subjunxit: » Quod ergo credimus, nostrum est: quod verò bonum operamur, illius » est qui credentibus dat Spiritum sanctum. Sed hoc profectò non dice- » rem, si scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dan- » tur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium » voluntatis; et utrumque datum est per spiritum fidei et charitatis. Et » quod paulò post dixi, Nostrum enim est credere et velle, illius autem » dare credentibus et volentibus facultatem benè operandi per Spiritum » sanctum, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus nostris (*Rom.* » V. 5.); verum est quidem, sed eadem regula est. Et utrumque ipsius » est, quia ipse præparat voluntatem; et utrumque nostrum, quia non » fit nisi volentibus nobis: ergo et meritum fidei de misericordia Dei » venit. » Non ergo propter fidem vel aliqua merita elegit Deus aliquos ab æterno, vel apposuit gratiam justificationis in tempore, sed gratuitâ bonitate elegit ut boni essent. Undè Aug. Lib. de prædest. Sanct. (*Cap.* 18.) « Non quia futuros nos tales esse præscivit, ideò elegit; sed ut essemus » tales per ipsam electionem gratiæ suæ, quâ gratificavit nos in dilecto » filio suo. »

Elegit ergo eos quos voluit gratuitâ misericordiâ, non quia fideles futuri erant, sed ut fideles essent; eisque gratiam dedit, non quia fideles erant, sed ut fierent: ait enim Apostolus, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (1. *Cor.* VII. 25.); non ait, quia fidelis eram. Datur quidem et fideli, sed data est etiam priùs ut esset fidelis. Ita etiam reprobavit quos voluit: non propter futura merita quæ prævideret veritate tamen rectissimâ, et à nostris sensibus remotâ.

Quæstio. Sed quæritur, utrum sicut dicitur elegisse quosdam ut boni fierent et fideles, ita etiam concedi debeat reprobasse quosdam ut mali essent et infideles, et obdurare ut peccent: quod nullatenus concedi oportet. Non enim reprobatio ita est causa mali, sicut prædestinatio est causa boni: neque obduratio ita facit hominem malum, quemadmodum misericordia facit bonum.

S. THOM. 1. *part. quæst.* 23. *art.* 2. Sed contrà est, quod Aug. dicit ut sup. quòd *prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei:* sed præscientia non est in præscitis, sed in præsciente: Ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in prædestinante.

Conclusio. *Sicut providentia est ratio ordinis rerum in finem in mente provisoris existens, et non in rebus provisis; ita prædestinatio tantùm in mente divina ponit rationem ordinis electorum.*

Respondeo dicendum quòd prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantùm. Dictum est enim quòd prædestinatio est quædam pars providentiæ. Providentia autem non est in rebus provisis, sed est quædam ratio in intellectu provisoris... Sed executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, passivè quidem est in gubernatis, active

autem est in gubernante : undè manifestum est quòd *prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente divina existens :* Exsecutio autem hujus ordinis est passivè quidem in prædestinatis, activè autem est in Deo : Est autem exsecutio prædestinationis *vocatio et magnificatio*, secundùm illud Apostoli (*ad Rom.* VIII.) *Quos prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et magnificavit.*

Art. 3. Sed contrà est, quod dicitur (*Malach.* I. 2. *et* 3.) *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.*

Conclusio. *Cùm ad divinam providentiam pertineat aliquos permittere à vita æterna deficere, ad eam pertinet etiam aliquos consequenter reprobare.*

Respondeo dicendum quòd Deus aliquos reprobat. Dictum enim est suprà, quòd prædestinatio est pars providentiæ : ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quæ providentiæ subduntur... Undè cùm per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam ut permittat aliquos ab isto fine deficere : Et hoc dicitur *reprobare.* Sic igitur sicut prædestinatio est pars providentiæ, respectu eorum qui divinitùs ordinantur in æternam salutem ; ita reprobatio est pars providentiæ, respectu illorum qui ab hoc fine decidunt : undè reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed aliquid addit secundùm rationem, sicut et providentia.... Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa.

Ad primum ergo, dicendum quòd Deus omnes homines diligit, et etiam omnes creaturas in quantum omnibus vult aliquod bonum ; non tamen quodcunque bonum vult omnibus : in quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.

Ad secundum, dicendum quòd aliter se habet reprobatio in causando, quam prædestinatio. Nam prædestinatio est causa, et ejus quod exspectatur in futura vita à prædestinatis (scilicet gloriæ), et ejus quod percipitur in præsenti ; scilicet gratiæ : Reprobatio verò non est causa ejus quod est, in præsenti, scilicet culpæ ; sed est causa derelictionis à Deo : Est tamen causa ejus quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ : sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, et à gratia deseritur : Et secundùm hoc verificatur dictum Prophetæ ; scilicet, *Perditio tua Israël ex te.* (*Osee.* XIII. 9.)

Ad tertium, dicendum quòd reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati : undè cùm dicitur quòd reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundùm impossibilitatem absolutam, sed secundùm impossibilitatem conditionatam ; sicut suprà dictum est, quòd prædestinatum necesse est salvari necessitate conditionatâ, quæ non tollit libertatem arbitrii. Undè licèt aliquis non possit gratiam adipisci qui reprobatur à Deo, tamen quòd in hoc peccatum vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit : undè et meritò ei imputatur in culpam.

Art. 4. Sed contrà est, quod dicitur (*Ephes.* I. 4) : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

Conclusio. *Omnes à Deo prædestinati sunt electi et dilecti ; cùm prædestinatio electionem, et electio dilectionem sequatur.*

Respondeo dicendum quòd prædestinatio secundùm rationem præsupponit electionem, et electio dilectionem. Cujus ratio est : Quia prædestinatio, ut dictum est, est pars providentiæ : Providentia autem sicut et prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem ; ut suprà dictum est : Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis : Undè prædestinatio aliquorum in salutem æternam, præsupponit secundùm rationem quòd Deus illorum velit salutem : ad quod pertinet electio et dilectio : *Dilectio* quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ : nam diligere est velle alicui bonum... *Electio* autem, in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cùm quosdam reprobet... *Electio* tamen et dilectio aliter ordinantur in nobis et in Deo : Eò quòd in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitamur ad diligendum ; et

Ideò eligimus aliquem, quem diligamus; et sic electio dilectionem præcedit in nobis: In Deo autem est è converso: nam voluntas ejus, quâ vult bonum alicui diligendo, est causa quòd illud bonum ab eo præ aliis habetur: Et sic patet quòd dilectio præsupponitur electioni secundùm rationem, et electio prædestinationi: undè omnes prædestinati sunt *electi et dilecti.*

Art. 6. Sed contrà est quòd super illud (*Rom.* VIII. 29.) *Quos præscivit, hos et prædestinavit, etc.* dicit Glossa: *Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quâ certissimè liberantur quicunque liberantur.*

Conclusio. *Prædestinatio non ita certa est, quòd prædestinatis necessitatem imponat; sed sicut stante infallibili providentiæ ordine multa contingenter eveniunt, ita certus est prædestinationis ordo, quòd juxta arbitrii libertatem prædestinationis effectus contingenter eveniunt.*

Respondeo dicendum, quòd prædestinatio certissimè et infallibiliter consequitur suum effectum: nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat: Dictum est enim suprà quòd prædestinatio est pars providentiæ: sed non omnia quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt; sed quædam contingenter eveniunt, secundùm conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit: Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut suprà ostensum est: sic igitur et ordo prædestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus.

Ad Paginam 285. *lin.* 2.

(1) ROM. IX. 6. Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: 7. neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: 8. id est, Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est; Secundùm hoc tempus veniam: et erit Saræ filius. (*Genes.* XVIII. 10.) Non solùm autem illa: sed et Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundùm electionem propositum Dei maneret,) 12. non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: 13. Quia major serviet minori (*Genes.* XXV. 23.), sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaũ autem odio habui. (*Malach.* I. 2. *et* 3.) 14. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moïsi enim dicit: Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor. (*Exod.* XXXIII. 19.) 16. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra. (*Exod.* IX. 16.) 18. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit? 20. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? 22. Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, 23. ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. 24. Quos et vocavit nos non solùm ex Judæis, sed etiam ex gentibus, 25. sicut in Osee dicit (II. 24.): Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit: in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos (*Osee.* I. 18.): ibi vocabuntur filii Dei vivi.

ROM. XI. 1. Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abrahæ, de tribu Benjamin: 2. non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversùm Israel? 3. Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. (3. *Reg.* XIX. 10.) 4. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. (*Ibid.* 18.) 5. Sic ergo et in hoc tempore reli-

quiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia. 7. Quid ergo ? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est : cæteri verò excæcati sunt : 8. sicut scriptum est (*Isai.* VI. 9. *et* XXIX. 10. *Matth.* XIII. 14. *Joan.* XII. 40. *Act.* XXVIII. 26.) ; Dedit illis Deus spiritum compunctionis : oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. 9. Et David dicit : fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. (*Ps.* LXVIII. 23.) 10. Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva. 11. Dico ergo : Nunquid sic offenderunt ut caderent ? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur. 12. Quòd si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium : quantò magis plenitudo eorum .. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ? 16. Quòd si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami. 17. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es, 18. noli gloriari adversùs ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. 20. Benè : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne fortè nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu exciderís. 23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterùm inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam : quantò magis ii, qui secundùm naturam inserentur suæ olivæ ? 25. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc : (ut non sitis vobis ipsis sapientes (*Prov.* III. 7.) quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret. 26. Et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est (*Isai.* LIX. 20.) : Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem à Jacob.... 29. Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum : 31. ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam ut et ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur.

S. Aug. *Epist.* 194. *aliàs* 105. *ad Sixtum cap.* 7. *n.* 32. Cur ergo in Regnum cœlorum, non accepto regenerationis lavacro, parvulus nullus intrabit ? Nunquidnam ipse sibi parentes infideles vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit ? Quid dicam de inopinatis, et repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpè etiam religiosorum Christianorum præveniuntur et baptismo præripiuntur infantes, cùm è contrario sacrilegorum et inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent ? Quid hîc dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus ? Quæ tandem hîc merita præcesserunt ? Si eorumdem cogitaveris parvulorum, nulla sunt propria, utriusque est illa massa communis. Si parentum attenderis, bona sunt illa quorum filii repentinis mortibus sine Christi Baptismate perierunt : mala verò illa quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad sacramenta Ecclesiæ pervenerunt : et tamen providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt (*Matth.* X. 30.), sine cujus voluntate non cadit passer in terram (*Ibid.* 29.), quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ullâ iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit etiam parvulis impiorum ? Iste infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitiâ parentum susceptus, matris vel nutricis somnolentiâ suffocatus fit extorris et expers fidei suorum : ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christianâ sollicitudine bâptizatur, fit æterni consors et particeps regni. Ista cogitent, ista considerent, hîc audeant dicere Deum vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum.

N. 33. Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissimà adversentur insaniâ. Sinant Filium hominis in qualibet ætate quærere, et salvum facere quod perierat. (*Luc.* XIX. 10.) Nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus.

Cap. 8. *n.* 34. Qui enim sunt isti qui respondeant Deo, quandoquidem (*Rom.* IX. 10. *et seq.*) ille Rebeccæ habenti « geminos ex uno concubitu » Isaac patris nostri, cùm illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, » ut secundùm electionem propositum ejus maneret, » electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem quâ eligendos facit ipse, non invenit: *non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori serviturum esse majorem.* (*Gen.* XXV. 23.) In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit; *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* (*Malach.* I. 2. *et* 3.); ut intelligeretur hoc apertum posteà per Prophetam, quòd antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? et quid oderat in Esaü antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat.

N. 39. Atque ut in vasis, quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa, ex eadem massa in honorem facta quid eis misericordia divina largita sit; *dicit enim*, inquit (*Rom.* IX. 17.) *Scriptura ad Pharaonem. Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut glorificetur nomen meum in universa terra.* Denique ad utrumque concludit: *ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Ibid.* 18.); hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem justissimo merito.

S. PROSPER. *De ingratis, part.* 3. *cap.* 30.

Sed qui judicium arbitrii meritumque tueris,
Quique hominum studiis adscribis dona vocantis,
Infantum discerne animos, et dissere quales
Affectus, qualesque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, et libertate volendi
Instrue vix auræ tenuis lactisque capaces.
Nulla tibi arbitrii respondent signa, nec ullis
Dissociare pares meritis potes: omnibus una est
Natura, et pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, et rursùm genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.

Cap. 31.

Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videas multos sanctis genitoribus ortos
Nullo salvari studio potuisse suorum:
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem vitæ cœlesti traderet aulæ.
Quid si diversum hunc finem quo gratia Christi
Unum alio pereunte legit, donatque salute
In geminis etiam videas? quod dividis uno
Tempore conceptos atque uno tempore natos,
Non ullos potes arbitrii prætendere motus.
Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar.
Sed Deus et tales discernit, quo magè Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei et meriti....

Ad Paginam 285. *lin.* 9.

(K) Hebr. vi. 4. (*Matth.* xii. 45. *Hebr.* x. 26. 2. *Petr.* ii. 20.) Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti. 5. Gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, 6. et prolapsi sunt; rursùs renovari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.... 9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. 10. Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri. 11. Cupimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem: 12. ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones.

x. 15. Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: 16. (*Jer.* xxxi. 33.) Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus: dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas: 17. et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs. 18. Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato. 19. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, 20. quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, 21. et Sacerdotem magnum super domum Dei: 22. accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, et abluti corpus aquâ mundâ, 23. teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis enim est qui repromisit, 24. et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum: 25. non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tantò magis quantò videritis appropinquantem diem. 26. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, 27. terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. 28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. 29. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 30. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam (*Deut.* xxxii. 35.): et iterùm, Quia judicabit Dominus populum suum. (*Ibid.* 36.) 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. 32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum.... 35. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. 36. Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. 37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit. 38. Justus autem meus ex fide vivit (*Habac.* ii. 4.): quòd si substraxerit se, non placebit animæ meæ: 39. nos autem non sumus substractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

Ad Paginam 285. *lin.* 14.

(L) S. Aug. *de Nat. et Grat. cap.* 26. *n.* 29. Mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus; quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus... Ipse autem Deus, cùm per mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cùm ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic et homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.

S. Prosper. *Resp.* 3. *ad Cap. Gall.* Sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, et relicti sunt, et ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt.

Resp. 15. *art.* 7. Quamvis enim omnipotentia Dei polluerit vires standi præbere lapsuris : gratia tamen ejus non priùs eos deseruit, quàm ab eis desereretur.

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *cap.* 11. Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.

Ad Paginam 283. *lin.* 17.

{ M } CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *Decret. de justific. cap.* 12. Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio, usque adeò præsumere debet, ut certò statuat se omninò esse in numero prædestinatorum : quasi verum esset, quòd justificatus aut ampliùs peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat : nam, nisi ex speciali revelatione, scire non potest quos Deus sibi eligerit.

Cap. 13. Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x. 22.) ; quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere (*Rom.* xiv. 4.), ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere : nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur ; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. (*Philip.* ii. 13.) Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant (1. *Cor.* x. 12.) ; et cùm timore ac tremore salutem suam operentur (*Philip.* ii. 12.) in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, et oblationibus, in jejuniis, et castitate. Formidare enim debent, scientes quòd in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti, *debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus : si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* (*Rom.* viii. 12. *et* 13.)

S. AUG. *de dono Perseverant. cap.* 8. *n.* 19. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum ; ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus : *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* (1. *Cor.* x. 12.) Voluntate autem suâ cadit, qui cadit ; et voluntate Dei stat, qui stat : *potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* xiv. 4.) : non ergo se ipse, sed Deus. Verumtamen bonum est non altum sapere, sed timere. (*Rom.* xi. 20.) In cogitatione autem sua vel cadit quisque, vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod in libro superiore memoravi, *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (2. *Cor.* iii. 5.) Quem secutus et beatus Ambrosius audet et dicit : *non enim in potestate nostra cor nostrum, et nostræ cogitationes.* Quod omnis qui humiliter et veraciter pius est, esse verissimum sentit.

Concio DOCTOR. ORONSUSP. NAVAR. *ad Patr. Concil. Trident. pag.* 1620. *Tom.* 14. *Concil. Labb.* Quemadmodum enim noluit Deus nos scire, num prædestinati vel reprobati simus, ne in securitatem carnalem aut ignaviam, vel potiùs in desperationem labamur, sed volnit nos continuò versari inter spem et metum : hinc jubet Divus Paulus ut cum timore et tremore operemur salutem. (*Philip.* ii. 12.)

Ad Paginam 285. *lin.* 18.

{ N } S. IGNATIUS *Epist. ad Smirnæos, n.* 11. Cupientibus vobis benè facere, Deus largiri paratus est.

S. EPHREM. *de compunct. serm.* 3. *initio.* Semper bona præstas petentibus. Et quia ipse mecum assiduè immensa tua remedia, ac dona optima quæ singulis mihi diebus impertiris, experior : Propterea confidenter te Christe Deus meus clementissime, supplex exoro, ut gratia tua super me jugiter veniat, quæ mentem meam variis distractam colligat, occultaque rursùs mea vulnera sanet.

EUSEB. CÆSARIENS. *Comment. in Psal.* xcii. *pag.* 660. *Deus* propriâ cle-

mentiâ, misericordiâ et miserationibus usus, quia nemo ex operibus justificatur, adoptionis te gratiâ coronavit. In summa hic te peccatorum veniâ donavit, morborum animi medelam tribuit, necnon spem resurrectionis, pignus spiritûs : ac te incorruptionis veste induit, gratiâ suâ salvum fecit. Nam gratiæ et clementiæ corona est. Atque hæc omnia, dotalia sponsi munera et dona sunt : sponsa quippe solam fidem obtulit. Neque solùm illis, sed etiam spiritualibus bonis te replevit : sive etiam tuo in bonis desiderio satisfecit, qui frigidam animam repudiat, bona verò petentibus se tribuit.

S. JOAN. CHRYSOST. *ad pop. Antioch. Homil.* 21. *ad illumin. pag.* 266. Oporteat priùs pœnituisse, et à prioribus destitisse malis, et sic ad gratiam accedere... Nec hoc tantùm est admirabile, quòd nos Deus omnibus incursibus inexpugnabiles fecit : verùm et quòd ad omnem virtutis operationem nos aptos paravit : et impedimentum nullum est, si velimus, licet pauperes simus, sive corpore imbecilles, sive abjecti, sive ignobiles, sive servi. Nec enim paupertas, nec imbecillitas, nec corporis diminutio, non servitus, non aliud talium quippiam, ad virtutem impedimentum esse queat. Et quid dico pauperem, et servum, et ignobilem ? Etiamsi captivus sis, nec hoc tibi ad virtutem impedimentum esset. Et quo id modo sit, dicam. Quidam domesticorum te contristavit, et irritavit, ipsi iram remitte. Nunquid tibi ad hoc vincula et paupertas, et ignobilitas impedimentum afferunt ? Et quid dico impedimentum ? potiùs adjuvant : namque et cooperantur ad superbiam comprimendam... Nec enim ista exteriorum indigent auxiliorum. Et hoc est virtutis maximum, quod non divitiis, non potentiâ, non gloriâ, non aliâ quapiam talium rerum opus habet, sed animâ tantùm sanctificatâ, et nil ampliùs inquirit. Respice verò et in gratia hoc ipsum fieri ; sive quis enim claudicet, et evulsis sit oculis, et corpore diminutus, sive in extremam delapsus infirmitatem, ab horum nullo gratia venire prohibetur. Animam enim exquirit solam se cum alacritate suscipientem, et hæc omnia prætercurrit... Et hæc sola à nobis Deus exigit, quorum nos domini sumus, et valdè congruè : non enim propter propriam utilitatem, sed propter beneficentiam nos ad suam gratiam vocat.

JOAN. HIEROS. *Comment. in Matth. cap.* 5. *pag.* 152. Qui autem secundùm fidem humiles sunt, et intelligentes, dum nimis timent de se, adjutorium Dei pulsare non cessant.

Cap. 7. *pag.* 185. Gratiâ vos prosequente, petite precibus die ac nocte orantes. Quòd si misericordiam suam protraxerit Deus ad tempus, volens tentare constantiam fidei tuæ ; tu à petitionibus tuis non recedas. Sicut enim qui verè esurit, tandiu petit cibum, donec impleat necessitatem corporis sui ; non potest cessare, necessitas enim urget, quia sine cibo vivere non potest. Ita et qui verè desiderat gratiam Dei, cessare non potest à petendo ; sciens quia salvus fieri non potest sine gratia Dei... Qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. Scriptum est enim : *Concupisce sapientiam, serva justitiam, et Deus præbebit eam tibi* (*Eccli.* I. 33.) : sed quid dicis ? Hoc ipsum peto, ut sciam et faciam ; et quomodo possum facere priusquam accipiam ? Etiam quod potes fac, ut amplius possis : et quod scis serva, ut ampliùs scias. Justitia enim ipsa se operatur, et ipsa se manifestat. Quomodo ? Dum tu justitiam operaris in te, justitia te operatur in se.

Homil. in Psal. CIX. *pag.* 436. Hoc est sacrificium, hoc oblatio ; Dei beneficia habere perpetuò in memoria, eaque menti suæ imprimere ; et ore prædicare, et facere ut ejus beneficia à multis audiantur. Nam et qui beneficium acceperit, pro grato animo mercedem accipiet ; et majus Dei in se auxilium attrahet ; et qui audiunt, ex iis quæ aliis facta sunt, evadent meliores : et ad virtutem persequendam accipient maximum incitamentum ex beneficiis, quæ ab aliis accepta sunt.

P. N. MACAR. Senior Ægypt. *Homil.* 17. *pag.* 129. *Tom.* 4. *Biblioth. PP. Lugd.* Nemo sanæ mentis dicere audeat, Prorsùs liberatus sum à peccato, quia mecum adest gratia. Atqui duæ personæ suam vim exercent in mente. Cæterùm qui rerum sunt imperiti, cùm modicum quippiam operata sit in illis gratia, se jam vicisse arbitrantur, et perfectos esse Christianos. Ego verò sic rem se habere puto. Quemadmodum cùm sol in cœlo

lucet per aëra purum accedentibus circa eum nubibus ac solem operientibus, crassior efficitur aër, sol tamen ipse qui interiùs latet, quantùm ad lumen et substantiam suam, nullo modo læditur: hoc se modo habent qui nondum plenè sunt purificati, qui quidem cùm gratiam Dei possident, imis tamen peccato tenentur, habentque motus naturales, licèt firmæ sint cogitationes erga Deum, utpote à parte boni nondum plenè stantes. Sic è diverso, qui secundùm ima bono gratiæ muniti sunt, servi tamen sunt et obnoxii cogitationibus improbis ac parti vitiosæ. Quare permultà discretione opus est, ut experientiæ beneficio cognoscat quispiam hæc ita se habere. Dico tibi, quòd etiam Apostoli qui Paracletum habebant, non erant planè securi. Nam cum gaudio et exultatione, aderat timor et tremor ab ipsa gratia procedens, non ex parte vitiosa: sed ipsa gratia protegebat illos, ne vel tantillùm diverterent. Quemadmodum si quis frustulum lapidis in murum projecerit, nullo modo læsit murum aut commovit: aut veluti telum projectum contra ferventem clibanum, nullatenùs offendit ferrum aut corpus, repulsat enim ac repercutit: ita si quid vitii insurgeret in Apostolos, non offendebat eos, cùm essent perfectà Christi virtute induti, et ii cùm essent perfecti, opera justitiæ liberè poterant peragere. Quoniam igitur, aiunt quidam, post gratiam acceptam, nullam animæ superesse sollicitudinem, Deus à perfectis requirit voluntatem animæ in obsequium spiritûs, nempè ut assentiantur. Dicit enim Apostolus, *spiritum nolite extinguere.* (1. *Thess.* v. 19.)

S. MAXIMUS. *Quæst.* 64. *pag.* 258. Clamentque ad Deum vehementer; prioris scilicet vitæ delicta ac facinora contentè enuntient, sensusque modestiâ eum placare studeant, qui hæc eadem potest condonare; atque ad virtutem præstandam, ac voluntatem servandam, vim immutabilem ex eo petant, qui hanc propensè rogantibus donat.

S. HILAR. *Tract. in Psal.* LXIII. *pag.* 158. *n.* 5. Inter maximas enim seculi tempestates, et gravissimas humani generis in Deum impietates sumus constituti: cujus per nos fidelem et veram confessionem nunc philosophia irrideat, nunc hæreticorum furor incurset, nunc avaritiæ studia condemnent, nunc ambitionis favor inquietet. Quibus omnibus dissimulandis, tolerandis, vitandis et coarguendis, mens nostra nisi per Deum erudita non sufficit.

N. 6. Vigilandum ergo in oratione Dei est, et semper orandum: ut cùm fatigari anima et affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his quæ timemus eripiat.

De Trinit. lib. 1. *n.* 37. Cæterùm auxilii et misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extensa tibi fidei nostræ confessionisque vela flatu spiritûs tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. Non enim nobis infidelis sponsionis istius auctor est, dicens, *Petite et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* (*Luc.* XI. 9.) Nos quidem inopes ea quibus egemus precabimur, et in scrutandis Prophetarum tuorum Apostolorumque dictis studium pervicax afferemus, et omnes obseratæ intelligentiæ aditus pulsabimus: sed tuum est, et oratum tribuere, et quæsitum adesse, et patère pulsatum. Torpemus enim quodam naturæ nostræ pigro stupore, et ad res tuas intelligendas intra ignorantiæ necessitatem ingenii nostri imbecillitate cohibemur: sed doctrinæ tuæ studia ad sensum nos divinæ cognitionis instituunt, et ultra naturalem opinionem fidei obedientia provehit.

N. 38. Exspectamus ergo ut trepidi hujus cœpti exordia incites, et profectu accrescente confirmes... Tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem: et præsta, ut quod credimus, et loquamur.

S. AUG. *in Psal.* CXVIII. *Serm.* 21. *n.* 4. *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.* (*v.* 92.) Ista lex fidei est; non inanis fidei, sed quæ per dilectionem operatur. Per hanc impetratur gratia, quæ fortes facit in tribulatione.

N. 5. Deo non vivificante, quid est homo, qui se occidere potuit, vivificare autem non potest.

Serm. 55. *aliàs* 4. *de verb. Dom. Evang. Matth.* 5. *cap.* 2. *n.* 2. Si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram: si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es... Ergo Deus quæratur, ut dometur homo.

Serm. 163. *de verbis Apost. Galat.* 5. *cap.* 12. *n.* 12. Ergo cùm cœperis laborare pugnans contra concupiscentias carnis, spiritu ambula, spiritum invoca, donum Dei quære. Et si lex in membris repugnat legi mentis tuæ ex parte inferiori, id est, à carne, captivum te tenet sub lege peccati : et hoc emendabitur, et hoc transiet in jura victoriæ. Tu tantùm clama, tu tantùm invoca. *Oportet semper orare, et non deficere.* (*Luc.* XVIII. 1.) Invoca omninò, invoca adjutorium. Adhuc te loquente, dicit, Ecce adsum. Post intellige, et audis dicentem animæ tuæ, *salus tua ego sum.* (*Ps.* XXXIV. 3.)

Serm. 283. *aliàs de diversis* 42. *in Natal. Martyr. Massilitan. cap.* 2. *n.* 2. Sed parum est moneri, nisi impetres adjuvari. Præsens ergo Psalmus, quem cantavimus, docuit nos, à Deo utique esse patientiam nostram contra dolores. Undè invenimus ab ipso esse et continentiam nostram, quæ necessaria est contra voluptates? Habes evidentissimum testimonium : *Et cùm scirem*, inquit, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* (*Sapient.* VIII. 21.) Ergo si habes aliquid à Deo, et nescis à quo habeas, non eris muneratus, quia remanes ingratus. Si nescis à quo habeas, non agis gratias, et quod habes perdis. *Qui enim habet, dabitur ei.* (*Matth.* XIII. 12.) Quid est, plenè habere? scire undè habeas. *Qui autem non habet*, id est, nescit undè habeat, *et quod habet auferetur ab eo.* (*Ibid.*) Denique sicut idem ait, *Hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* (*Sap.* VIII. 21.) Sic et Apostolus Paulus ait, cùm commendaret nobis gratiam Dei in Spiritu sancto : *nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* (1. *Cor.* II. 12.) Et quasi diceretur illi, *undè discernis?* secutus adjunxit, *ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* (*Cap.* 3.) Ergo Spiritus Dei, Spiritus est charitatis : spiritus hujus mundi, spiritus est elationis... Melior est incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quàm se extollens de magno. (*Cap.* 4.) Illum enim qui de parvo gratias agit, ad magnum Deus admittit : qui autem de magnis gratias non agit, et quod habet amittit. *Qui enim habet, dabitur ei; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.* (*Matth.* XIII. 12.) Quomodo non habet, si habet? Non habens habet, qui nescit undè habeat. Tollitur enim à Deo res sua, et remanet illi iniquitas sua. Ergo *Nemo est continens, nisi Deus det.* (*Sap.* VIII. 21.) Habes munus contra voluptates : Quoniam *hoc ipsum*, inquit, *erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum : nemo est continens, nisi Deus det.* Habes munus contra dolores : *Quoniam ab ipso est*, inquit, *patientia mea.* (*Psal.* LXI. 6.) Ergo *sperate in eum omne concilium plebis.* (*Ibid.* 9.) In eum sperate, nolite vestris viribus fidere. Illi confitemini mala vestra, ab illo sperate bona vestra. Sine illius adjutorio nihil eritis, quantumcunque superbi fueritis. Ergo ut humiles esse valeatis, *effundite coram illo corda vestra.* Et ne in vobis malè remanentis, dicite quod sequitur, *Deus adjutor noster est.*

Cap. 5. *n.* 3. Hunc adjutorem, ut vinceret, beatus Martyr habuit, quem miramur, cujus solemnitatem hodie celebramus. Sine illo non vinceret.

Lib. de vera Relig. cap. 12. *n.* 24. Si autem dum in hoc stadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas, quas adversùm se nutrivit cupiditates fruendo mortalibus, et ad eas vincendas gratiâ Dei se adjuvari credat, mente illi serviens et bonâ voluntate, sine dubitatione reparabitur, et à multis mutabilibus ad unum incommutabile revertetur, reformata per sapientiam non formatam, sed per quam formantur universa, fructurque Deo per Spiritum sanctum, quod est Donum Dei.

De Conjug. adulterin. lib. 2. *cap.* 13. *n.* 13. Non enim confidendum est de nostris viribus, sed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis, qui deterret à malis.

S. GREG. *Regist. Epistol. lib.* 7. *Indict.* 15. *Epist.* 36. *ad Dynam. et Aurel. pag.* 885. Quia hujusmodi desiderium perfectionis scilicet divinæ non deserat, ipsa nos veritas testimonio suæ vocis informat, dicens : *omnis qui quærit, invenit, qui petit, accipit, et pulsanti aperietur.* (*Matth.* VII. 8. *Luc.* XI. 9.) Hac itaque fulti certitudine, de ejusdem Redemptoris nostri misericordia nihil ambigere, sed spe debemus indubitatâ præsumere. Nec enim muneris sui largitate frustrabitur, sed vires obtinendi prorsùs indulget, qui velle concessit. Nam jam hoc ipsum desideranter appetere,

donum est. Quia tamen ita de gratia debemus superna præsumere, ut non simus negligentes in oratione vel opere, voce ejusdem veritatis exprimitur: *Oportet semper orare, et non deficere.* (*Luc.* XVIII. 1.) Petamus igitur orando, quæramus legendo, pulsemus operando. Sit igitur mens vigilans, sit undique suspecta, sit ubique sollicita, ut insidiantis possit semper laqueos præcavere. Sed quia quantò hostis noster cautum contra se unumquemque cognoscit, tantò corda sibi resistentium subtili molitur arte subvertere, omnipotentem Dominum assiduis lacrymis et deprecatione poscamus, ut nos veneni ejus non sinat infectione corrumpi; sed contra certamina et latentes suggestiones quas ingerit, potentiæ suæ nos scuto circumtegat; in quo jacula illius illisa frangantur, et cor nostrum percussionis ipsius contactus non vulneret, sed gratiæ suæ dono ejus nobis insidias et intelligere donet et vincere.

Cassian. *de Orat. Collat.* 10. *cap.* 10. *pag.* 541. Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina...* (*Ps.* LXIX. 2.) Qui enim jugiter suum invocat protectorem, certus est eum esse semper præsentem..... Iste (*versiculus*) in acedia et anxietate animi collocatos, seu tristitiâ vel cogitationibus quibuscunque depressos, salutis remedia desperare non patitur; ostendens illum quem invocat inspicere jugiter nostra certamina, atque à suis supplicibus non abesse. Iste nos in spiritalibus successibus cordisque lætitia constitutos admonet extolli penitùs non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum non solùm eum semper, sed etiam velociter ut sibi auxilietur, implorat. Iste, inquam, versiculus unicuique nostrûm in qualibet qualitate degenti necessarius et utilis invenitur. Nam qui se semper et in omnibus desiderat adjuvari, manifestat quòd non tantùm in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adjutore; ut quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere.

Venerab. Hildeb. *Serm.* 32. *in Dom. Palmarum* 4. *pag.* 381. Civitas Babylonis est quæ imbre divino non compluitur, quia civitas justi Jerusalem irrigatur; sed ex parte scilicet granorum, non ex parte palearum. Hæc est de qua Amos ait (IV. 8.): *venerunt duæ vel tres civitates ad unam civitatem, ut biberent aquam, et non sunt satiatæ.* Isti sunt fideles de gentibus et Judæis, vel de tribus filiis Noë orti, qui veniunt ad civitatem unam, scilicet sanctam Ecclesiam, ut bibant aquam vivam salientem in vitam æternam, et non satiantur; hic scilicet, quia qui esuriunt et sitiunt justitiam, non hic, sed in futuro satiabuntur. Quantò enim quis hic ampliùs bibit, tantò avidiùs sitit; quantò perfectiùs gustat, tantò vehementiùs desiderat.

S. Anselm. *Meditat.* 18. *pag.* 236. Omnia à te hæc postulo, Domine Deus noster, quia cuncta bona nostra, dona tua sunt. Non enim aliundè possumus tibi servire neque placere, nisi de tuo munere. Adjutor omnium in te sperantium Deus, ne me deserat pietas tua, ne me derelinquat gratia tua. In te sperantem Deus, et in tua misericordia solummodo confidentem adjuva me; quia sine te tibi placere non valeo. Quis unquam speravit in te, et derelictus est? Non est auditum à seculo. Deus tu es optimus, infinitæ pietatis, et immensæ bonitatis; qui in te sperantes nunquam consuevisti relinquere. Ostende, quæso, misericordiam tuam in me, quia *ad te confugi, ut videant, qui me oderunt, et confundantur; quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.* (*Psal.* LXXXV. 17.)

S. Bern. Abbat. *de sanct. Andrea Apost. serm.* 2. *de quatuor cornibus Cruc. n.* 4. *Spiritus meus*, ait Dominus, *super mel dulcis* (*Eccli.* XXIV. 27.), ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licèt, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni, illi quæ mortem quoque facit suavissimam... Quæramus hunc spiritum, Fratres: totâ sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc spiritum, immò ut quem jam habemus, abundantiùs adhuc habeamus. *Quicunque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (*Rom.* VIII. 9.) *Nos autem non accepimus Spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo*

est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. (1. *Cor.* II. 12.) Testimonium præsentiæ ejus præbent opera ipsa salutis et vitæ, quæ nullatenùs agere possemus, nisi spiritus Salvatoris adesset, qui vivificat animas nostras. Quæramus igitur ut dona sua multiplicet Deus in nobis, et spiritum suum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omninò præsentiæ ejus certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris; quoniam ipse dicit : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* (*Eccli.* XXIV. 29.)

N. 5. Sed fortasse multorum nobis conscientiæ jam respondent: Desideramus quidem hunc spiritum, qui sic adjuvet infirmitatem nostram; sed invenire non possumus. Et ego dico : Propterea non invenitis, quia non quæritis; quia non petitis : Petitis et non accipitis : propterea non accipitis, eò quòd negligenter petatis. Nihil enim aliud quærit Deus, nisi ut sedulè et cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, et hortatur ut petant ? *Si vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se* (*Matth.* VII. 11.) ? Petite ergo, charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione : et in omnibus operibus vestris dulcissimi semper hujus ac suavissimi Spiritûs præsentiam et auxilium invocate.

Serm. in Nativit. B. Mar. n. 13. Suæ reddantur origini fluenta gratiæ, ut uberiùs fluant, alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, et infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Modicum planè memoria ad præsentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur : longè infrà desiderium, sed nihilominus supra meritum.

In Cant. serm. 13. *n.* 1. Origo fontium et fluminum omnium mare est : virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ ? Sed et juxta Annæ canticum, idem ipse *Deus scientiarum Dominus est.* (1. *Reg.* II. 3.) Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, indè est. Indè scientiæ, indè sapientiæ sermo. *Thesauri* siquidem *sapientiæ et scientiæ* ibi omnes *absconditi* sunt. (*Coloss.* II. 3.) Quid ? Casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt ? Quòd si copiæ aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut indè rursùs ad visus ususque nostros jugi et infatigabili erumpant obsequio ; cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude et sine intermissione reddantur ? Ad locum undè exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterùm fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberiùs terris refundatur. Qualiter, inquis ? Qualiter dicit Apostolus : *In omnibus gratias agentes.* (1. *Thess.* V. 18.) Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, et Dei sapientiæ deputa Christo.

Serm. 51. *n.* 5. *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.* (*Cant.* II. 6. VIII. 3.) Non ait *amplexatur*, sed, *amplexabitur me :* ut noveris priori gratiæ adeò non ingratam (*sponsam*) ut secundam gratiarum actione prævenerit.

N. 6. Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. « *Diligenter*, inquit, *considera quæ tibi apponuntur* (*Prov.* XXIII. 1.) : ut nulla videlicet Dei dona debitâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant (*Joan.* VI. 12.), id est, nec minima beneficia oblivisci. Nunquid non petit quod donatur ingrato. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi foutem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Propter hoc denique sponsa mox ut gratiam de læva sensit, gratias egit non exspectans plenitudinem quæ, in dextera est.

Fr. David. *de August. formul. novit. cap.* 42. Et maximè quia forlè alio tempore minùs studiosè quæsivit devotionis gratiam, vel oblatam negligentiùs recepit, nec dignas pro ea gratiarum actiones retulit ; punitur modo in quo peccavit, ut tunc illâ careat gratiâ, cùm desiderat, quam

antè neglexit, cùm habere poterat, et cautior de cætero in hac parte fiat. Tertia, ut ex hoc eruditior in gratia fiat, quòd hoc à Deo sit, non ab homine, cùm non potest homo eam pro libertate arbitrii sui habere, sed ex Deo, qui dat ex se, et quando vult infundit, et quando vult subtrahit, prout sibi placet, et prout accipienti videt convenire. Item quòd ex gratia sua dat, non pro meritis hominum, quia si daret semper cùm quæritur, putaretur jam dare tantum quantum merita requirunt; et non secundùm gratiæ libertatem. Ideoque quandoque studiosè quærentibus negat ex justitia, et non quærentibus dat ex gratia, ut ad se trahat. Juxta illud (*Cant.* I. 3.), *Trahe me post te, curremus in unguentorum tuorum odorem....* Quinta ratio potest esse meritum majoris gratiæ et gloriæ, dum desiderium non adimpletum affligendo purgat animam per patientiam desolationis, quia humilis sustinentia, et sufferentia mœroris, quasi lima reddit animam clariorem, et magis susceptibilem splendoris divini, et ampliùs gratiæ et gloriæ capacem.

Ad Paginam 285. *lin.* 19.

(O) S. EPHREM. *Serm. de vita Religiosa atque Monastica.* Cæterùm si sollicitus semper vigilaverit, divinamque gratiam assiduè in suum præsidium quæsierit, atque implorarit; succurretur ei ab illa jugiter, et edocebitur ab ea, quomodo placere debeat Deo; filque in eo ipsa gratia laus, atque laudator. Nam quemadmodum qui seipsum intuetur in speculo, idem ipse est qui videt, et qui videtur: ad eumdem modum et divina gratia, ubi invenerit requiem, ibidem inhabitat, et inhabitatur: efficiturque, ut jam dixi, et laus, et qui laudem exhibeat. Absque enim illius adminiculo, non prævalet cor placere ei viribus suis: verùm ut ipsi placeat, ab ea accipit.

JOAN. HIEROS. *Comment. in Matth. cap.* 7. *pag.* 185. Deus ita nos disposuit esse, ut nec studentes et laborantes circa Scripturas, acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei; ut ne nobis imputemus quod scimus; nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus et laboraverimus circa Scripturas: ne donum Dei detur negligentibus. Gratia enim adjutorium est infirmitatis humanæ: adjutorium autem non dormientibus datur, sed festinantibus, et non prævalentibus.

S. AMBR. *Exposit. Evang. sec. Luc. lib.* 6. *n.* 72. Bonus Dominus studia exigit, vires ministrat.

Ad Paginam 285. *lin.* 21.

(P) S. EPHREM. *de timore Dei, pag.* 523. Si gratiarum donis effectus sis dignus, ne propterea superbias: nihil enim habes boni, quod à Deo non acceperis (1. *Cor.* IV. 7.); et si secundùm ejus voluntatem non ambulaveris, proprium à te auferet (*Matth.* XIII. 12. *Luc.* VIII. 18.), et meliori atque utiliori illud donabit; et tunc similis efficieris ei, qui propulsat et abjicit calamum, qui lituræ cujuspiam causa fuerit.

S. GREGOR. NAZIANZ. *ad Patrem Orat.* 7. *n.* 1. Tametsi divina gratia in indignos minimè influat, nec in malum ac nulla ex parte concors organum: (in malignam enim animam non ingressuram sapientiam rectè dictum est, atque ita persuasum habeo;) tamen ob humanæ habitudinis et naturæ mutabilitatem et inconstantiam, non minoris, ut quidem ipse existimo, negotii est, dignitatem suam concordiamque tueri et conservare, quàm à principio ad concordiam rectè perduci, ac dignitatem consequi: quippe cùm sæpe gratia ipsa, (ut quod omnium malorum nostrorum miserrimum est, maximeque mirandum, dicam,) fastum nobis et elationem pariat, sicque à Deo, ad quem non, ut decuit, accessimus, exturbet ac dejiciat, atque ita dum extollimur, corruamus: ut fiat supra modum peccans peccatum (*Rom.* VII. 13.), nimirùm per id quod bonum est, necem mihi afferens.

S. P. N. DOROTH. Abbat. *de Humilit. Doct.* 2. Humilitas (virtus) magna est et potens, ita ut gratiam Dei in animam queat attrahere. Gratia igitur Dei est quæ miseretur, quæ animam protegit à passionibus.

S. AMBR. *in Psal.* XXXVI. *Enarrat. n.* 50. Qui à Domino dirigitur, viam Domini cupiet; quia duce ipso, omnis levatur labor, omnia impedimenta removentur, incentiva subministrantur: et ipse Dominus non adspernatur, sed libenter accipit viam viri quem ad virtutem ipse direxerit. Pul-

chrè autem viri gressus dirigi dicuntur à Domino ; quia *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX. 16.), sine offensione servare vestigium. *Qui enim plantat et rigat, nihil sunt, sed qui dat incrementum Deus* (1. *Cor.* III. 7.) ; ipsi soli gloria virtutum jure defertur.

S. HIERON. *lib.* 2. *Dialog. adv. Pelag. pag.* 527. Qui cautus et timidus est, potest ad tempus vitare peccata : Qui securus est de justitia sua, repugnat Deo ; illiusque auxilio destitutus, insidiis hostium patet... Et ut sciamus Dei esse bonum omne quod gerimus : " *Ego*, inquit, *plantabo eos ut nequaquam eradicentur ; et ego dabo eis cogitationem et sensum, ut intelligant me.* (*Hier.* XXIV. 6. 7.) Si cogitatio et sensus dantur à Deo, et intellectus Domini ex illius, qui noscendus est, radice pullulat ; ubi est liberi arbitrii tantùm superba jactatio ?

S. PAULIN. *Epist.* 40. *ad Sanctum et Amand. n.* 10. *pag.* 251. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium ; laqueus contritus est, et nos liberati sumus*, quia *adjutorium nostrum est in nomine Domini* Jesu Christi. (*Psal.* CXXIII. 7. *et* 8.) *Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri nos.* (*Act.* IV. 12.) In hoc nomine triumphantes, *confiteamur Domino misericordias ejus* (*Psal.* CVI. 8.), et *gloriemur in laude ejus* (*Psal.* CV. 47.), non in nostra. Quoniam, ut Propheta dicit, si quid bonum in nobis, ab ipso est ; et si quid optimum, ab ipsius Majestate est : *Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos.* (*Psal.* XCIX. 3.) Et propterèa et Paulus dicit : *Quid autem habes, ô homo, quod non acceperis ? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* (1. *Cor.* IV. 7.) In quo monet ut *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.) Undè jam nobis leves angustiæ fiunt, quando laudari videmur : nihil enim nobis conscii sumus de proprio bono, ut tanquam agnoscentium pudorem laudator perurgeat : quia non ipsos nos, sed divinæ bonitatis munera atque opera prædicari cognoscimus : si quid enim in nobis boni videtur aut creditur, illius est qui *solus bonus est* (*Matth.* XIX. 17.), et *de cujus plenitudine omnes accepimus* (*Joan.* I. 16.), et pro merili vel fidei capacitate respergimur. Ros enim qui ab illo est, sanitas est nobis, et lætamur in stillicidiis ejus. (*Psal.* LXIV. 2.) Ergo et error iste, quo nos laudatis, innocuus erit nobis. Insuper et mercedem vobis copiosam tam pia fides congeret : quia ut nos nostrà mente iniquos, et de perversa hujus seculi generatione pravos existimetis bonos factos, Deo omnipotenti creditis qui potens est justificare impium, et vivificare mortuos, et illuminare tenebras, et phœnicium candidare. (*Isai.* I. 18.)

N. 11. Quamobrem orate solliciti ut tanto rore vel munere Dei dignum Deo cor accipiamus.

S. AUG. *Confess. lib.* 10. *cap.* 3. *n.* 4. Evigilet in amore misericordiæ tuæ et dulcedine gratiæ tuæ, quâ potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum qui jam carent eis, nec ideò delectat quia mala sunt, sed quia fuerunt et non sunt.

Enarr. in Psal. LXV. *n.* 5. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* (*Psal.* II. 11.) Quid sibi hoc vult ? Audi vocem Apostoli : *Cum timore*, inquit, *et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* (*Philip.* II. 12.) Quare, cum timore et tremore ? Subjecit causam : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate.* (*Ibid.* 13.) Si ergo Deus operatur in te, gratiâ Dei benè operaris, non viribus tuis. Ergo si gaudes, et time : ne fortè quod datum est humili, auferatur superbo.

Enarr. in Psal. LXXI. *n.* 3. Sunt quidam qui faciliùs omnia sua pauperibus distribuunt, quàm ipsi pauperes Dei fiant. Inflati sunt enim jactantiâ, quâ putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quòd benè vivunt : et ideò jam nec benè vivunt, quantacunque bona opera facere videantur. De suo quippe habere se putant, et gloriantur quasi non acceperint (1. *Cor.* IV. 7.) ; divites sui, non pauperes Dei ; abundantes sibi, non egentes Deo. Sed ait Apostolus, *si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* (1. *Cor.* XIII. 3.) Tanquam si diceret, Si distribuero omnia mea pauperibus, et pauper Dei non fuero, nihil mihi prodest. *Charitas enim non inflatur* (*Ibid.* 4.) ; nec est vera Dei charitas in eo, qui ingratus est sancto Spiritui ejus, per quem diffunditur in cordibus nostris charitas

ejus. (*Rom.* v. 5.) Et ideò tales non pertinent ad populum Dei, quia non sunt pauperes Dei. Pauperes quippe Dei dicunt, *nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* (1. *Cor.* II. 12.)

In Joan. Evang. cap. XV. *Tractat.* 85. *n.* 3. Ut autem tales servi non servi simus, Dominum facere sciamus. Hoc autem servus ille nescit, qui nescit quid faciat Dominus ejus; et cùm aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat, non Dominus ejus; et in se, non in Domino gloriatur (2. *Cor.* X. 17.), cùm se ipse deceperit, quia sic gloriatur, quasi non acceperit. (1. *Cor.* IV. 7.) Nos autem, charissimi, ut amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat sciamus. Non solùm enim homines, verùm etiam justos ipse facit nos, et non ipsi nos. Et ut hoc sciamus, quis nisi ipse facit? (1. *Cor.* II. 12.) *Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Ab ipso quidquid boni est, donatur. Ergo quia et hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciatur, à quo bonum omne donetur: ut omninò de omnibus bonis, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (1. *Cor.* I. 31.)

De Civitat. Dei, lib. 10. *cap.* 28. *Prædicamus... Christum Dei virtutem et Dei sapientiam: quoniam stultum Dei sapientius est hominibus, et infirmum Dei fortius est hominibus.* (1. *Cor.* I. 23. *et seq.*) Hoc quasi stultum et infirmum tanquam suâ virtute sapientes fortesque contemnunt. Sed hæc est gratia, quæ sanat infirmos, non superbè jactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter potiùs veram miseriam confitentes.

Lib. 17. *cap.* 4. *n.* 2. A qua (*Dei gratiâ*) superbi alienantur, ut cadant, quâ humiles implentur, ut surgant.

AUCTOR *Serm.* 366. *Append.* S. AUG. *de Psal.* XXII. *aliàs* 9. *ex Sirmond. n.* 5. Luceat in corde tuo Christus, qui illuminat lucernam mentis nostræ per dilectionem Dei et proximi: et non timebis mala, quoniam ipse tecum est. *Non te*, inquit per Prophetam, *deseram, neque derelinquam.* (*Jos.* I. 5. *Hebr.* XIII. 5.) Item in Evangelio: *Ecce ego ero vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* (*Matth.* XXVIII. 20.) Idoneus est custos tuus. Tecum est Dominus Deus tuus. Cave ne jactantiâ deseras comitantem, et remaneas desertus in umbra mortis.

N. 6. Cùm repletus fueris bonis donorum Dei, non extollaris superbiâ, et murmures adversùs eum: quia *sicut vas figuli* iratus in ea *confringet* te. (*Psal.* II. 9.) Memento etiam adjutorii baculi, et ne confidas in virtute tua, neve dicas, Sanctus sum, titubare non possum. Multos habet lapsus infirmitas nostra, nec sanctitate operum suorum adhuc in terra dante spinas et tribulos posita regitur, vel habet gloriam puritatis. Quandiu ergo redeat in terram de qua sumpta est, nisi baculo divinæ gratiæ regatur, stare non potest. Sive itaque prosperèris in Deo, sive tentationum tempestate turberis, totum te in baculum misericordiæ Dei projice, ut cùm supra eum donis spiritalibus pascendus accubueris, delectatus gustu suavitatis ejus, convenienter dicas, *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et poculum tuum inebrians quàm præclarum est!* (*Ps.* XXII. 5.)

N. 7. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* (*Ibid.* 6.) Magnum te gloriæ solatium comitatur. Propter miseriam videlicet infirmitatis tuæ, misericordia te Dei subsequitur. Sed priùs ut iter tibi vitæ æternæ demonstret, prævenit te, id est, antecedit te, secundùm quod dicit in alio Psalmo: *Deus meus, misericordia ejus prævenit me.* (*Ps.* LVIII. 11.) Prævenit ergo te misericordia ejus, id est, in viam te ducit ignorantem viam, ad Deum te vocat longè factum à Deo; servum peccati attrahit, ut liberum faciat, ut ambulando in via omnibus diebus vitæ tuæ non erres. Subsequitur etiam te, custodiens terga tua, ne insidians calcaneo tuo serpens diabolus, cum quo tibi sunt inimicitiæ, supplantet te. Latro namque, aut occurrendo occidit, aut exsurgendo post tergum. Ob hoc te præcedit et subsequitur misericordia Dei, ut medius tutus ambules et securus omnibus diebus vitæ tuæ. Habe ergo spem et gloriam, non in te, sed in præcedente et subsequente misericordia Dei: quâ præventus es peccator, ut salveris; non inventus es justus, ut placuisse glorieris.

S. GREG. *Moral. lib.* 7. *in cap.* 6. *Beati Job, cap.* 22. *n.* 26. Beatus Job

dum fortem se per insaniam non esse asserit, fortem se per statum salutis innotescit. Undè ergo hanc eamdem fortitudinem percepit, insinuet, ne si sibi vires, quas habet arroget, potenter ad mortem currat. Plerumque enim virtus habita, deteriùs quàm si deesset, interficit; quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit; cumque eam quasi roborando vivificat, elevando necat; ad interitum videlicet pertrahit, quam per spem propriam ab internæ fortitudinis fiducia evellit. Sed quia beatus Job et virtute pollet, et in semetipso fiduciam non habet, atque ut ita dixerim, vires infirmus habet, subjungit, dicens: *Ecce non est auxilium mihi in me.* (*v.* 13.)

Cap. 23. *n.* 27. Patet jam, ad cujus spem percussi animus recurrat, cùm in se sibi esse auxilium denegat.

S. ISIDOR. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de gratia cap.* 5. Mali dona ideò ad damnationem accipiunt, quia non ad Dei laudem, sed ad suam vanitatem utuntur. Bonis malè utuntur, qui ea, quæ à Deo illis donata sunt, in malos usus assumunt, sicut ingenium, sicut et cætera Dei dona. Multis Dei donis gaudemus, quæ nos ab eo percepisse cognoscimus. Nam quòd sapientes sumus, quòd potentes existimus, non alterius, sed potiùs divino munere sumus. Utamur ergo optimè divinis beneficiis, quatenùs et Deum non pœniteat dedisse, et nobis accepisse sit utile.

BEDA. *in Epist. Jacob. cap.* 4. *pag.* 689. *Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*v.* 6.) Fures quidem, perjuros, luxuriosos, et alios peccatores, quasi contemptores præceptorum suorum punit Deus, sed specialiter superbis resistere dicitur, quia nimirùm majori pœnâ plectuntur, qui confidunt in virtute sua, qui divinæ potentiæ subdi pœnitendo negligunt, qui quasi sibi ipsis ad salvandum sufficiant, auxilium supernæ gratiæ quærere detrectant. At contrà *humilibus dat gratiam*, quia qui in suorum plagis viliorum veri se medici manibus suppliciter subdunt, meritò desideratæ sanitatis dona recipiunt.

S. BERNARD. Abbat. *Epist.* 29. Congratulantur vobis: sed damus gloriam Deo, scientes quod estis et quod potestis, ipsius non vestrùm esse. Quod et vos semper sentire in vobis amicabiliter admonemus: ne nihil et esse, et posse incipiatis, si quid aliter sapitis, et vestris (quod absit) meritis vel viribus quippiam horum adscribitis. Alioquin verendum, ne convertatur pax vestra in perturbationem, et prosperitas in adversitatem, sic nimirùm illo justè judicante, qui ut humilibus gratiam dare, ita et superbis resistere consuevit: qui et non solùm cum sancto sanctus, sed et cum perverso perversus, in Psalmo legitur (*Ps.* XVII. 26. *et* 27.); nec tantùm faciens pacem, sed et creans malum, per Prophetam describitur. (*Isai.* XLV. 7.)

Epist. 372. *ad P. Episc. Palent. in Hisp.* Laudetur ergo non creatura, sed Creator: laudetur non ille qui accepit, sed ille à quo accepit: laudetur *non ille qui plantat, non ille qui rigat, quia nihil sunt; sed qui incrementum dat Deus.* (1. *Cor.* IV. 7.) Ego ergo non accipientis, sed porrigentis manum laudabo: non laudationem servi, sed *laudationem Domini loquetur os meum.* (*Ps.* CXLIV. 21.) Tu ergo, dilectissime, si sapis, immò quia sapis, in te quidem, sed non ex te cognosce gratiam: quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum.* (*Jacob.* I. 17.) Scio quosdam esse, qui quasi scienter nescire volunt quæ acceperunt à Domino, ne in superbiam elati, in viscum incidant diaboli. Mihi autem videtur debere scire quid acceperim, ut sciam quid desit mihi: mihi videtur juxta Apostolum, *ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* (1. *Cor.* II. 12.) ne nesciamus, ad quæ postulanda suspirandum sit nobis. Qui enim accepit, et nescit quæ accepit, duplici periculo vicinum se constituit: quia ingratus est circa acceptum, et incautus circa custodiendum beneficium. Quomodo enim refert gratiam ei, à quo accepit, si nescit se accepisse quod accepit? vel quomodo sollicitus erit custodire, qui non meminit se aliquid accepisse? Aufer à me, Domine, opprobrium ingrati illius populi, de quo dictum est: *obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis.* (*Ps.* LXXVII. 11.) Acceptum itaque beneficium, etiam secundùm sapientes hujus seculi, æternæ memoriæ infigendum est. Oportet ergo ut accepta sciamus custodire, et gratia Dei vacua non sit in nobis: sed ut semper in nobis ma-

neat, semper gratias agamus Domino Deo nostro. Illud quoque non otiose puto adjiciendum, ut in acquisitionem salutis et gratiæ tribus gradibus ascendas, humilitate, fide, timore. Humilitas enim est, cui gratia datur; fides, in qua suscipitur; timor, à quo custoditur.

In annunt. B. Mariæ serm. 3. *n.* 9. Quale jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est purissimum, et solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam solidum, quàm humilitas cordis? Meritò proinde *humilibus dat gratiam* (*Jacob.* IV. 6.): meritò *respexit* Deus *humilitatem ancillæ suæ.* (*Luc.* I. 48.) Quonam merito quæris? Eo utique, quo animum humilem meritum non occuparet humanum, quominus libere influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hanc nobis humilitatem quibusdam erit gradibus ascendendum. Primò enim cor hominis, quem adhuc peccare delectat, nec miseram consuetudinem proposito meliore mutavit, ne sit gratiæ capax, propriis vitiis præpeditur. Secundò quoque, ubi jam corrigere mores, et priores nequitias de cætero non iterare proponit; ipsa tamen peccata præterita, licèt jam amputata quodammodo videantur, dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confessione laventur, donec succedentibus dignis fructibus pœnitentiæ de medio fiant. Sed væ tibi, si fortè vitiis et peccatis perniciosior successerit ingratitudo. Quid enim tam evidenter gratiæ adversatur? Tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consumemur carne, qui spiritu cœperamus. Indè enim est ut minùs ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, indevoti pariter et ingrati. Timorem Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti, etiam detractores et murmuratores, vacantes nugis, fugitantes laboris et disciplinæ, quoties sine nota id licet; quasi verò confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Jam verò si quis, juxta Apostolum, ut verbum Christi, verbum gratiæ in eo habitet (*Coloss.* III. 16.), gratus est, si quis devotus, si quis sollicitus, si quis spiritu fervens: caveat sibi ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur. Alioquin nec hujuscemodi animum intrat gratia. Nimirum plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi.

N. 10. Nos ergo, Fratres, si gratiam cupimus invenire, sic de cætero abstineamus à vitiis, ut de præteritis quoque peccatis dignè pœniteamus. Nihilominùs quoque solliciti simus, et devotos nos Deo, et verè humiles exhibere. Hujusmodi nempe animas gratanter respicit pio illo respectu, de quo Sapiens ait: *Quoniam gratia et misericordia Dei est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* (*Sap.* IV. 15.)

In Cant. serm. 74. *n.* 8. Quàm multis non profuit gratiam percepisse, pro eo quòd temperamentum de veritate pariter non acceperunt? Ex hoc enim plus quàm oportuit complacuere sibi in ea... Indè factum est, ut in qua privatim exsultare voluerant, gratiâ privarentur, quibus vel serò dici potuerit: *Euntes ergo discite quid sit* (*Matth.* IX. 13.), *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* (*Psal.* II. 11.) Dixerat denique sancta anima quædam in abundantia sua, *non movebor in æternum* (*Ps.* XXXIX. 7.): cùm subitò sensit aversam à se faciem Verbi, seque non modò motam, sed etiam conturbatam; et sic in tristitia didicit opus fuisse sibi, cum munere quidem devotionis, etiam pondere veritatis. Ergo non in sola gratia plenitudo gratiæ est, sed ne in sola quidem veritate. Quid prodest scire quid te oporteat facere, si non detur et velle facere? Quid si velis quidem, sed minimè possis? Quantos expertus sum agnitâ veritate tristiores, et ideò magis, quòd jam confugere ad ignorantiæ excusationem non liceret, scientes, et non facientes quod veritas hortaretur?

N. 9. Quæ cùm ita se habeant, neutrum sine altero sufficit. Parum dixi: non expedit quoque. Undè id scimus? *scienti*, inquit, *bonum, et non facienti, peccatum est illi* (*Jacob.* IV. 17.): item, *servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, vapulabit multis.* (*Luc.* XII. 47.) At istud pro parte veritatis. Pro gratiæ quid? Scriptum est, *Et post buccellam introivit in eum satanas.* (*Joan.* XIII. 27.) Judam loquitur, qui accepto munere gratiæ, quia in veritate non ambulabat cum veritatis Magistro, vel potiùs cum magistra veritate, locum in se diabolo dedit... *Ipse in veritate non stetit* (*Joan.* VIII. 44.), sed fuit mendax ab initio, ideoque audivit: *Perdi-*

disti in decore tuo sapientiam. (*Ezech.* XXVIII. 17.) Nolo decorem, qui mihi sapientiam tollat.

V. 10. Quæris quis ille tam noxius, tamque perniciosus decor? Tuus. Adhuc fortè sine intellectu es? Planiùs audi. Privatus, proprius. Non culpamus donum, sed usum. Denique si advertisti, non in decore, sed *in suo decore* dictus est ille perdidisse sapientiam. Et (ni fallor) unus Angeli, animæque decor ipsa est. Quid enim vel hæc vel ille absque sapientia, nisi rudis deformisque materia est? Eà ergo ille non modò formatus, sed et formosus fuit. Sed perdidit eam, cùm fecit suam: ut non sit aliud in decore suo, quàm in sua sapientia perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quòd sibi sapiens fuit, quòd non dedit gloriam Deo, quòd non retulit gratiam pro gratia, quòd non secundùm veritatem ambulavit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatem: istud est cur eam perdidit, immò istud est quòd eam perdidit. Etenim sic habere, perdere est; *Et si Abraham*, inquit, *ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* (*Rom.* IV. 2.) Et ego: Non ego in tuto, inquam. Perdidi quidquid habeo non apud Deum. Nam quid tam perditum quàm quod extra Deum exsulat? Quid mors nisi privatio vitæ? Ita nihil perditio, nisi alienatio à Deo est. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isai.* V. 21.)! De vobis dicitur: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* (1. *Cor.* I. 19.) Perdiderunt sapientiam; quia sua sapientia perdidit eos. Quid non perdiderunt, qui et ipsi perditi sunt? An verò non perditi, quos nescit Deus?

GUARRICI. Abbat. IGNIAC. *Serm.* 3. *in solemn. B. Benedict. pag.* 203. *Tom.* 23. *Bibl. PP. Lugd.* Illi nempe qui à Deo diligitur, etsi aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi ut nihil ei desit: et suo, ut putatur, defectu perfectior sit. *Nam virtus in infirmitate perficitur. Paule*, ait Dominus, *sufficit tibi gratia mea.* (2. *Cor.* XII. 9.) Cui gratia Dei sufficit, sine damno gravi immò cum lucro non mediocri aliquid gratiæ deficit, quandoquidem ipse defectus et infirmitas virtutem perficit, et imminutio cujusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei et stabiliorem efficit. Longè fac Domine à servis tuis gratiam illam quæcunque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: undè videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis. Non est illa gratia, sed ira, illis planè quibus iratus es dari digna, quibus propter dolos posuisti talia, dejiciens eos dum allevantur (*Ps.* LXXII. 18.), et elidens validè, dum super ventum ponuntur. (*Job.* XXX. 22.) Ut igitur illa sola gratia sine qua nullus à te diligitur salva nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certè gratiam utendi simul conferat: quatenùs habentes gratiam per quam serviamus placentes cum metu et reverentia, de gratia muneris, gratiam promereamur remuneratoris.

MAPHÆI VEGII Laudens. Presbyt. *de Persev. Relig. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 707. *Tom.* 26. *Biblioth. PP. Lugd.* Præcipua necessariaque sit curandæ æstimationis confidentiæque medicina, cognitio gratiæ liberalitalisque divinæ, cui proximam convenientemque aliam adjungimus non minoris certè utilitatis. Quanquam enim summa inenarrabiliaque sint in nos Dei beneficia; cogitare tamen oportet neminem esse quantacunque excellat sanctitate, qui firmum ullum aut certum polliceri sibi possit divinæ gratiæ ac probationis statum. Quod cùm verissimum esse quisque fateatur, quis audebit jam integritatem ullam suam æstimare, quæ perverti corrumpique facilè possit? Quis virtuti illi suæ confidere, quæ nihil habeat stabilitatis, aut certitudinis?

Ad Paginam 285. *lin.* 32.

(Q) D. HIERON. *Comment. in Eccles. c.* 9. *pag.* 41. *Converti me et vidi sub sole, etc.* Qui vinctus est compedibus ferreis, et gravibus plumbi nexibus prægravatur: Iniquitas enim sedet super plumbeum talentum. (*Zachar.* V. 7.) Et in Psalmo loquitur: *sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII. 5.): non est aptus ad cursum illum, de quo dicitur: *Cursum consummavi, fidem servavi.* (2. *Tim.* IV. 7.) Qui autem levis est, et anima illius non gravatur: nihilominus et ipse absque adjutore Deo ad calcem non potest pervenire. Sed et cùm prælium fuerit adversùs contrarias potestates: de quo scriptum est: *sanctificate bellum* (*Jerem.* VI. 4.): licèt robustus, tamen propriis viribus vincere non valebit. Perfectus quoque

in filiis hominum et sapiens, viventem panem atque cœlestem habere non poterit, nisi per sapientiam cohortantem: *venite, comedite panes meos.* (*Prov.* IX. 5.) Et quoniam non desunt divitiæ, de quibus Apostolus ait: *Divites fieri in operibus bonis* (1. *Tim.* VI. 18.); et alibi: *Divites facti estis in omni scientia* (1. *Cor.* I. 5.): sciendum prudentem virum has non posse divitias congregare, nisi eas à Domino acceperit, cujus ipse divitiæ sunt. De quibus et alibi dictum est: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.* (*Prov.* XIII. 8.) Gratia quoque nisi scientiam comitata fuerit, et concessa à Deo, quamvis eruditus vir, eam non poterit invenire. Quod Paulus sciens: *Plus*, inquit, *omnibus illis laboravi: non autem ego, sed gratia Dei quæ mecum est* (1. *Cor.* XV. 10.); et iterùm: *Gratia ejus non fuit vacua in me.* (*Id. Ibid.*) Et ad extremum nescitur ab homine quando tempus adveniat in quo varius eventus et finis omnium subsequatur.

S. AUG. *de dono perseverant. cap.* 1. *n.* 1. Hanc certè de qua nunc agimus perseverantiam, quà in Christo perseveratur usque in finem, nullomodo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem: potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et quantùm infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.

Cap. 7. *n.* 15. Deus posci à se voluit, ne inferamur in tentationem: quia et si non inferimur, nullà ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis et non orantibus dari: sed oratione nostrà nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, nisi ab illo accepimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsùs in hac re operosas disputationes exspectet Ecclesia; sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hæc Deus facturum se esse præscivit: *Ipsa est prædestinatio Sanctorum* (*Ephes.* I. 4. *et seq.*) *quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut* essent *sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate*, prædestinans eos *in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit* eos *in dilecto filio suo, in quo* habent *redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in* eos *in omni sapientia et prudentia, ut ostenderet* eis *mysterium voluntatis suæ secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlis sunt, et quæ in terris in ipso, in quo etiam et sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus, qui universa operatur.* Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas?

CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 6. *cap.* 12. *et* 13. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (M) *Decret. de Justificat. Can.* 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absolutà et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. 22. Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.

S. ISID. HISPAL. *Sentent. lib.* 2. *de gratia cap.* 5. Plerisque Dei dona dantur, perseverantia verò doni non datur. Et indè est, quòd quidem principia habent conversionis bonæ, sine verò malo clauduntur. Electi verò accipiunt et conversionis donum, et perseverantiam doni. Ea ergo causa est, quòd quidam et benè incipiunt et benè finiunt.

PHILIP. Abb. BONÆ SPEI *lib.* 1. *cap.* 8. *in Cant. in fine.* Ad tantum beneficium (confirmationem in gratia) humanis viribus non venitur, si veniens, non divinà manu et adjutorio prævenitur.

S. THOM. 1. 2. *Quæst.* 109. *art.* 8. Sed contrà est quod August. dicit in lib. de perfectione justitiæ in fine: « Quisquis negat nos orare debere ne » intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non pec- » candum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed solà » lege acceptà humanam sufficere voluntatem,) ab auribus omnium re- » movendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito. »

Respondeo dicendum quòd de homine dupliciter loqui possumus: uno modo secundùm statum naturæ integræ: alio modo secundùm statum naturæ corruptæ. Secundùm statum quidem naturæ integræ (etiam sine

gratia habituali) poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter; quia peccare nihil aliud est quàm recedere ab eo quod est secundùm naturam, quod vitare homo poterat in statu naturæ integræ; non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in bono conservantis, quo subtracto etiam ipsa natura in nihilum decideret. In statu autem naturæ corruptæ, indiget homo gratiâ habituali sanante naturam, ad hoc quòd omninò à peccato abstineat.

Art. 9. Sed contrà est, quod Aug. dicit in lib. de natura et gratia (cap. 20.) quòd « sicut oculus corporis plenissimè sanus nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo perfectissimè etiam justificatus, » nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere: » sed justificatio fit per gratiam; secundùm illud (*Rom.* III. 24.) *Justificati gratis per gratiam ipsius:* Ergo etiam homo jam habens gratiam, indiget alio auxilio gratiæ ad hoc quòd rectè vivat.

Conclusio. *Cùm nullum agens secundum agat nisi in virtute primi, sitque caro spiritui perpetuò rebellis, non potest homo licèt jam gratiam consecutus, per seipsum operari bonum et vitare peccatum absque novo auxilio Dei ipsum moventis, dirigentis, et protegentis; quamvis alia habitualis gratia ad hoc ei necessaria non sit.*

Respondeo dicendum quòd sicut suprà dictum est (art. 1.) homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo, quantùm ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur; et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ: alio modo, indiget homo auxilio gratiæ ut à Deo moveatur ad agendum. Quantùm igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia existens non indiget auxilio gratiæ quasi aliquo alio habitu infuso: indiget tamen auxilio gratiæ secundùm alium modum; ut scilicet à Deo moveatur ad rectè agendum; Et hoc propter duo: Primò quidem ratione generali, propter hoc quòd, sicut suprà dictum est, nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ: secundò ratione speciali, propter conditionem statûs humanæ naturæ: Quæ quidem licèt per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantùm ad carnem per quam servit legi peccati, ut dicitur *ad Rom.* VII. 23. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu secundùm quam, ut etiam dicitur *Rom.* VIII. 26. *Quid oremus sicut oportet, nescimus:* Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat; secundùm illud *Sap.* IX. 14. *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ?* Et ideò necesse est nobis ut à Deo dirigamur, et protegamur, quia omnia novit, et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere; *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI. 13.), et *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, etc.* quæ in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia.

Ad primum ergo, dicendum quòd donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipsum non indigeamus ulteriùs divino auxilio: Indiget enim quælibet creatura ut à Deo conservetur in bono quod ab eo accepit: Et ideò si post acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non potest concludi quòd gratia sit in vanum data, vel quòd sit imperfecta; quia etiam in statu gloriæ quando gratia erit omninò perfecta, homo divino auxilio indigebit: Hic autem aliqualiter gratia imperfecta est, in quantum hominem non totaliter sanat.

Art. 10. Sed contrà est, quòd August. dicit in lib. de perseverantia (*cap.* 2.): « Cur perseverantia poscitur à Deo, si non datur à Deo? An » et ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur quod scitur non ipsum » dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate? » Sed perseverantia petitur etiam ab illis qui sunt per gratiam sanctificati; quod intelligitur cùm dicimus, *sanctificetur nomen tuum* (*Ibid.* 9.): ut ibidem Aug. confirmat per verba Cypriani: Ergo homo etiam in gratia constitutus indiget ut ei perseverantia à Deo detur.

Conclusio. *Indiget homo in gratia constitutus, ad hoc ut usque ad finem vitæ suæ in bono perseveret, non quidem habituali divinæ gratiæ dono, sed speciali quodam divino auxilio, contra tentationum impulsus illum protegente.*

Respondeo dicendum quòd *perseverantia* tripliciter dicitur: Quandoquoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne removeatur ab eo quod est secundùm virtutem, per tristitias irruentes; ut sic se habeat perseverantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias et delectationes, ut Philosophus dicit in 7. Ethic. Alio modo potest dici *perseverantia* habitus quidam, secundùm quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem. Et utroque istorum modorum perseverantia simul cum gratia infunditur, sicut et continentia et cæteræ virtutes. Alio modo dicitur *perseverantia* continuatio quædam boni usque ad finem vitæ: Et ad talem perseverantiam habendam, homo in gratia constitutus non quidem indiget aliquà aliâ habituali gratiâ, sed divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus, sicut ex præcedenti quæstione apparet. Et ideò postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet à Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur à malo usque ad finem vitæ: Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia.

Ad Paginam 285. *lin.* 39.

(R) *Orat.* HENRICI KALTEISEN *Ord. Præd. de libera prædicat. verbi Dei, pag.* 1314. *Tom.* 12. *Concil. edit. Labb.* Qui enim ex Deo sunt ita verbum Dei audiunt, quòd per signa suæ prædestinationis signa pandunt, prout ex variis Doctores colligunt. Primum est, si viriliter pugnantes tres hostes devincit, carnem, mundum, et diabolum, *quod enim natum ex Deo, vincit mundum.* (1. *Joan.* v. 4.) Secundum, si in hoc mundo non civem se mansurum, sed hospitem viantem considerat, *si divitiæ affluant, cor non apponens* (*Ps.* LXI. 11.), sed de rebus hujus mundi quantò minus potest utens, semper in cœlo thesaurizans, utpote se de hoc mundo non esse recognoscens, dicens cum Apostolo: *Non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* (*Hebr.* XIII. 14.) Tertium, si ei omnia cooperantur in bonum, prospera ad timorem, adversa ad amorem, peccata peracta ad humiliationem, ut in prosperis cautior, in adversis patientior, in recordatione peccatorum suorum in oculis suis vilior, in pœnitendo ferventior, in aliorum compassione defectuum promptior. Sic enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, ad Romanos VIII. 28. Quartum, ad dictamen conscientiæ recurrere, delicta juventutis deplangere, proprio et aliorum se judicio submittere, ne fortè rea sit peccati mortalis, ubi et in quo creditur esse justa, sicque et à peccatis continere, dignos pœnitentiæ fructus agere, et arduæ vitæ opera exercere.

Ad Paginam 285. *lin.* 43.

(S) S. AUG. *Serm.* 299. *in Natal. Apost. Petri et Pauli* 5. *n.* 3. Unus ille sanguinem fudit, et omnes oppigneravit. Quotquot illam fidem recipimus, debemus quod accipimus: et hoc quia dignatus est facere et debitores et redditores. Quis enim nostrûm in tanta inopia et paupertate infirmitatis idoneus est reddere tanto creditori? Sed quomodo scriptum est, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multâ* (*Ps.* LXVII. 12.); verbum, quo diffamentur; virtutem, quâ patiantur. Ipse ergo sibi victimas fecit, ipse sibi sacrificia dicavit, ipse implevit spiritu Martyres, ipse virtute instruxit Confessores. Eis quippe dixit, *non enim vos estis qui loquimini.* (*Matth.* X. 20.) Quamvis ergo passurus, quamvis pro fide Christi sanguinem fusurus; rectè tamen dicit, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV. 12. *et* 13.) Et quid occurrit? *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* De retributione cogitabas, quid retribueres inquirebas; et occurrit tibi quasi retributuro, *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Certè redditurus eras? Ecce accipis. Quod accipis ergo, quia accepisti quod deberes, accipis undè reddas: debitor cùm acceperis, debitor cùm reddideris. *Quid* enim *retribuam*, inquit? *Calicem salutaris accipiam.* Ergo et hoc accipis.

S. PROSPER. *Lib. Epigram. de proficiendo...*

Nam cur non cupidè mens quærat, quæ Deus offert,
Cui, danda ut rectè posceret, ipse dedit?

Tum hanc, tum sequentes Assertiones fusè probavimus suprà toto hocce Capite.

Ad Paginam 286. *lin.* 6.

(T) Cælest. PP. I. *Epist.* 1. *ad Episc. Galliæ, n.* 10. Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsùs non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.

Traditionem circa divinam gratiam qui penitiùs nosse voluerint, legant in primis eos sancti August. *libros quos adversùs Pelagianos Semipelagianosque conscripsit, qui Tomo operum ejus* x. *potissimùm continentur; tum etiam ejusdem Sancti libros tres de libero arbitrio, illius oper. tom.* 1. *libr. de duab. anim. contr. Manich. Epist.* 140. *aliàs* 120. *ad Honoratum,* 177. *aliàs* 95. *ad Innocentium P. M.* 179. *aliàs* 252. *ad Joannem Episc. Hierosol.* 186. *aliàs* 106. *ad Paulinum,* 188. *aliàs* 143. *ad Julianam,* 194. *aliàs* 105. *ad Sixtum,* 214. *aliàs* 46. *et* 215. *aliàs* 47. *ad Valentinum,* 217. *aliàs* 107. *ad Vitalem, quæ exstant tom.* 11. *ejusdem operum: Quæstionem* 2. *lib.* 1. *de diversis Quæst. ad Simplicianum, et aliquot illius in Joan. Evang. Tractatus Tom.* III. *Sermones* 26. *aliàs* 11. *de verbis Apost.* 27. *aliàs* 20. *de verbis Apost.* 33. *aliàs* 2. *de verbis Apost.* 131. *aliàs* 2. *de verbis Apost.* 155. *aliàs* 6. *de verbis Apost.* 156. *aliàs* 13. *de verbis Apost.* 158. *aliàs* 16. *de verbis Apost.* 165. *aliàs* 7. *de verbis Apost.* 168. *aliàs* 17. *ex Homiliis* 50. 169. *aliàs* 15. *de verbis Apost.* 174. *aliàs* 8. *de verbis Apost.* 176. *aliàs* 10. *de verbis Apost. etc. Tom.* IV. S. Hieron. *Dialog. adversùs Pelagianos;* SS. Fulgentii *et* Prosperi *opera ferè omnia: in primis verò* S. Fulgentii *libros ad Monimum de duplici prædestinatione Dei, lib. de Incarnat. et gratia D. N. J. C. ad Petrum. lib. tres de veritate Prædestinat. et gratiæ Dei, libros de Prædest. et gratia, etc.* S. Prosperi *carmen de ingratis, Epist. ad Ruffinum de libero arbitrio, lib. contra Collatorem, Responsiones ad Capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuensium, et lib. Sentent. ex operibus S. Augustini excerptarum;* S. Leonis M. *lib. de vocatione Gentium, et Epist. ad Demetriadem.* Pauli Orosii *libr. de arbitrii libertate adversùs Pelagianos, Biblioth. PP. Lugd. Tom.* 6. Fausti *Episc. libr. de libero arbitrio* (qui tamen cautè legendi sunt) *Tom.* 8. *ejusdem Biblioth.* S. Anselmi *Dialogos de libero arbitrio, Tract. de concordia præscientiæ* et *prædestinat. Tract. de concordia gratiæ Dei cum libero arbitrio;* Honorii *Augustodunensis Presbyteri Dialogos de Prædestinatione et libero arbitrio, Tom.* 20. *Biblioth. PP. Lugd.* Ecclesiæ Lugdunensis *libr. adversùs Joannis Scoti Erigenæ erroneas definitiones, ejusdem Ecclesiæ librum de tribus Epistolis, etc. ejusdem Ecclesiæ libellum de tenenda auctoritate Scripturæ.* S. Prudentii *Episcopi Tricassini Epist. ad Hincmarum et Pardulum, libr. de Prædestinat. adversùs Joh. Scotum Erigenam,* Ratrammi *Monachi Corbeïensis lib. de Prædestin.* Servati Lupi *Presbyteri libr. de tribus quæstionibus.* Flori *Sermonem de Prædestinat. Hæc omnia reperiuntur Tom.* 15. *Biblioth. PP. Lugd.* Amolonis *Lugdunensis Episc. Eclogen sententiarum ex S. Augustini operibus, etc. ejusdem Biblioth. Tom.* 14. S. Bernardi *Abb. libr. de gratia et libero arbitrio.* Franconis *Abbatis Affliginiensis lib.* 12. *de gratia Dei, ejusdem Bibl. Tom.* 21. *Anonymus sub nomine* Prædestinati, *sive de hæresibus, etc. ejusdem Biblioth. Tom.* 27. *Legant etiam Concilium* Milevitanum *et* Arausicanum II. *et Conc.* Tridentini *Sessionem* 6. *Epistolas denique summorum Pontificum* Innocentii I. Bonifacii II. *et* Zosimi, *quæ exstant in Appendice Tomi* 10. *Operum S. Augustini. Diplom. seu Bull. Pii V. contr.* 79. *prop. Mich. Baii, an.* 1567. Innocentii X. *contr.* 5. *Prop. Jansen. Ypr. Episc. an.* 1653. *et* Alexandri VII. *an.* 1656. *contr. easd. Prop. Multi præterea Theologi de ea materia doctissimos Tractatus ediderunt, quos* (*cùm omnium manibus terantur*) *hìc indicare inutile superfluumque credimus.*

FINIS TOMI SEPTIMI.

INDEX

TOMI SEPTIMI.

TERTIA PARS.

In qua ostenditur quibus auxiliis et adjumentis ita vivere possimus, ut nobis pateat aditus ad vitam æternam.

CAPUT PRÆVIUM. *De Gratia.* Pag. 1

§. 1. Quid sit Gratia : quæve illius variæ species. 1

§. 2. Cujus meritis nobis Gratia concedatur. 124

§. 3. De Necessitate Gratiæ, et de Libertate hominis peccatoris. 133

§. 4. De merito operum, et de effectibus Gratiæ Christi. 257

§. 5. Quibus Dei Gratia concedatur. 283

FINIS INDICIS TOMI SEPTIMI.

9315